FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

Considerationes Modestae & pacificae Controversiarum De Justificatione, Purgatorio, Invocatione Sanctorum, Christi mediatore, & Eucharistia

Forbes, William

Helmstadii, A. MDCCIV.

VD18 11391456

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219598

Visual Library

L. 31.



58 H 3
~~G. H 3.~~
58. H. 3.

Franckesche Stiftungen zu Halle

CONSIDERATIONES
Modestae & pacificae
Controversiarum
De
Justificatione, Purgatorio, Invocatione Sanctorum, Christo mediatore, & Eucharistia,
Per
GVLIELMVM FORBESIVM
S. Theol. D. & Episcopum Edenburgensem primum.
Opus posthumum, diu desideratum.
Editio nova,
priore, quae A. 1658. prodiit, longe emendatior, & instructa Annotationibus, ac III. Indicibus.

HELMSTADII,
A. C. M DCC IV.
Prostat Lipsiae apud Jo. Frid. Gleditsch.

Reverendissimi Viri

BENIAMINIS VRSINI

auguſt. in Boruſſia Regis Concionatoris aulici primarii, Conſiliarii eccleſiaſtici, & Eccleſiarum reformatarum, quae ſub ſceptro S. illius Majeſtatis florent, vivunt & vigent, Epiſcopi primi

Summae eruditioni ac moderationi,

Primi apud Edenb. Epiſcopi librum hunc eruditiſſimum ac moderatiſſimum

reverenter conſecrat,

atque ſic florentiſſimae Eccleſiae Anglicanae, cum qua Brandenburgicae ſuavem habent conteſſerationem,

grato animo quaſi reddit

novae hujus editionis curator,

Forbeſiani pariter atque Vrſiniani nominis ac meritorum

cultor & aeſtimator perpetuus.

Franckesche Stiftungen Halle Hauptbibliothek Halle/Saale

PRAEFATIO
AD LECTOREM.

Viam pacis ecclesiasticae sternant, consiliaque irenica, etiamsi non requisiti fuerint, suppeditent alii, qui recte se facere existimant; ego alienis negotiis me nolim immiscere, atque in re ad summas Potestates pertinente, non rogatus sententiam dicere. Interea viam aliquam (sunt enim plures, quarum una alteri aut reliquis non est contraria, sicut ad hanc vel istam civitatem, a quatuor mundi plagis, plures dantur viae, & a circumferentia ad centrum plures lineae, quae inter se non pugnant,

neque se mutuo evertunt) ab aliis calcatam, innocenter ac citra ullam πολυπραγμοσύνην, commonstrare possum ac debeo, in quantum hoc est theologiae doctoris officium: omnino enim persuasus sum, ratione muneris obligatum me esse ad indicandum, quaenam genuinae sint eorum, qui pro dissentientibus habentur, sententiae, ne *quid alieni* forte iis tribuatur, neve confundatur *doctrina Ecclesiae* alicuius cum particularium placitis Doctorum, & *credenda* seu articuli fidei cum quaestionibus problematicis: nam quae Bellarminus, Becanus, & alii magistri romano-catholici docent, immo & Scholastici qvidam (simile iudicium fiat quoque de Zvinglio, Calvino, Beza, & Ecclesiis reformatis) olim docuerunt, id non statim est dogma Ecclesiae romanae, & ab omnibus in illa, qui salvari cupiunt, te-

tenendum atque credendum. Neque etiam *ex censuris & approbationibus librorum* concludendum est, omne id, quod illi proponunt, esse de fide; etenim censurae & approbationes illae nihil aliud inferunt atque indicant, quam scripta non continere quidquam, quod sit contra fidem illius, in qua eduntur, Ecclesiae, aut contra morum honestatem; quum interim exhibere possint varia, de quibus ultro citroque disputatur, ita ut tibi liceat abire sive in hanc, sive in illam sententiam. Jam vero ad discrimen hoc faciendum, & recte accurateque cognoscendum statum controversiae, utilis esse potest praesens tractatus FORBESII; magnus enim hic vir, praeterquam quod prudentem & gravem agit disputatorem, fideliter atque ingenue ostendere solet, quaenam sit mens adversariorum in capitibus

controversis, quae sententia Doctorum particularium, quaeque totius Ecclesiae; nec religio ipsi est, virtutem vel in hoste laudare, & subinde etiam suorum, aliorumque naevos aperire & confiteri: quin & moderate iudicat de momento controversiarum, atque in illis, si non tollendis, certe minuendis solicitam ponit curam operamque. Vt non facile reperias alium his in partibus ei comparandum, praeferendum forte neminem. Nullum igitur est dubium, quin hoc ex libro insignem fructum capturus sit, quicunque attente & absque praejudicio, atque in caritate, eum legerit relegeritque. Quod autem ad editionem hanc attinet, sane fatendum est, multum operae & laboris me oportuisse ponere in tollendis plurimis & gravissimis *mendis*, quae in optimum librum, cum in citatis S. literarum, Pa-

Patrumque ecclesiae, & aliorum auctorum dictis, tum in locutionibus graecis, & propriis scriptorum nominibus, itemque in numeris capitum, versiculorum, & paginarum, atque alibi etiam irrepserant, adeo, ut hanc editionem cum priore conferens, facile deprehensurus sit, longe meliorem & quasi novam ac plane aliam eius esse faciem & conditionem. Caeterum ne novi *paginarum numeri*, ut fieri solet, negotium & fastidium lectori crearent, veteris editionis numeros tam in textu, quam in fronte sive titulis foliorum exprimere & retinere volui. Aliquibus etiam in locis, in gratiam studiosae iuventutis aliorumque, qui in secundis tertiisve consistunt, subjunxi *Annotatiunculas*, & sub finem voluminis addidi *Indices* tres, capitum videlicet, auctorum, & dictorum scripturae sacrae. Hoc igitur opere pro lubitu utere jam ac fru-

ere, benevole Lector, & studiis sacris non tantum favere perge, sed & laetam felicitatem uberrimamque Dei benedictionem iisdem comprecare.

IOH. FABRICIVS, S. theol. Doct. ejusque in Acad. Julia Profess. primarius, Abbas Regiae Lutterae, & Sereniss. Ducum Brunsvic. ac Luneb. Consil. eccles.

Sanctissimus Salvator noster
apud S. Matth. cap. V. 9.

BEati pacifici: quoniam ipsi, filii Dei vocabuntur.

S. Pau-

S. Paulus ep. ad Ephes. IV, 1.2.3.

OBsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate, soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.

S. Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 5.

HOmines sumus. Unde aliquid aliter sapere, quam se res habet, humana tentatio est. Nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo melioribus, usque ad praecidendae communionis & condendi schismatis vel haeresis sacrilegium pervenire, diabolica praesumtio est. In nullo autem aliter sapere, quam se res habet, angelica perfectio est. Qui itaque homines sumus, sed spe angeli sumus, quibus aequales in resurrectione futuri sumus, quam diu perfectionem angeli non habemus, praesumtionem diaboli non habeamus.

Phil.

Phil. Melanchthon in ep. ad Senatum Venetum, tomo IV. Operum, pag. 834.

TAlis servitus (Harpagianae similis) *nequaquam in Ecclesia constituenda est, ut propter tranquillitatem, omnia errata illorum, qui praesunt, comprobare cogamur: maximeque eruditis tuenda est in dicenda sententia, seu in docendo, libertas.*

Sam. L. B. De Pufendorf in Jure feciali divino, p. 374.

SAne qui serio pacem Ecclesiae quaerunt, minime omnium curare debent homines turbido ingenio, qui materiam vitilitigandi sibi eripi non patiuntur, & a pueritia ad canos usque, enucleandis inutilibus quaestionibus tempus triverunt, ac inanibus ita animum imbuerunt, ut nihil acerbius sit, quam si quis demonstret, ipsos per totam vitam magno conatu magnas nugas egisse.

Sequitur Praefatio prioris editionis.

Erudito & candido

LECTORI.

PRodit tandem opus, quod a morte auctoris, totos viginti, & quod excurrit, annos latuit. Fuit auctor, quod omnes norunt, qui ipsum norant, doctrina & pietate insignis, ac Carolo I. Britanniarum Regi tam carus, ut illum, nullo commendante, sed proprio, ut loquuntur, motu seligeret, qui primus fungeretur episcopatu edenburgensi; *quem ipse, ut perenne apud Scotos pietatis suae monumentum extaret, erexit, & honore omnibus aliis illius ecclesiae episcopatibus praeire voluit. Functus est* presbyteratus *munere in ecclesia scoticana viginti quatuor, praeter propter, annos, idque variis in locis, aliquamdiu Edenburgi, Scotiae urbe primaria, sed diutius multo Aberdoniae*

doniae, urbe natali, (ibi enim ex honestissima familia oriundus erat) utrobique cum summa laude, amore & honore omnium: furiosos modo zelotas excipias, inter quos & ipsum mutua semper flagrabant odia, in illis iniquissima, sed in ipso sanctissima, idque propter eorum hypocrisin in religione, & incendia perpetua ab ipsis in ecclesia suscitata. Scripsit haec, quae nunc publici juris fiunt, dum presbyter esset; nam episcopatum, prob dolor, immatura mors (vix enim quinquagesimum attigit annum) & ecclesiae multum lugenda, delibare tantum sivit. Et cum per defectum virium ex immodicis studiis contractum, mortem non longe abesse praesentiret, legavit illa amico fidissimo, qui ea, tanquam κειμήλιον, summa cura custodiens, circumspiciebat semper, si quae se offerret edendi occasio; quam tamen nunquam, ob tristissima, quae inciderunt, tempora, huc usque nactus est. Fides summa in edendo praestita est, &, qui edit, exemplaria secutus est partim ipsius manu scripta, partim amanuensi ab ipso dictata. Scopus auctoris & editoris unus plane

plane est & idem, nempe ut primo veritas in hodiernis controversiis, de quibus hic agitur, (utinam & in aliis, vita suppetente, idem fecisset!) viris doctis & praejudicio liberis clarius patefiat; deinde ut via hinc ad reconciliandos Christianos facilior se aperiat. Hujus reconciliationis studium absque veritatis necessariae dispendio, & in auctore, dum viveret, summum semper fuit, & adhuc in editore constanter perstat, qui eam adeo necessariam existimat, ut schismata in ecclesiis, bella in regnis, una cum rebellionibus in Principes, quae passim jam cernere est, quaeque interim omnia a vera pietate longissime absunt, nunquam cessatura putet, donec unio illa effectum sortiatur; quanquam nunquam minor ejusdem conficiendae spes fuerat. Sed, quando spes minima est, vota, *ut dictum est olim,* solent esse maxima; *ad quae concipienda, ut & studia eidem procurandae conferenda, non opus est, ut multum invitentur, quicunque Deum vere colunt, & Christum sincere profitentur. Liceat hic obiter justum dolorem testari, quod ita regnent odia reciproca, quae vel ex religione,*

gione, simulata saltem, vel ex zelo, κατ' ἐπίγνωσιν, sunt concepta, ut, nisi DEVS se quasi monstret ex machina, omnia, quae faciunt pro christiana hac pace obtinenda, incassum suscipi videantur. Heu quam deploranda sunt multorum nimis, ex utraque parte, Protestantium scilicet & Romanensium, non tantum iudicia, sed & voces ac verba, non solum libris inserta, sed & auribus meis millies audita, quibus in hanc pacem, ut pietati perniciosissimam, palam invehuntur, omnesque, qui ei fauent, non leviter detestantur! Tam verum etiamnum est illud Thucydidis, τὰ ἐν μέσῳ ἀμφοτέρωθεν κλέπτουσι. Hi sibi soli aeternam salutem vindicant, & alios quosvis, quibuscum sibi in minimis non convenit, eadem excludunt; cum tamen, sic aequiore res velint trutina ponderare, comperturi sint, neutra parte salutem exulare, modo utrobique iis, quae credere se profitentur, (ea autem sunt, ex saniorum judicio, omnia ad salutem necessaria) pia vita adjungatur. Sed disputare malumus, ut scribebat non ita pridem Isaacus Casaubonus, vir optimus & eruditissimus, quam pie vive-

vivere; *cum tamen ab auctore hujus operis non semel auditum sit, (quod illi, Christianorum concordiam ardentissime exoptanti, in ore erat frequentissime)* pauca esse credenda, multa agenda: *intelligebat, autem per* pauca, *ad salutem, ut paulo ante dictum, absolute necessaria. Optandum certe est, ut crescant agendorum studia,* (ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι) *& minuantur in credendis iurgia. Quod si fieret, non omnis spes decollaret hujus tanti beneficii adipiscendi, cum sanctissimo Deo nihil magis sit cordi hac concordia. Quae autem pro pace hac christiana hactenus dicta sunt, non eo trahi velim, ut inde arripiatur occasio* deserendi eccleſias, *quas* reformatas *vocant, praesertim britannicas,* (anglicanam *intelligo, omnium reformatarum reformatissimam, earundemque gloriam, ad effigiem nempe primae suae reformationis effictam, & usque ad nuperas turbas omnia pessundantes, & πανωλεθρίαν secum ferentes, florentem, una cum* scoticana, *prout anglicanae conformari cœpit: utinam peccata nostra & diaboli* νοήματα *sic pergere non impedissent! quamvis*

utra-

utraque nunc gravi afflictionum pondere prematur; sed non omnium dierum soles occiderunt) & transeundi ad romanam: quod a quibusdam fieri, invitus & mœrens audio, abſit; nec ulla ſuadet ratio, ut a magis ſana parte eccleſiae decedatur, communioque externa colatur cum alia, quae minus ſana eſt, & crasſis ac domo Dei eliminandis erroribus polluta. Nunquam ſane hoc intenderunt aut intendunt, qui ad veram & chriſtianam hanc reconciliationem anhelant. Quid? quod tranſitus in romana caſtra non ſine reatu peccatorum & ſubſcriptione errorum, quibus viri docti reluctante conſcientia non facile conſentient, vulgo conceditur. Sed quamvis ullos ſic reſilire & deficere non amem, nunquam tamen legitimam reconciliationem non amabo: ad quam promovendam nihil plus conducere autumo, quam quae (ſi modo ea ſequi velimus) ſcripſit apoſtolus ad Philip. 3, 15. Ὅσοι οὖν τέλειοι, τοῦτο φρονῶμεν· καὶ εἴ τι ἑτέρως φρονεῖτε, καὶ τοῦτο ὁ Θεὸς ὑμῖν ἀποκαλύψει. Nempe in quibus veritatem attigimus, in iis perſeveremus; in quibus autem ipſi erramus, aut alii pleniorem a Deo habent re-

vela-

velationem, mutuam interea caritatem colentes, expectemus, donec omnes εἰς ἄνδρα τέλειον *evadamus,* καὶ εἰς πλήρωμα τοῦ Χριστοῦ *coalescamus, Ephes.* 4. 13. Τένοιτο, *Domine,* γένοιτο! *Caeterum qvam* pie, libere, & prudenter scribat auctor, *qvam* ingenue veritati litet, *eam, ubicunqve cernit, neutri parti addictus, amplectendo & defendendo, & de erroribus eos, qvos in alterutra parte errare putat, commonefaciendo & redarguendo, qvamqve firmis argumentis vera astruat, & falsa destruat, penes te, erudite lector, judicium esto.* Stylum *forte invenies non adeo politum & floridum, latinum tamen satis, ni fallor, & controversiis aptum, qvia facilem & planum; spero deniqve, si mentis aciem intenderis, te facturum operae precium non pœnitendum. Supersunt duo, qvae paucis attingam. Primum, qvod inter alia perspicuum fiet vel ex hoc opere, qvam insignem injuriam a multis passus sit reverendus auctor, qvi eum* catholico-romanum (*qvae fuit putida Catharorum calumnia*) *praedicârunt: nam praeterqvam qvod in communione ecclesiarum reformatarum & vixerit & mor-*

tuus sit, & publicis sacrosanctis muneribus in illis functus sit, clare hic leges, errores non paucos romanae ecclesiae, aut plerorumqve in illa, de purgatorio, invocatione sanctorum, transsubstantiatione, & alios, qvando occurrunt, notatos & perstrictos, idqve aliqvando cum satis magna nec sine ratione vehementia; qvin & ipsi Concilio tridentino, qvod jam omnibus illius partis instar palladii est, alicubi non peperciſſe videbis. Secundum est, de qvo monendus es, qvod non licuerit editori, prout volebat, testimonia scripturae ab auctore laudata, & alia, num vero consonent, examinare; *ausim tamen spondere, modo detur venia leviusculis erratis circa capita, versiculos, vel folia editionum, ubi horum fit mentio, qvae in nullo non inveniuntur opere, & qvorum exacta cura superat fere humanam diligentiam, te posse multum fidere tam eruditioni, qvam sedulitati auctoris; qvippe qvi erat incredibilis lectionis, nec solebat alienis oculis niti. Nefas etiam fuit ejus pietati, qvicqvam proferre, de qvo sibi non bene constaret. Vt tamen omnis tibi scrupulus eximatur, si vacat, & librorum tibi copia sit,* non male feceris, si ipsemet hanc operam naves.

T. G.

ELEN-

ELENCHVS VITAE
hujus auctoris.

GVlielmus Forbesius, S. theol. doctor, episcopus primus edenburgensis, parentibus honestis fuit editus, patre *Thoma Forbesio*, cive aberdonienſi, modestia & morum probitate nullis non probato, & genere natalitio ex illustri Forbesiorum familia, melioris notae civibus consociato & conjuncto, & matre *Janeta Cargilla*, sorore germana Jacobi Cargilli, aberdonienſis medicinae doctoris celeberrimi: unde viget adhuc, semperqve vigebit grata parentum Forbesii memoria, & vitae ipsorum innocentia testata, at majore prolis virtute condecorata.

Natus est *Aberdoniae*, qvae civitas est in septentrionali Scotiae plaga sita, almae academiae, & dignitatis episcopalis sedes eximia; qvae olim *Athenae caledoniae, & studiorum generalium gloria* nuncupabatur. Hic natus, hic edoctus & educatus Forbesius, hic virtutis semina jecit, qvae progressu temporis in gloriosam messem evaserunt.

Duodecimum vix egressus annum, cum primum in schola *grammaticae*, *linguae latinae & graecae* magnam sibi notitiam comparasset, felicissimi ingenii magis magisqve excolendi gratia, ad collegium mareschallanum sese recepit,

& in matriculam almae academiae aberdonienſis ſe dedit. Vbi qvum totum qvadriennium non minus feliciter, qvam obſtinate, ſtudiis philoſophicis operam dediſſet, tandem emenſo philoſophiae curriculo, ad *magiſtri in artibus* gradum eſt evectus, & viro clariſſimo, Gilberto Grayo, gymnaſiarchae, plurimum ob ſingularem modeſtiam & in ſtudendo indefeſſam diligentiam carus, ad *profeſſionem logicae* in eodem collegio eſt adſcitus; & illic in docendo logicam Ariſtotelis, qvam tum a Rami calumniis fortiter vindicabat, ſumma cum laude, & auditorum profectu, qvatuor poſuit annos.

Vbi autem abſoluto hunc in modum primae adoleſcentiae ſtadio, aliqvantum adolevit, viginti natus annos, ad ulteriorem ſcientiae perfectionem & rerum ἐμπειρίαν comparandam anhelans, *peregrinationem* in exteras regiones ſuſcepit. Atqve ubi Dantiſcum primum cum popularibus ſuis appuliſſet, ipſis ei neqvidqvam ſvadentibus, ut, relictis literarum ſtudiis, mercaturae rem faceret, *Pruſſiae & Poloniae* magna parte peragrata, propoſiti tenax, in *Germaniam* tandem, ad majus operae pretium in ſtudiis faciendum contendit; compertum habens, ibi maxime florere theologica ſtudia, qvibus prae aliis ipſe impenſius delectabatur. Jamqve Germaniam ingreſſus, celeberrimas academias, praeſertim *Juliam & Heidelbergenſem*, inviſit, inſtructiſſimas bibliothecas perluſtravit, ſcripta Patrum diligenter evolvit, Scholaſticorum operoſa volumina ſcrutatus eſt,

&,

&, ne eruditionis theologicae apicem praeteriret, sanctae linguae hebraicae vehementissimam dedit operam ; adeo ut in illius peritia judaeum qvemvis aeqvare videretur. Et ex his seminibus fœcundo solo satis & cœlo benigno nutritis prodeunte ocyus generosa messe, omnium doctorum, qvibus innotuit, encomiis, praeconiis , clarissimus philosophus, eximius theologus, & trium linguarum peritissimus celebratus est. Hic permotus fama academiae lugdunensis, multis & magnis orthodoxae religionis luminibus coruscantis, relicta Germania, in qva qvatuor transegit annos, plenus eruditionis & laudis, in Belgium commigravit. Cumqve *Lugdunum Batavorum*, celebris academiae sedem, attigisset, ecce fama jactatur, (nam diu illic inter academicos latere non potuit) doctissimum scotum inter illos clam versari, cujus modestia se suasqve dotes palam ostentare non patiebatur. Illico accitus ab academiae proceribus, venit, & Scaligerum, Grotium, Vossium, Heinsium, Hommium, Jachaeum, magni nominis philosophum, cognatum & compatriotam , aliosqve literatorum coryphaeos convenit, notitiam amicitiamqve cum illis contraxit, & variis colloqviis & amicis disputationibus hinc inde exercitis, eandem promovit & adauxit. Paucos post menses ipsis valedixit, & discedenti freqvens academiae senatus amplum incredibilis facundiae, promti & expediti ingenii, & multivariae eruditionis testimonium perhibuit.

In *Galliam* deinde *& Italiam* peregrinationem instituere cogitabat, qvam tamen praevaletudine adversa, qva tenue & infirmum corpus, magnae animae malum hospitium, distinebatur, aggredi non ausus, in Angliam transfretandi consilium capit, & intra paucos dies, velis ventisqve secundis usus, nobilis *Londini* oris allabitur. Et ut lux e longinqvo hominibus se videndam praebet, sic delata ad illustrissimam *Oxoniae* academiam, Europae lucidissimum sidus, fama singularis doctrinae, & incomparabilis in sancta lingua peritiae Forbesii nostri, a laudatae academiae Praesulibus ad *professionem linguae hebraeae* liberali proposito praemio ille invitatur. Sed invalescente febre triduana non illic diu subsistere sustinuit. Nam consultis medicis Regis, praesertim Craggio compatriota, sereniſſimi regis Jacobi, augustae memoriae, archiatro, in patriam, ad nativum aërem hauriendum, redire svadetur & impellitur. Tandem post qvinqvennalem peregrinationis ambitum, in Scotiam revertitur, & natale solum *Aberdoniae*, ubi primos edidit vagitus, revisit. Redux autem bono cum Deo factus, qvam clero gratus, qvam amicis carus, qvam omnibus expectatus fuit! Consul Senatusqve aberdonensis, omnibus humanitatis officiis complectuntur, & iuxta Bonae Concordiae pristinam consvetudinem, ad testandum tam eximio viro, concivis filio, feliciter reduci benevolentiam, *municipem* creant, & jus municipale diplomate, urbis insignibus & sigillo muni-

to,

to, confignant & confirmant. Hic paucos commoratus dies, juxta medicorum de natalis aëris beneficio praesagium, meliuscule se habere incipit. Et sic Deus illi prospexit, ut, paulatim viribus corporis refectis, & vi morbi defervescente, ad *ecclesiae alfordensis ministerium*, in illa diœcesi haud ignobile, a patrono comite Forbesio principe gentili solicitaretur. Cui vocationi moram gessit, & ministri munere, paucos illic annos, defunctus est.

Verum ingenium tam excelsum, eruditionem tam profundam, pietatem tam sublimem, in rusticana latere villa, voluntate Dei non permissum iri, tandem aliqvando exitus comprobavit. Nam eloqventiae in concionando fama percrebescente, (erat enim orator non tantum velox, & vehemens, sed mellitus & patheticus) non solum aures demulcentis, sed corda ferientis & multum flectentis, postulatis Aberdonienſium invitatus, & calculis cleri incitatus, ad *verbi divini praeconium Aberdoniae* suscipiendum inducitur. Vbi magno cum populi gaudio, magno auditorum fructu, animarum compendio, ipsius indefessa diligentia evangelium praedicavit, sacramenta administravit, rudes in fide instituit, flagitiosos a scelere ad meliorem vitae rationem traduxit, errores & haereses convulsit, veritatem fallaciarum involucris constrictam expedivit, &, ut summatim dicam, omnia sacra ministerii & religionis purioris officia percoluit.

Sereniſſimus rex Jacobus, ejus nominis Scotorum sextus, magnae Britanniae & Hiberniae

primus, cujus beata memoria apud omnes adhuc fervet, Scotiam, antiqvam patriam, magno invisendi desiderio captus, cum magna pompa & magnificentia regia, edenburgensi, lithgov. sterling. falcolan. magnificis palatiis, qvae olim Regum Scotorum, & regiae prolis erant habitacula, perlustratis, tandem Andreopolim, primatis Scotiae, & illustris universitatis sedem, attigit; qvo selectum clericorum conventum indixit, ut de arduis scoticanae ecclesiae negotiis cum illis consultaret. Inter alia, consultum & conventum est de dignitatibus scholasticis, qvae obsoletae, & temporis praescriptione fere emortuae, recuperandis, & ad pristinam vitam & vigorem reducendis. Privilegia jactabant academiae, sed non usurpabant, aut saltem usurpare non audebant. Proinde auctoritate regia, & unanimi cleri consensu, qvod statutum est, facto confirmant; & Regis mandato Jo. Junius S. Theol. doctor, regius sacellanus, scotus, vir pius & doctus, promotionis muneri designatur. Postridie aut perendie oratione docta & ornata praevia, Hovaeum, Brussium, Lyndesium, Forbesium nostrum, Strangium, &c. viros omni laude maiores, libro, pileo, annulo, *theologici doctoratus ornamentis*, donavit, amplexuqve fraterno in societatem theologicam recepit, & S. theologiae doctores creavit.

Exinde theologiae doctor, sed afflicta nonnihil valetudine domum reversus, consveto more, verbi ministerio incumbit, nec segnescit, donec fragile corpus tot laboribus & sudoribus impar, & in-

& indies gravi concionandi munere magis magisqve attritum, fatiscere & oneri succumbere cogitur. Sed Senatus populusqve aberdonienſis, municipis ſui, & paſtoris digniſſimi, cum adverſa valetudine conflictantis, & in deterius vergentis, vicem & conditionem graviter dolens & deflens, qvae remedia ejus vitae proletandae, & ipſius angelico contubernio fruendi, conqviri poſſint, excogitant. Tandem *collegii mareſchallani praefecturam* tunc vacantem, provinciam leviorem & magis honorariam, ejus praeſenti infirmitati, qvae a concionandi munere laxamentum poſtulabat, leniendae, maxime idoneum pharmacum iudicant, & in hanc ſententiam omnes conſpirant. Nulla mora. Impetrato a comite Mareſchallo, collegii fundatore & patrono, diplomate, collegii mareſchallani praefectus ſeu gymnaſiarcha conſtituitur. Hanc provinciam ſeriis votis commendatam non detrectans, & mira dexteritate & ſollicitudine procurans, gymnaſiarcham meritiſſimum & ſcholae philoſophicae moderatorem inſignem ſe demonſtravit. Et ne collegii legibus fundatis deeſſet, qvibus cautum eſt, ut gymnaſiarcha ad aperienda fidei myſteria, & reconditos divini verbi theſauros ſeſe applicet, & hebreae linguae cognitionem propaget, binas ſingulis ſeptimanis *praelectiones theologicas habuit*, & terna vice iuventuti, qvae in ſpem eccleſiarum educabatur, hebraeae lingvae perdiſcendae compendiariam viam proponit & docet; adeo ut ſtudioſos, qvi ſacris initiati, aut ſacrae ſcien-

tiae consecrandi erant, diatribis suis, recondita literatura pleniſſimis, ad altiora munia eccleſiaſtica idoneos praeſtiterit, & ut incautam juventutem, adverſus multiplices hoſtium veritatis ſtrophas, inſtrueret, & praemuniret, nullum laborem ſubterfugerit.

Jam ad gymnaſiarchatum, alius accedit ſcholaſticus honos, & ab epiſcopo aberdonienſi, & ſenatu academico, ad ejus profundam eruditionem obſtupeſcente, *decanus facultatis theologicae* deſignatur, ut candidatorum examini praeſit, reſpondentium patrocinium ſuſcipiat, & ad gradus promotor promotionis munus exeqvatur.

Mox hoc munere defunctus ad *rectoris magnifici* dignitatem, qva nulla poſt cancellariatum, qvi epiſcopalis ſedis peculiare privilegium eſt, ſublimior, evehitur. Cui officio cum omni laude & omnium gratia defunctus eſt, ut nulli tunc temporis in academia vixerint, qvi ope & praeſidio Forbeſii, non ſe aliqvid doctrinae ad bene & recte ſentiendum, vel exemplum ad pie & honeſte vivendum, adeptos eſſe faterentur.

Vnum reſtat nobile induſtriae & praefecturae monumentum praedicandum, qvod ſi tacerent homines, moenia, ligna, tecta loqverentur, *collegii aedificium*, qvod olim Franciſcanorum hoſpitium erat, palatii in morem qvadrilaterum, praeter unum latus, qvod honeſtus qvidam civis aberdonienſis inſtauravit, fere lapſum & ad rudera revocatum, poſtliminio excitavit, ſplendori priſtino majori reſtituit, & *libraria* eleganti, qvam & extruxit, & poſt alios in-

instruxit, fabricam exornavit. Postea *fanum Francisci*, qvo nihil magnificentius in illa urbe visitur, ex lapide polito & qvadrato constructum, semidirutum, bubonibus, hirundinibus, aliisqve cœli volucribus ad nidificandum patens, eleemosynis undiqve conqvisitis & hilariter collatis reparandum, & vitreis fenestris collustrandum curavit. Hic gymnasiarcha duos praefuit annos omni laude & memoria dignissimus, & natus ad collegii ornatum & commodum, idemqve rebus sic ad mentem & sanitatem compositis, Aberdoniae, ubi primam hausit lucem, bono cum Deo expirare decrevit.

Sed summatim reliqva pars vitae est percurrenda, qvae variis casibus & fortunae vicibus fuit exposita. Cives edenburgenses eloqventis & pii pastoris cupidi, omnes unanimi consensu Forbesium cogitant, compellant, & nullum non movent lapidem, ut ipso potiantur, & animarum curae Edenburgi admoveant. Sed Forbesius molestam interpellationem aegre ferens, tandem recollecta mente gratias qvam potuit maximas Edenburgensibus agit, qvod se tali dignarentur honore, & iussit, excusatum habeant, qvippe qvi fragilis aetatis reliqvias nativae sedi destinarit & devoverit. Vbi rumor ad Aberdonienses permanavit, hi fremere, obstrepere, Edenburgensibus indignari, &, ut a coepto desistant, obnixe rogare. Sed frustra tam hi, qvam ille, reluctantur. Nam Senatus supremi, & Synodi provincialis edicto cavetur, ut *provinciam pastoralem Edenburgi* non amplius detrectet,

ctet, sed hilariter amplectatur. Jam nulla mora, cum morosum & difficilem se praebere, & poteſtati tam eccleſiaſticae qvam politicae reniti nefas: itineri se accingit, & multis hinc inde lacrymis fusis populo aberdonienſi benedicit, valedicit, & intra paucos dies, magna comitante caterva, Edenburgum, Scotiae metropolin, ingreditur, & summo cum populi concursu & applausu recipitur, & pastorali officio inauguratur. Sed, Deus bone, qvam repente pastoris & gregis diversa mens, qvam dispar opinio, circa disciplinam eccleſiaſticam, & eccleſiaſtici regiminis formam! Edenburgenses, genevenſis disciplinae zelotae, episcopomastiges, & presbyterorum ἰσοτιμίας acerrimi propugnatores, Forbesii sanam doctrinam de episcoporum primatu, multis conviciis inceſſere, ipsumqve pontificiae professionis reum insimulare non verebantur. Ille contra modeste & solide in concionibus ad clerum & populum, primatum episcopalem, verbi divini auctoritate, praxi apostolica, & primitivae eccleſiae consvetudine niti, & non ab humano instituto ortum habere demonstrabat. Qvum autem tot exantlatos labores populo isti infrugiferos, & velut semen in agro sterili satum, nullos fructus proferre, insuper tenue & macilentum corpus urbis fumo involutum periclitari animadverteret, statuit, communicatis cum optimis & intimis amicis consiliis, sese hoc iugo pastorali expedire, & Aberdoniae, ubi prius fuerat, animarum curae incumbere. Qvam pri-

primum hoc ejus propositum Aberdonienſibus compertum, illico gaudio ſummo perfuſi, procuratores liberali viatico inſtructos, Edenburgum delegant, ut municipem ſuum Forbeſium *Aberdoniam* reducant: qvo cum ſalvus & mediocri valetudine fuffultus *rediiſſet*, clerus gratulatur, populus exultat, fauſtis acclamationibus omnes excipiunt. Sed emerſit non multos poſt annos nova occaſio, Forbeſium a cariſſimo grege avocandi, qvae ipſius immaturam accelleravit mortem.

Carolus, ejus nominis primus rex Britanniae, anno 1633. Londino egreſſus cum magno apparatu & ſplendido comitatu omnis generis aulicorum, & cum ſelecta & gravi turba patrum ſpiritualium, epiſcoporum, ſacellanorum, & aliorum ſacerdotum, Scotiae Edenburgum proficiſcitur, ut avita regni Scotiae corona inſigniretur, & ſacro oleo rex Scotiae inungeretur. Repente accitus Forbeſius, cum ſuis ſymmyſtis, cultiſſimi ingenii & ſanctiſſimi genii viris, ut Regem perpolitis ſuis concionibus, & ſeriis precibus clero expectatum & gratum pronuncient. Adſunt. Ipſe vice prima, ut ſtatutum eſt, ad concionem coram Rege habendam ſe ſiſtit; ubi demandatum ſibi penſum tanta doctrina, tanta efficacia exolvit, ut eximiam angelicae ipſius doctrinae & facundiae venerationem exhibuerint Rex & omnium ordinum auditores. Dum hoc accedit ad doctrinae & facundiae laudes, qvod non ſolum *memoria polleret tenaciſſima*, unde vulgo dictum, qvod *ignoraret, qvid ſit oblivio*

liviſci, ſed etiam *judicio ſublimato*, qvo rerum controverſarum pondera & momenta acutiſſime expendebat & trutinabat. Rex Carolus, eccleſiae nutricius pater, & religionis orthodoxae induſtrius propagator, ad compeſcendam luem presbyteralem, qvae diu auſtralem eccleſiae ſcoticanae partem afflixit, & ad regimen epiſcopale promovendum, *epiſcopatum edenburgenum*, perenne ſuae pietatis monumentum, fundavit, amplis reditibus locupletavit, aedibus ſpatioſis & ſpecioſis, cum hortis, pomariis, paſcuis, baſilicae regiae & fano ſanctae Crucis finitimis, dotavit, & nihil omiſit, qvod ubivis terrarum, a qvovis fundatore, ad dignitatem epiſcopalem amplificandam fieri conſvetum eſt. Cum Rex diſcedens, ab archiepiſcopo andreapolitano, Scotiae primate, conſuleretur, qvem huic epiſcopatui virum idoneum praeficere inſtituerit, reſpondit Rex: Qvem, niſi Forbeſium, celſiore, ut noſti, dignitatis gradu dignum? Proinde hunc accerſe, & juxta canones eccleſiaſticos, epiſcopum edenburgenum conſecra & renuncia. Archiepiſcopus literis ad Forbeſium ſcriptis, horum omnium certiorem facit, qvi paulo poſt auctoritate regia, annitentibus praeſulibus, communibus cleri ſuffragiis, ſecundum priſcos canones, *epiſcopus edenburg.* conſecratus & renunciatus eſt. Sed hic qvam ſubita mutatio! Dum epiſcopus Forbeſius multa praeclara parat, egregia molitur, paci & reformationi dioeceſeos ſuae apprime neceſſaria, ecce, graviori corripitur morbo, & mens praeſcia futuri, augurata eſt, inſtare ſibi ulti-

ultimum aevi terminum. Proinde tanta cum tranqvillitate mentis sese ad mortem componebat, ac si in alieno versaretur foro. Mox se recipiens in lectum, primumqve animae saluti prospiciens, sacram eucharistiam, extremum vitae viaticum, sibi administrari curavit, qvam sincera peccatorum confessione, & sacerdotali absolutione percepit: deinde, ne corpori curando deesset, medicos consulendos accersivit, qvi, qvantum per artem & industriam fieri potuit, indies vi morbi invalescenti obnitebantur, sed frustra, qvum indomita mali pertinacia ipsi qvoqve arti opprobrium faceret. Tandem cal. Aprilis anno 1634. cum episcopatum tres tantum menses tenuisset, & vitam annos 49. de praesidio & statione vitae ab imperatore summo evocatus, *animam exhalavit*, & qvidem placidissimo fine mitissimoqve, qvalem antiqvitas obvenire maximis saepe & sanctissimis viris observavit.

Corpus, animae hospitium, honorifice *sepultum est*, in templo cathedrali, Edenburgi, versus orientem, & compositum tumulo prope locum altaris illic olim siti.

Pauca scripsit: scire enim maluit, qvam scribere, & hoc dicterium scripturienti cuidam, & ei magnos labores ostentanti, lepide, sed solide usurpavit: *Lege plura, & scribe pauciora. Opus hoc posthumum*, qvod iam in lucem prodit, est pacati ingenii & moderati animi ingens specimen & indicium: in qvo tanqvam alter Cassander & catholicus moderator, rigidas & austeras utrius-

qve

qve tam reformatae qvam pontificiae partis opiniones in qvibusdam religionis controversiis componere, saltem mitigare satagit. Qvanti *moderationem* fecerit, ostendit dicto illo frequenter usurpato : *Si plures fuissent Cassandri & Wicelii, non opus fuisset Luthero aut Calvino.*

Scripsit etiam elaboratas & nervosas *Animadversiones in IV. Bellarmini tomos* in tribus voluminibus editionis parisiensis emissos, & eruditis notis sua manu exaratis margines omnes, infra, supra, & a latere, in utraqve pagina, tria volumina percurrens, replevit: qvas Robert. Baronius, S. theol. D. & professor ei succedaneus, vir in omni scholast. theologia & omni literatura versatissimus, tanti fecit, ut omnibus contra Bellarminum scriptis praetulerit, & nisi, proh dolor! immatura morte praeventus fuisset, prelo subjicere, & publici juris facere proposuerit. Jacueruntqve in ejus museo, post obitum disiectae *schedae plures eruditissimae*, qvibus theologicae controversiae non parum potuerunt illustrari; licet illas nobis inexpectata auctoris mors, magno rei literariae dispendio, hactenus inviderit.

Sic vixit, sic mortuus est episcopus Forbesius, vir vere apostolicus, antiqvitatis catholicae callentissimus, qvi nulli priorum, ab aevo apostolico, doctrina, sanctitate, humilitate, temperantia, modestia, gravitate, orationis & ieiunii publici & privati freqventia, bonorum operum praxi, industria pauperum cura, clinicorum crebra visitatione & consolatione, & omnivaria virtute christiana, erat secundus. Cuius beatam memoriam nullum tempus delebit, nulla vetustas obliterabit.

Consi-

Consideratio
aeqva & placida
controversiae de Justificatione,
prout qvinqve libris
a
Cardinale Bellarmino
in tomo IV. Controversiarum
explicata est.

Liber ejus primus de Justificatione, agit de fide justificante.

CAPUT PRIMUM.
De communi fidei distinctione in qvatuor species.

PLeriqve Protestantes qvatuor numerant fidei species, fidei, inqvam, qva creditur, non qvæ creditur. Eæ sunt, Historica, Miraculorum, Temporaria, & Justificans.

Fidem, qvam illi appellant *historicam*, qvia rem qvamlibet, prout in historia sacra describi-

tur, veram esse credit, idqve non nisi propter auctoritatem Dei revelantis, Romanenses, Patres secuti, * *dogmaticam sive catholicam*, appellare malunt. Vbi de rebus convenit, frustra de vocabulis litigatur. Seqvamur tamen potius Patres, qvam qvosdam recentiores in ipso etiam appellandi modo. Pag 2. edit. prior.)

Qvod Protestantes communiter affirmant, daemones eandem fidem historicam aut catholicam cum christianis habere, id faciunt propter illa S. Jacobi cap. 2. 19. *Etiam daemones credunt*, &c. Contendunt qvidem Romanenses, multum differre fidem hominum, etiam informem, & fidem daemonum; qvia scilicet daemones credunt non fide divinitus infusa, sed ex subtilitate naturæ, nec voluntarie, sed coacte; sed frusta hoc faciunt: agnoscunt enim Protestantes, inter fidem qvalemcunqve christianorum & fidem daemonum, multum intereſſe, ex parte subjecti & fidei utriusqve naturae & rationis; ex parte objecti tantum convenire affirmant.

Fidem miraculorum a fide catholica differre, contra Bellarminum de Justif. l. 1. c. 5. & 15. aliosqve cum illo sentientes, probant Protestantes ex 1. Cor. c. 12. 9. ubi inter *dona spiritus*, qvae non omnibus fidelibus donantur, numerat apostolus *fidem*: fides enim, de qva ibi apostolus, tantum est gratia gratis data, h. e. ad aliorum utilitatem proprie concessa; qvemadmodum & alia charismata

* Dogmaticam sive cathol.] Bellarm. l. 1. de Justif. c. 4. p. 299. Walenburchii fratres T. 2. 46.

sinata ibidem ab apostolo eumerata. Fides autem catholica pertinet ad gratiam gratum facientem, & propter propriam salutem unicuiqve donatur. Consentiunt veteres, graeci praesertim, Chrysostomus, ejusq; abbreviatores Theophylactus & Oecumenius, item Theodoretus, & Hieronymus, sive qvis etiam alius in locum. Illud etiam cap. 13. 2. *Si habuero omnem fidem*, &c. de fide signorum intelligunt graeci Patres, non de catholica fide. Suffragantur qvoqve multi theologi romanenses, agnoscente Suarezio ipso disp. 8. de fide sect. 1. * Abulensis in 17. Matth. qvaest. 165. Vega l. 9. in Concil. trident. c. 28. & * Roffensis art. 1. qvi sentiunt, fidem miraculorum esse fiduciam, & conseqventer differre a fide catholica, qvae est credulitas seu assensus. Vasqvez in primam 2. tom. 2. disp. 210. cap. 4. Idem contra Bellarminum aliosqve defendit, & ad argumenta contraria respondet Salmero in 1. Cor. disp. 20. & 21. Estius in 1. Cor. 12. 9. & 13. 2. Sed disputatio haec non est adeo magni momenti; nam & sententia opposita, qvod fides signorum nihil aliud sit nisi ipsa fides catholica, sed excellens & eximia, sua non destituitur probabilitate. Praeterea hoc tempore, qvando, licet non omnia omnino, miracula fieri desierunt, gratia tamen miraculorum, ut Patres saepe affirmant, desiit, fere inutilis est: fides enim miraculorum nunqvam donata fuit,

* Abulensis] Id est, Alphonsus Tostatus, natione hispanus, episcopus abulensis:
* Roffensis] Id est, Joh. Fischerus, episcopus roffensis.

omnibus fidelibus, sed qvibusdam tantum, initio qvidem multis, postea vero paucioribus, nunc autem pauciſſimis, aut fere nullis. Pag. 3.)

Fides πρόσκαιρος vel temporaria, ſive potius τῶν προσκαίρων & temporariorum, qvi, ut S. Lucas c. 8. 13. ait, ad tempus credunt & tempore tentationis recedunt, vera fides eſt & non ſimulata, ejusdemqve ſpeciei cum fide juſtificante, qvicqvid qvidam contra ſentiant. Neqve enim eſſentialem fidei diſtinctionem conſtituit inconſtantia vel conſtantia credendi, cum ad eſſentiam rei non faciat duratio. Diſtinctionem hanc non niſi ii probant Proteſtantes, qvi fidem veram & juſtificantem amitti non poſſe contendunt: qvod dogma plurimi alii Proteſtantes docti & moderati rejiciunt. Qva de re fuſius infra. Reſtat, ut de *fide juſtificante* dicamus.

CAPUT II.

De natura fidei juſtificantis.

FIdes juſtificans proprie non eſt notitia, ſed haec illius eſt antecedens: * fides enim proprie aſſenſus eſt, & qvidem aſſenſus certus atqve firmiſſimus, ob auctoritatem primae veritatis. Aſſentiri autem Dei verbo myſteriisqve eodem contentis ſine notitia & intelligentia, ſaltem aliqvali & ſecundum τὸ ὅτι, non poſſumus, ut dictat ſenſus communis. Exactam & explo-

* Fides proprie aſſenſus eſt] Bellarm. l. 1. de Juſtif. c. 4. p. 299.

exploratam intelligentiam mysteriorum, etiam qvoad τὸ διόλι, a Protestantibus ad fidem justificantem exigi, mera est calumnia. De *fide implicita*, de qva hodie inter partes controvertitur, qvomodo intelligenda & qvatenus admittenda sit, non est nostri instituti, nunc differere. Conferantur, qvi hodie controversias fidei copiosius (utinam & solidius!) tractant. Fidem *explicitam* primorum & fundamentalium articulorum, qvi symbolo apostolico continentur, omnibus christianis, qvantum cujusqve capacitas fert, necessariam esse, docent Romanenses, & qvidem recte. In reliqvis articulis sufficere aiunt* *fidem implicitam* communi fidelium plebi, & si credant, qvicqvid S. mater Ecclesia rom. credit, & credendum tenet; sed hujusmodi fides, si modo *fidei* nomen coecus assensus & stupor meretur, hoc tristi & infelici seculo non est facile admittenda. Nam qvot, proh dolor, errores, si non contra fidem, saltem præter fidem, sub nomine tamen *fidei*, communiter hodie in ecclesia rom. docentur, & tanqvam fidei articuli omnibus obtruduntur! Pag. 4.) Verba illa Bellarminide Justif. l. 1. c. 7. *Fidem melius per ignorantiam, qvam per notitiam definiri*, licet valde cruda sint, & incommode ab illoprolata, qvia tamen limitate & comparate tantum dicta videntur, non esse adeo odioseexagitanda duco, qvemadmodum hodie fit a compluribus Protestantibus.

* Fidem implicitam] Autor Compendii Reg. fid. cathol. Veronianae. 219.

Neqve etiam fides justificans proprie est fiducia, sicut permulti contendunt, ipsam formam, & qvasi animam fidei salvificæ in fiducia constituentes. Non est *fiducia specialis misericordiæ sive remissionis peccatorum ante acceptae.* Hæc enim fiducia, vel etiam, si vis, assensus, qvo speciali qvadam applicatione singulatim qvisqve credit aut certo statuit, sibi esse remissa peccata, non est fidei justificantis forma, sed qvoddam tantum, conseqvens & effectum, & non fidei solius, sed & aliarum virtutum fidem comitantium; neqve etiam necessarium aut inseparabile effectum, ut suo loco dicemus. Qvis enim certo statuere potest, sibi peccata remissa esse, nisi ante crediderit, Christum esse salvatorem mundi, eiqve omnino parendum esse? Praeterea diffiteri non possunt Protestantes, neqve ulli christiani, remissionem peccatorum esse fidei consequens & effectum, qvandoqvidem per fidem impetratur, sicut dicitur: *Vt accipiant remissionem peccatorum per fidem, qvæ est in me.* Act. 26. 18. Ac proinde fides justificationem, ordine saltem naturae & causalitatis, etsi non tempore, antecedit. Perperam igitur fides justificans definitur, Fiducia peccatorum in praeterito remissorum. Videatur apost. ad Eph. 3. 12. ubi diserte fiduciam fide posteriorem statuit: *In qvo habemus aditum cum fiducia per fidem ipsius.* Nec est fiducia, qva qvisqve nostrum credit, nobis remitti peccata *in praesenti*, * prout alii volunt, prioris sententiae absurditate perspecta: (vide Cen-

* Prout alii volunt] G. Calixt. Consid. doctr. pontif. 16.

Censuram Confess. Remonstr. pag. 159. aliosqve permultos) nam fides justificans est instrumentum vel medium, per qvod remissionem peccatorum conseqvimur: qvocirca causa ejusdem, & ordine naturæ saltem prior. Deinde sive dicamus, fide justificante credi, peccata esse remissa, sive in praesenti remitti, remissio semper fidei objectum statuitur, ac proinde natura fidem praecedit: neqve enim objectum efficitur per actum illum ipsum, cujus est objectum; qvia actus intellectus vel voluntatis, saltem creatae, non facit objectum suum, sed illud semper praesupponit: sicut visio non facit objectum visibile, sed supponit illud. Pag. 5.) Doleo igitur, Danielem Chamierum virum alioqvin nec indoctum nec indisertum, Panstrat. suae Cath. tom. 3. l. 13. de fide c. 6. adeo inconsiderate has ipsas ob rationes affirmare n. 3. *fidem justificantem si non tempore, saltem ratione, seqvi justificationem*, & n. 4. *fidem non esse causam justificationis.* Itaqve dicit, *fidem justificare, non qvia efficiat justificationem, sed qvia efficitur in justificato & reqviritur a justificato.* Et rursus lib. 22. cap. 12. Haec absurdissima sunt, neqve protestans qvisqvam sanus & sobrius negaverit, fidem esse causam justificationis efficientem, non principalem qvidem, neqve meritoriam, sed instrumentalem, qvalem particulae EX & PER (ut recte ex apostolo Rom. 5. 1. & 3. 30. urgent Romanenses) significant, ac proinde justificatione semper ordine naturae priorem esse. Vid. G. Dounamum de Fœdere gratiae, cap. 8. p. 95. 96. Poro,

ro, qvi contendunt, *fidem justificantem esse fiduciam remissionis peccatorum, ut factae, sive in praeterito, sive in praesenti*, non solantur afflictas mentes, qvemadmodum existimant; sed plurimis consolationem omnem eripiunt plane, & in desperationis gurgitem tantum non demergunt. Qvot enim piae animae promissionibus evangelicis firmiter & ex animo credunt & assentiuntur, atqve etiam in Christum unum & unice recumbunt, qvibus tamen peccata sua remissa esse non sit certo, nedum fide divina persvasum, qvanqvam id unum omnium maxime vellent? Destituunturne hi fide saultari ac proinde salutis incapaces sunt? Absit, ut hoc dicamus. Vide * Mayerum anglum in cap. 2. Iac. v. 19. p. 30. 31. aliosqve. Neqve etiam fides justificans proprie est fiducia veniae peccatorum & aeternae salutis per & propter Christum *obtinendae*, prout alii paulo moderatiores volunt; nam & haec fiducia ex fide nascitur, Eph. 3. 12. atqve in voluntate est, cum fides in intellectu sit sita. Verum qvidem est, ista duo in justificatione peccatoris nexu individuo semper esse conjuncta: unde & saepe in scriptura *fidei* nomen pro fiducia usurpatur; qvod etiam multi Romanenses confitentur, teste Suarezio disp. 1. de Fide, sect. 1. n. 5. & de Gratia lib. 8. c. 15. n. 2. & res per se clara est; non tamen propterea ista duo confundenda sunt. Confusio rerum distin-

* Mayerum anglum] Hic Mayerus, praenomine Johannes, commentatus est etiam in IV. Evangelistas, Acta & Epistolas Paulinas.

distinctarum multas, proh dolor, lites minime necessarias cum in hoc argumento, tum etiam in aliis, peperit, atqve indies parit fovetqve in ecclesia. Pag. 6.)

Distinctionem fidei & fiduciae, praeter multa scripturae loca & Patrum testimonia, qvae vulgo citantur ab iis, qvi de rebus hisce fusius disputant, & ad qvae a contra sentientibus nihil praeter mera χρησφύγετα, & inanes rationes hactenus allatas, reponitur, distinctionem, inqvam, hanc suis etiam suffragiis comprobant plurimi doctissimi Protestantes, licet non omnes eadem mente & ratione. Videatur Beza in annot. ad Eph. 3. 12. P. Martyr in c. 11. ad Rom. tract. de Justificatione pag. 520. Richardo Smith, anglo romanensi, distinctionem hanc urgenti ex loco ad Eph. saepius citato, ultro concedit, *fidem & fiduciam differre*, deinde benigne illorum theolog. protest. qvi ista confuderunt, verba explicans, inqvit: *Qvid aliud ferme sibi vult Philippus aliiqve nostri fideles doctores, cum fidem, qva justificamur, appellant* fiduciam, *nisi eam non esse mortuam, non ignavam, non humanam persvasionem, sed tam vehementem assensum, ut ipsam fiduciam habeat qvam intimam & conjunctissimam?* Zanchius in locum ad Eph. 3. 12. & in Miscellaneis, p. 488. ubi affirmat, eandem fuisse Buceri sententiam multis ab illo demonstratam in lib. de Reconciliatione ecclesiae art. de Justif. Piscator Resp. ad Duplic. Vorstii parte 2. p. 294. & in Exegesi aphorismorum pag. 206. J. Rivius de Mysterio redemtionis, lib. 3. pag. 237.

Jac. Ad Portum, theologus lausannensis, in Defensione fidei orthod. contra Ostorodium cap. 30. *Ex qvibus verbis* (*Eph.* 3. 12.) *luculenter*, inqvit, *apparet, verum esse id, qvod præstantissimi theologi, Calvinus & Beza, observarunt, nempe fiduciam a fide, tanqvam effectum a causa, differre, ac proinde a nonnullis perperam confundi, qvamvis illa duo indissolubili nexu, qvoties de fide justificante agitur, cohaereant.* Ibidem & fuse docet, *haec duo differre, non tantum ut causam & effectum, sed etiam subjecto, actu, & objecto*, & tandem sic concludit: *Qvi aliter sentiunt, atqve haec confundunt, summis difficultatibus se involvunt, ex qvibus se expedire neqveunt.* Theologi remonstr. in Epist. ad exteros, pag. 85. 86. in Scriptis synodalibus historicis, pag. 108. in Confes. sua cap. 11. sect. 2. & Apolog. pro Confes. 5. pag. 109. *&c.* (a) Archiepiscopus Spalatensis de Repub. eccles. lib. 7. cap. 11. n. 205. Jacksonius anglus de Fide justif. pag. 108. Chibaldus itid. anglus, in Fidei Exam. cap. 3. prolixe refellit sententiam, ut appellat, Lutheranorum, (qvanqvam etiam multi alii in eodem luto cum illis hæreant) qvi fidem justificantem per fiduciam remissionis peccatorum acceptæ definiunt; errat tamen & ipse cum multis aliis, (vide (b) Pemblium in Vindiciis gratiae, pag. 257.) qvando fidem justificantem definit per *fiduciam, qva in Christum recum-*

(a) Archiep. Spalat.] M. Ant. de Dominis.

(b) Pemblium] Qvem Kõnigius in Biblioth. V. & N. vocat Pembelium, nec sane male; qvoniam *Pemble* Anglis pronunciatur, ut Germanis Pembel. Opera ejus prodierunt anglicano idiomate Londini, A. 1635.

recumbimus pro gratia & salute per eum obtinenda. Vide Georg. Dounamum de Fœdere gratiae cap. 8. pag. 77. 78. & in Appendice 7. pag. 211. fuse hac de re contra Pemblium differentem. Plures non est necesse in re tam aperta nominare.

Pag. 7.) *Fides justificans*, distincte & theologice loqvendo, nihil aliud est, qvam assensus animi firmus ac certus a Sp. S. per verbum eductus, qvo omnia a Deo in scripturis revelata, ac praesertim de mysterio redemtionis & salutis nostræ per Christum factae, verissima esse statuimus, propter auctoritatem Dei revelantis. Proinde in se & essentia sua spectata, nihil est aliud, qvam fides catholica, qvae & ipsa proculdubio hominem justificat, si caetera omnia ad justificationem necessaria, ei adsint. Ejusqve *subjectum* est intellectus, non autem voluntas; qvanqvam τὸ credere a voluntate imperetur: est enim fides voluntarius animae assensus. Theodoretus Therap. lib. 1. *Caetera potest homo nolens*, (S. Augustin. tract. 26. in Joh.) *sed credere non nisi volens.* Et cum *cordi* actus credendi tribuitur in scriptura, mens intelligitur; cum credere proprie loqvendo nihil aliud sit, qvam ei qvod dicitur assentiri, illudqve pro vero habere. Hactenus enim pluribus est demonstratum, fiduciam nullam fidei partem esse, ut *neqve proprie spes est*: fiducia enim non est tantum futuri fiducia, sed etiam praesentis, veluti cum qvis fidit suo robori, dum sarcinam portat, vel celeritati, dum currit; magis tamen ad spei naturam accedit, qvam ad fidei. Vnde dicitur esse

se *spes roborata.* Multis scripturae & Patrum testimoniis haec sententia confirmari posset, sed qvia brevitati studemus, lectorem ad eos, qvi hisce de rebus copiosius scribunt, remittentes, audiamus, qvid plurimi etiam Protestantes hac de re sentiant. Andr. Rivetus, scriptor nuperus, in sua Controversiarum Summa tr. 4. q. 10. pag. 419. fatetur, hanc, esse qvorundam Protestantium sententiam, qvam nec damnare audet. Idem tamen aliorum errorem secutus, ibidem pag. 421. & in Synopsi illa vulgo jactata & trita purioris theologiae, disp. 31. sect. 14. 15. 16. 17. contendit, fidem justificantem non esse habitum unum numero simplicem absolute, sed *unum aggregatione*, & qvodam modo ex duobus compositum, nimirum & assensum in intellectu, & fiduciam in voluntate continere. Pag. 8.) Beza in Apol. pro Justif. contra anonymum saepe idem affirmat p. 9. 33. 114. 167. edit. 1592. Jacobus Ad Portum loco supra cit. Piscator in Resp. ad Vorstii Duplicationem parte 2. p. 294. ubi loca illa Rom. 4. 20. cap. 10. 10. & Act. 15. 9. qvae ad sententiam contrariam confirmandam adduci solent, non de fiducia, sed de mentis certa persvasione intelligenda esse, contendit, argumento etiam communi, sed solido usus: *Nullus habitus in subjectis, genere diversis, ut sunt intellectus & voluntas, simul esse potest.** Gerardus Vossius in Historia Pelag. pag. 407. & seq. R. Hookerus lib. 1. de Politia ecclesiast. sect. 11. J. Camero Operum tom. 1. pag. 78. & tom. 2. p. 359.

* Gerardus Vossius] Nomen ei fuit Gerardi Joannis.

*p.*359. Plures non cito: neqve enim necesse est in re tam clara. Qvocirca Alsted. Theolog. polem. part. 7. *pag.* 641. inter qvaestiones, qvae inter protestantes theologos ventilantur, hanc ponit, n. 20. *An fides sit in intellectu tantum, vel etiam in voluntate?* Fidem qvidem fiduciam, charitatem & alia dirigere & gubernare, verum est; non tamen est idcirco in earum virtutum potentiis, qvemadmodum prudentia in omnibus virtutibus vim exercet suam & operatur, non tamen in omnium illarum potentiis inhaeret.

Generale & adaeqvatum objectum fidei justificantis est omnis veritas a Deo in scriptura revelata, fatentibus omnibus Protestantibus: ut frustra sint Bellarm. aliiqve, operose hoc contra illos probantes, qvod ipsi non negant. Dico, *in scriptura*: qvia regula adaeqvata & infallibilis, cui fides salvifica innititur, in solis scripturis actu aut virtute continetur. Aliud qvidem sentiunt hodie multi Romanenses contra scripturam & Patres, aliosqve etiam theologos in ipsa romana ecclesia celeberrimos; sed disputatio illa non est hujus loci. *Principale* tamen *objectum illius*, qvodqve prae aliis fideles respicit in ipso justificandi actu, est Christus ut mediator, & redemtio per illum facta, ut patet ex clarissimis scripturae locis, Act. 13. 38. 39. ad Rom. 3. 21, 22. aliisqve innumeris. Neqve hoc negant Romanenses: qvia *justificatio impii*, ut inqvit Thomas 1. Summae q. 45. art. 6. *pertinet ad bonitatem & misericordiam Dei, se superabundanter diffundentem. Hanc autem non est invenire extra Chri-*

Christum & salutem in illo oblatam. Stapletonus de Justif. lib. 8. *cap.* 12. *Fides justificans seu disponens ad justitiã, principaliter qvidem respicit Christum, ut mediatorem, & redemtionem per illum factam, non tamen unicum est illud fidei justificantis objectum.* Pag. 9.) Svarez de Gratia, lib. 8. *Fides Dei, ut justificatoris per Christum, est qvasi propria fides justificans.* Qvod confirmat ex Paulo *Rom.* 4. 5 *Credenti in eum, qvi justificat impium, fides ejus reputatur ad justitiam,* & ex Concil. trid. decreto de Justificat. cap. 6. dum post generalem fidem eorum, qvae revelata sunt, additur: *Atqve illud imprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus.* Cornelius a Lapide in Rom. 1. 17. n. 6. *Fides, qvae inchoat justitiam,* (qvidni etiam, qvae continuat provehitqve?) *proprie & proxime est fides in Christum redemtorem.* Jac. Reihingius, cum adhuc jesuita esset, & qvidem non obscuri nominis in Germania, (postea enim se Lutheranis adjunxit) contra Meisnerum, ut legere est in Meisneriana Excubiarum papisticarum Depulsione, pag. 106. *Meisnerus fidem relate sumtam, ut est apprehensio meritorum Christi, a Pontificiis non agnosci scribit. Audax calumnia. Audiamus Trid. Synodum.* Deinde recitatis verbis decreti *cap.* 6. *Ita,* inqvit, *si imprimis credimus, impium justificari per redemtionem in Christo, si fidimus, deum nobis propter Christum propitium fore, qvomodo fidem in Christi merita relatam & fiduciam remissionis per Christum obtinendae abjicimus, &, ut Meisnerus blaterat, exsibilamus?* Nemo Romanensium, nisi male sanus hoc negaverit. Vt male Protestan-

stantes qvidam hujus contrarium illis impingant.

CAPUT. III.

An fides sola justificet?

QVaestio haec plerisqve utriusq; litigantium partis tantae molis esse videtur, ut de ea immortali dissidio & bello irreconciliabili sibi contendendum esse putent: Qvam vere, nunc in timore Domini, & sepositio omni partium studio, dispiciamus.

Protestantes omnes, qvi sola fide nos justificari contendunt, semper tamen fidem vivam intelligi volunt & per charitatem operantem, scilicet operibus & charitati conjunctam, proposito saltem bene operandi, cum videlicet bona opera specialiter praestari non possunt. Proinde in hac propositione, *Fides sola justificat*, particulam *sola*, non subjectum, sed praedicatum determinare volunt. Pag. 10.) Hanc esse communem Protestantium sententiam, non diffitentur ipsi Romanenses, qvando sobrie agunt. Bellarminus de Justif. lib. 1. cap. 14. sect. *Respondebun*, pluribusqve aliis in locis. Stapletonus, qvanqvam adversarius vehemens, de Justif. lib. 9. cap. 7. *Denique omnes, ad unum Protestantes docent, fidem, qvae justificat, esse vivam, & operantem per charitatem aliaqve omnia bona opera.* Cui sententiae firmandae citat Calvini verba Institut. lib. 3. cap. 16. sect. 1. *Non somniamus.* Qva igitur fide, aut charitate saltem, Bellarminus, cum aliis plurimis Romanen-

nensibus, impingit, per distortas consequentias, *omnibus hujus temporis sectariis*, ut Protestantes mos illi solennis est appellare, impiissimam haeresin Simonis & Eunomii, eorumque, qui tempore Apostolorum exorti, (August. lib. de Fide & operibus cap. 14.) solam fidem sine operibus ad salutem sufficere asseruerunt? lib. 4. de Eccles. cap. 9. sect. *Simoniani*. Negari non potest, multa incommodius duriusque a Lutheranis aliisque nonnullis rigidioribus Protestantibus in hoc argumento dicta, quibus tamen non tam impugnare illi individuum bonorum operum cum fide justificante nexum, quam coram divinae justitiae throno ad actum justificationis concursum negare censendi sunt, modo charitas adsit; ab istiusmodi tamen periculosissimis hyperbolis durissimisque catachresibus nimis patienter huc usque auditis, quacunque demum ratione excusari possint, abstinendum est, nec in ecclesia diutius ferendæ sunt, nisi hominum quorundam novorum auctoritatem divinae veritati anteferre velimus.

Qui ad nauseam usque ex Augustino de Fide & operibus, cap. 14. repetunt, *Bona opera sequi justificatum, non autem praecedere justificandum*, nae illi mentem Augustini nunquam sunt assecuti: loquitur enim eo loco Augustinus *de operibus justitiae, quae* * *percepta ac professa fide*, ut ipse ait, fidelibus deinde diligenter toto vitae cursu *praestanda sunt*, seu de operibus illis, quae per justitiam habitualem i. e. in ipsa justificatione infusam,

* *Percepta*] Al. praecepta.

fusam, inhaerentem, & permanentem efficiuntur, (semper enim Augustinus, ut hoc obiter dicam, justificationis gratiam non in sola peccatorum remissione, sed etiam in sanctificatione statuit, de qvo infra) atqve sic speciali qvadam ratione dicuntur bona opera, non autem de iis, qvae per Sp. sancti gratiam assistentem & praeparantem fiunt, ante & ad justificationem peccatoris. Legatur locus, ut & liber de Sp. & litera, ad qvem Augustinus lectorem ibidem remittit c. 29. Pag. II.) *Per spiritum incorporatus, factusqve membrum ejus, potest qvisqve, illo incrementum intrinsecus dante, operari justitiam.* Et in Ps. 110. Opera illa justificationem praecedentia non facimus per spiritum inhabitantem & specialem justificationis gratiam, sed per spiritum extrinsesus praeparantem & assistentem, ut Augustinus clarissime distinguit (atqve cum eo omnes theologi doctiores) epist. 105. ad Sixtum, & per gratiam vocationis & conversionis.

Graviter errant, *qvi nullam Dei gratiam praeter unicam in justificatione infusam agnoscunt*, vel saltem hanc omnibus aliis praeire contendunt, qvum fidem, saltem natura, justificationem praecedere, negari non possit; qvam certe non ex nobis, sed ex Christi gratia praeveniente habemus. Vide Colloq. Altenburgense pag. 147. & Robertum Rollocum de Vocatione cap. 33. pag. 279. cap. 38. pag. 325. & 328. & G. Dounamum de Fœdere gratiae, in Appendice pag. 198. Rectius ergo alii saniores & moderatiores Protestantes ul-

tro concedunt, varios actus dispositorios & praeparatorios, per Spiritum S. assistentem, & non per solas arbitrii nostri vires in nobis productos, ante justificationem reqviri, qvanqvam vim aliqvam justificandi eosdem habere negent illorum pleriqve, ut Pareus contra Bellarm. de Justif. lib. 1. cap. 3. pag. 35. Dicta qvidem scriptave omnia, qvae pro singulis hisce actibus dispositoriis communiter a Romanensibus aliisqve citantur, (ut illud Rom. 8. 24. *Spe salvi facti sumus.* Lucae 7. 47. *Remissa sunt ei peccata multa, qvoniam dilexit multum*) licet solide non probent intentum, graviter tamen errant ii, qvi rem ipsam propterea negant, qvae ex aliis innumeris scripturae locis certissima est. *Dispositorios hosce actus* ex fide & gratia praeveniente factos, recte negant omnes Protestantes, *justificationem ulla ratione vel etiam de congruo mereri*, sed id idem inficiantur plurimi Romanenses contra Bellarm. lib. 1. de Justificatione cap. 21. ut Dom. a Soto lib. 2. de Natura & gratia cap. 4. Stapletonus de Justif. lib. 8. cap. 16. cujus verba, qvia observatu digna sunt, huc adscribam: *Non excluduntur a justificatione opera gratiae & specialis auxilii, concurrentia cum fide, & disponentia ad remissionem peccatorum, qvae, tametsi dicantur concurrere cum fide, non merentur tamen, ullo sensu, justificationem primam, ut inferunt ex nostra sententia adversarii. Nam illud* meritum de congruo, *respectu primae gratiae, jam ex scholis catholicis paene explosum est.* Pag. 12.) Alvarez de Auxil. grat. lib. 7. disp. 59. n. 10. *Qvae etiam sententia*

tentia est, ut ait, *multorum gravissimorum Thomistarum.* n. 8. Qvod etiam confitetur Andreas Vega (qvanqvam ipse secutus Scotum, contrarium defendat) lib. 8. de Justif. cap. 8. sect. *Qvia*, & in opusculo de Justif. 9. 7. sect. *Qvarta propositio.* Paulus Benius de efficaci Dei auxilio cap. 18. Hosius in Confess. Petricov. tom. 2. cap. 13. pag. 51. aliiqve plurimi, qvibus citandis supersedeo. Favet scriptura, qvoties *gratis & per gratiam nos justificari* dicit: favent & Patrum testimonia, Augustini praesertim. Qvanqvam & qvaedam ex illo contrasentientes proferre soleant propter *meriti* sive *merendi* vocabulum late & laxe ab illo, pro impetratione seu consecutione de facto, hac in causa nonnunqvam usurpatum: favent deniqve & illa verba Concilii trid. sess. 6. cap. 8. in qvibus nulla omnino adhibita meriti distinctione, *gratis justificari ideo dicimur, qvia nihil eorum, qvae justificationem praecedunt, sive fides sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.* Neqve tamen idcirco dispositorios hosce actus vim ullam justificandi habere, negandum est cum plurimis Protestantibus: Nisi enim plurimis, & qvidem clarissimis scripturae locis vim apertam inferre velimus, concedendum est, eos esse *causas* ipsius *justificationis aliqvo modo efficientes*, non qvidem per modum meriti ullius vel levissimi ac tenuissimi, sed ex sola Dei benignitate ac gratuita promissione.

De fidei ipsius causalitate qvis sanus dubitet? qvis etiam dubitet de causalitate fiduciae veniae

propter Chriſtum conſeqvendae, in qva tot Proteſtantes ut ſupra dictum, ipſam veluti animam fidei juſtificantis collocant, licet revera ad ſpem pertineat? *Nemo*, inqvit Ambroſius lib. 1. de Pœnit. cap. 1. *poteſt bene agere pœnitentiam*, (ac proinde nec a peccatis juſtificari) *niſi qvi ſperaverit indulgentiam.* Qvis autem a Deo indulgentiam certo firmiterqve ſperaverit absqve aliqva, ſaltem imperfecta & inchoata, Dei dilectione? *Pœnitentiam*, qvae ſine ſpe & dilectione Dei non fit, non tantum ad juſtificationem diſponere, ſed & medium eſſe conſeqvendi remiſſionem peccatorum, ideoqve rationem aliqvam cauſae obtinere, clariſſime probant illa ſcripturae loca Ezech. 18. 21, 22. & 27. Lucae 13. 3. Act. 2. 38. cap. 3. 19. 1. Joh. 1. 7. & 9. ut alia infinita mittamus. Qvibus certe locis non tantum docetur, qvi qvalesve ſint, qvibus peccata remittuntur, ut frigide ea diverſum ſentientes Proteſtantes explicant, ſed & qvam ob cauſam, cauſam, inqvam, ſuo modo & in ſuo genere, vel ſub qva conditione remittantur. Pag. 13.) Inter alios Proteſtantes videatur Vorſtius in Scholiis Alexicac. contra * Sibrandum p. 248. Nihil freqventius apud Patres legas, qvam *per pœnitentiam peccata deleri, ablui, purgari, ut per medicinam abſtergi.* Idem etiam affirmant doctiores qvidam Proteſtantes, & qvotqvot hoc contentioſo & pugnaci ſeculo pacis & concordiae inter partes ſtudioſi fuere. A. Fricius lib. 4. de Eccleſia

* Sibrandum] Cognomine Lubbertum.

clesia cap. 11. * Archiep. Spalat. de Rep. eccles. lib. 7. cap. 11. n. 210. & seq. Zanchius de Religione cap. 18. de Pœnit. th. 1. Vorst. in Antibellarm. p. 444. circa finem, & contra Sibrandum passim, Remonstrantes in Apolog. c. 21. p. 237. Franciscus Whiteus contra Fisherum p. 186. Sed hac de re paulo post pluribus agemus. De *Orationis* etiam vi, qva supplices a Deo cum publicano aliisqve omnibus piis postulamus veniam peccatorum, ut eandem consequamur, sic edocti ab ipso Servatore nostro, *Dimitte nobis debita nostra*, uti de aliis qvibusdam praeviis actibus, qvid attinet dicere? res enim ipsa sole meridiano clarior est. Neqve tamen non ideo gratis justificamur, qvemadmodum scriptura docet: nam in his nihil omnino meriti ponimus, non magis qvam in fide ipsa, qva certum est, nos instrumentaliter justificari, neqve tamen idcirco non omnino gratis. Amandus Polanus, scriptor alioqvi rigidus, vi tamen veritatis coactus, in sua Symphonia catholica cap. 27. De Remissione peccatorum p. 951. hanc ponit thesin, tanqvam communi omnium Protest. sententiae, & Patrum doctrinae maxime consentaneam: *Remissionem peccatorum respiscentia, confessione, precibus, lachrymis ex fide profectis impetramus, sed non meremur proprie loqvendo, ac proinde impetramus remissionem peccatorum non merito poenitentiae & precationis nostrae, sed misericordia & benignitate Dei.* Qvam thesin, post ejusdem declarationem satis

 sanam,

* Archiep. Spalat.] M. Antonius de Dominis.

sanam, confirmat qvibusdam clarissimis Patrum testimoniis : qvibus infinita alia adjicere possemus, nisi res ipsa clarissima ac certissima esset. Utinam omnes Protestantes hanc sententiam sic a Polano expressam constanter profiterentur: nihil enim fere litis hac de re inter saniores utriusqve partis amplius supereresset. Cconradus Pellicanus in Levit. 5. 19. *Multae etiam apud Christianos sunt viae conseqvendi remissionem peccatorum , de qvibus Origen. hom. 2. in Levit. & Cyrillus post eundem lib. 2. supposititio.* Pag. 14.) *Qvae & abbreviata invenies in Glossa ordinaria super 2. cap. Levit. sc. baptismus, martyrium, eleemosyna, remissio in delinqventes contra nos , conversio impiorum verbo & exemplo procurata, charitatis insignia opera , humilis confessio, facta vel Deo , vel cum lacrymis & cordis amaritudine homini.* Haec qvidem damnant rigidi & pertinaces zelotæ , imprimis Lutherani, tanqvam cum doctrina Romanensium coincidentia , C. H. Eckhardus in Fascic. controvers. c. 14. de Justificatione. qvaest. 1. & I. Himmelius in suo Calvino-papismo parte 1. c. 7. p. 63. aliiqve. Sed qvid aliud, lector cordate, ab istiusmodi hominibus exspectes, qvi non tam judicio, qvam insana contradicendi libidine in scribendo ducuntur ? Eadem legere est de vi & efficacia *pii fletus & jejunii* in delendis peccatis nostris per immensam Dei misericordiam, apud Rich. Hookerum l. 5. Eccles. Politiae sect. 72. p. 391. contra inanes Puritanorum cavillationes, & apud Gul. Corelum in sua pro Hookero Apologia

gia art. 6. p. 42. & apud Franciſc. Whiteum in Orthodoxae fidei Explanatione, p. 17.

Communiter tamen fere Proteſtantes *fide ſola nos juſtificari* docent, & qvidem non per modum diſpoſitionis, ut Romanenſes loqvuntur, ſed per modum inſtrumenti, hoc eſt, nulla alia re juſtificationem accipi, vel, ut ipſi loqvuntur, apprehendi, niſi fide. Hic primum inanes & inutiles qvasdam logomachias, partibus nimium familiares, paucis tollamus, poſtea de re ipſa fuſius dicturi. Juſtificamur nos fide per modum cum diſpoſitionis, tum inſtrumenti, haec enim duo non repugnant; ſiqvidem fides atqve etiam caeterae praereqviſitae diſpoſitiones inſtrumenta qvaedam ſunt juſtificationis noſtrae, ſive, qvod eodem redit, media, per qvae, ex dei promiſſo, remiſſionem peccatorum conſeqvimur. *Aliqvi* (inqvit Toletus Rom. 3. Annot. 17. pag. 152.) *has diſpoſitiones ad juſtitiam, ſolent appellare* inſtrumenta interna juſtificationis; *Concilium tamen tridentinum non uſum eſt ea forma loquendi, quamvis vera ſit, ſed* diſpoſitiones *nominavit.* Archiep. Spalat. lib. & capite ſaepe citatis n. 216. affirmat, *opera diſpoſitoria remiſſionem peccatorum ſecum, ſi debite fiant, ex divina benignitate & promiſſione, aliquo modo ſive diſpoſitive, ſive inſtrumentaliter, afferre.* Et paulo ante n. 213. *Sunt & alia multa, quibus Deus, tanquam diſpoſitionibus, aut fortaſſe etiam tanquam inſtrumentis, promiſit remiſſionem peccatorum.* Non fuit neceſſe, adeo timide & dubitanter loqvi, cum res

ipsa vera & certa sit. Pag. 15.) Qvod per fidem, tanqvam organum, gratiam justificationis accipi vel apprehendi dicunt Protestantes, nae illi Romanenses (ut Stephanus Gardinerus, episcopus qvondam wintonienſis, Colloq. ratisb. A. 1546. pag. 524. Bellarm. lib. 1. de Justif. c. 16. sect. *Restat caput tertium.* & rursus sect. *Dicent excludi.* aliiqve nonnulli) nimium morosi censores sunt, qvibus ista loqvendi forma improbatur, praesertim propter verbum *apprehendendi:* eodem enim modo loqvuntur etiam multi doctissimi Romanenses. Perer. in Rom. 5. 2. *Fides est quasi medium quoddam, per quod apprehenditur justitia, & tanquam organum, per quod virtus mortis Christi ad nos derivatur.* Maldonat. in Joh. 6. 29. *Per fidem Christum consequimur, apprehendimus & possidemus.* Videatur & Estius in Rom. 3. 28. Claudius Espencaeus in 1. Tim. 6. 12. ubi horum novorum criticorum temeritatem recte castigat. Vulgatus latinus interpres Rom. 9. 30. *Gentes, quae non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam.* Non aliter certe, qvam fide. Sed meminerint etiam Protestantes permulti, verbum (atqꝫ etiam verbo significatam actionem) *accipiendi* vel *apprehendendi* non nimis superstitiose soli fidei tribuendum esse; nam etiam bonis operibus salutem accipere sive apprehendere in scriptura dicimur. 1. Tim. 6. 12. *Certa bonum certamen fidei, apprehende i. e.* ut apprehendas *vitam aeternam.* & ibidem versu 19. *Mone, ut divites benefaciant, & apprehendant vitam aeternam.* Ad Philip.

lip. 3. 12. *Non quod jam accepimus, &c. sequor autem, si quo modo apprehendam.* 1. Cor. 9. 24. *Sic currite, ut apprehendatis, i. e.* ut brabium accipiatis. Verbum *accipiendi* legitur Matth. 19. 29. Luc. 11. 10. 1. Cor. 3. 8. atqve aliis innumeris in locis.

Mittamus etiam & illam leptologiam, *an scriptura diserte alicubi dicat, fidem solam justificare?* qvod recte doctissimi qviqve Protestantes negant. Illud enim Marc. 5. 36. *Tantum crede,* & illud Luc. 8. 50. *Tantum crede, & servabitur,* illa inqvam, nihil ad rem faciunt. Qvod Lutherus in sua germanica versione ad Rom. 3. 28. particulam exclusivam addiderit, nos parum solliciti sumus; defendant, qvi volunt: Pag. 16.) an saltem aeqvipollentia legantur, certe in illo ad Galat. 2. 16. *Scientes non, justificari hominem ex operibus legis,* ἐὰν μὴ *nisi per fidem Jesu Christi.* Doctissimi qviqve interpretes graeci & latini, plurimiqve Romanenses, vocabulum *nisi* adversative intelligunt, ut idem valeat, qvod *sed tantum:* qvemadmodum & alibi saepe in scriptura usurpatur. Videatur Estius in locum, qvi etiam illud Rom. 3. 28. *Arbitramur, justificari hominem per fidem sine operibus legis,* eodem modo intelligi vult. Cornelius a Lapide in eundem locum Gal. 2. Hanc propositionem hic admittit D. Thomas & Adamus Sasbaut: *Homo non justificatur ex operibus legis, sed tantum ex fide.* Qvaestio tota est de sensu particulae *Sola* vel *Tantum*, qvocunqve demum modo in scriptura extet, sive actu sive virtute tantum.

Inanis etiam est logomachia, qvae movetur de distinctione *fidei in formatam & informem:* illis enim distinctionis terminis nihil aliud intelligunt Romanenses, qvam fidem vivam & mortuam, ut Jacobus appellat cap. 2. 20. fidei enim formam esse charitatem proprie loqvendo, & qvoadipsam fidei essentiam, non sunt Romanenses adeo rudes, ut affirment: hoc tantum volunt, fidem non qvoad esse ejus meritorium, ut eorum qvidam inepte loqvuntur, sed tantum qvoad vim & efficaciam, justitiam & salutem proxime afferendi, charitate (significatione vocis *formae* latius extensa) qvasi formari; qvandoqvidem nulla alia fides valet ad justitiam & salutem consequendam, qvam *qvae per charitatem operatur*, Gal. 5. 6. & per opera eatenus, ut loqvitur Iac. cap. 2. 22. 17. *perficitur & consummatur*, immo veluti animatur. Qvanqvam & tota haec charitatis vis a fide primo & originarie fluat, ut infra dicetur. Vide P. Baronem de Fide, pag. 139. & seq. Sed pertaesi logomachiarum, qvibus pleriqve utriusqve litigantium partis sese veluti oblectant, de re ipsa dicamus.

Sacrae literae nusqvam, nec diserte nec per necessariam consequentiam, *fidei soli omnem omnino vim justificandi* tribuunt, sive, qvod idem est, asserunt, fidem esse unicum instrumentum & medium accipiendae & apprehendendae gratiae justificationis. Hoc ex parte hactenus est demonstratum: exeqvamur tamen idem paulo plenius. De *pœnitentia*, qvae in se timorem dei caete-

caeterosqve fere omnes actus complectitur, plurima, ut supra dictum est, occurrunt in scriptura loca, qvibus proponitur ut necessarium medium, per qvod venia peccatorum obtineatur, vel, qvod re idem est, ut conditio, sub qva Deus peccata demum ex gratuito suo promisso condonet. Pag. 17.) Haec rationem aliqvam causae obtinere, qvis negaverit, nisi cui disputandi pugnacitas & cavillandi libido magis placet, qvam amor veritatis? Qvoties remissio peccatorum, ut effectus seu fructus poenitentiae, in scriptura describitur? Jes. 1. 16, 17. 18. & 56. 4, 5. Ier. 18. 8. Ioël. 2. 12, 13, 14. Ios. 29. 8. Innumera sunt scripturae loca, qvibus *bonis operibus*, ex fide & speciali gratiae auxilio profectis, remissio peccatorum attribuitur. Locum illum Jac. 2. 24. ubi diserte dicitur, *hominem justificari ex operibus, & non ex fide tantum*, de cujus sensu, tanto animorum ardore inter partes certatur, locum, inqvam, illum ut nunc omittam, vide Ezech. 18. & 33. Matth. 6. 14. c. 18. 35. Lucae 6. 37. Jac. 5. 19, 20. Immo si qvis non oscitanter scripturam legat, plura forte numerabit loca, qvae conditionem bonorum operum exigunt, ut cum veniam peccatorum, tum etiam aeternam vitam adipiscamur, qvam qvae conditionem fidei, simpliciter sic dictae, reqvirunt; qvanqvam haec semper in illis omnibus necessario intelligenda, imo praeintelligenda sit. Adeat, qvi volet, syllabum locorum pro bonis operibus ex utroq; testamento a G. Wicelio aliisqve collectum; sed ipsas praesertim sacras literas di-

diligenter & absqve praejudicio legat. *Sacramentorum* etiam *participatione* nos a peccatis purgari, scriptura saepissime docet, ut Eph. 5. 26. Act. 2. 38. & 22. 16. Tit. 3. 5, 6, 7. Matth. 28. 19. atqve alibi freqventer. Non immerito tamen S. scriptura, & B. Paulus inprimis de justificatione agens, praecipue & valde freqventer fidei meminit, non tantum, ut loqvitur Concil. trid. sess. 6. cap. 8. Bellarminus, aliiqve, qvia fides est 1. humanae salutis ac justitiae ipsius initium, 2. qvia est fundamentum omnis nostrae justificationis, ut qvae tota fidei innitatur, & ab ea continuo sustentetur, 3. qvia ejusdem nostrae justificationis radix est: qvae rationes verae qvidem sunt, & scripturae Patrumqve doctrinae consentaneae, sed rem ipsam & apostoli mentem non satis plene explicant. Sed praeter has aliasqve, qvae adduci possent, rationes, particularis qvaedam causa est, cur fidei potius, qvam dilectioni aut pœnitentiae caeterisve operibus justificatio saepe tribuatur; qvam referam verbis Cardinalis Toleti cap. 3. ad Rom. annot. 17. utpote lectu digniſſimis, & ad Protestantium mentem qvam proxime accedentibus: *Qvia nempe*, ait ille, *in fide magis manifestatur, hominem non propria virtute, sed Christi merito, justificari.* (Pag. 18.) *Sicut enim in aspectu in serpentem Deus posuit sanitatem in deserto, qvia aspectus magis indicabat, sanari homines virtute serpentis, non operis alicujus proprii aut medicinae alicujus, ita* fides ostendit, justificari peccatores virtute & merito Chri-

Christi, in qvem credentes salvi fiunt, non propria aliqva ipsorum virtute & merito. *Ea causa est, cur fidei tribuatur justificatio, maxime a S. Paulo, qvia a justificatione legis opera, & humanum meritum aut efficacium excludere, & in sola Christi virtute & merito collocare nitebatur; idcirco meminit fidei in Christum. Hoc nec pœnitentia, nec dilectio, nec spes habet: Fides enim immediatius & distinctius in eum fertur, cujus virtute justificamur. Non tamen propterea S. Paulus dispositiones caeteras excludit.* Eandem etiam rationem affert Estius in Rom 3, 28. Vide A. Vegam opusculo de Justif. qu. 3. p. 849. Verba brevitatis studio omitto, etsi notatu digna. Vt rem paucis expediam, fides est & animae oculus, quo solo & Christum & justitiam ac salutem gratis in illo oblatam intuemur, & simul manus, qva, licet non sola, tamen singulari qvadam ratione, non solum cum aliis, sed & prae aliis actibus, arripimus, accipimus & apprehendimus, & a qva caetera omnia opera, qvantamcunqve habeant, omnem virtutem habent, non propter ipsius fidei pretium & dignitatem, sed propter objectum, Christum, scilicet in qvem immediatius & distinctius fides fertur, qvam caetera, ut jam dictum. *Sicut* enim *fides sine operibus nihil est, mortua est; sic e diverso & opera sine fide nihil sunt, mortua sunt*, inqvit Gregor. Nazianzenus lib. de Baptismo. Qvocirca & A. Vega opusc. de Justif. p. 843. confitetur, *hanc esse etiam qvorundam Catholicorum sententiam*, qvod

qvod fides prima & potissima causa sit nostrae justificationis; (qvanqvam, inqvit, illa certior sit, potissimum apud scholasticos doctores, qvod pœnitentia praecipuas partes teneat) *& omnes, opinor, haeretici,* (verba sunt Vegae, malo Romanensium more, viros pios & doctos dissentientes, magis incommode saepe loqventes, qvam sentientes, titulo haereticae appellationis infamantium) *qui dicunt, fidem solam justificare nos posse sine operibus, idem defenderent: Vbi enim illi admittunt, qvod negare profecto non possunt.* alia etiam cum fide concurrere ad nos justificandum, *dicent, saltem primas partes tribuendas esse fidei. Et ex his duabus sententiis utra verior sit, mihi qvidem non satis constat, & crediderim, posse utramqve citra haeresis periculum defendi, atqve adeo totam istam qvaestionem problematicam esse, & problematice posse ex utraqve parte in scholis disputari.* Pag. 19.) Haec ille, qvem P. Canisius jesuita in Operis praefatione, ab eruditione singulari pariqve sanctimonia, cum viveret, commendatum fuisse testatur, sed & primariis Concilii tridentini theologis, doctorum, judicio, annumeratum. Immo & Th. Stapletonus de Justif. l. 8. cap. ult. haud procul a fine: *An vero in ipsa justificatione prima priores partes habeat fides, qvam vel pœnitentia, vel dilectio, qvaestio scholastica est. Satis hoc loco est, intelligere,* fide nos necessario vel ante omnia & maxime justificari, *dum impius qvidem justificatur, qvia a fide ordiendum est; dum justus autem*

tem justificatur magis, quia omnia justitiae opera, in fide recta fieri & a fide procedere debent. Sic ille. Neqve enim fides in justificationis vel salutis tantum principio, sed & in perpetuo progressu praecipuas agit partes: nam fides sic est aditus & janua ad justitiam & salutem, sicut Patres loqvuntur, ut perpetuo etiam prosequatur progredientem, & in deducendo atqve in actionibus omnibus pietatis praestandis primas semper teneat, seu, ut dictum, praecipuas agat partes. Proinde S. scriptura non immerito fidei, ut principi, duci, matri ac fonti omnium bonorum operum in fidelibus, (fides enim excitat & movet affectum ad dilectionem, poenitentiam &c. qvanqvam opera exteriora, qvae a fide manant, fiant ab ea, mediante charitate, qvam ipsa fides excitavit & continuo comitatur, ut recte Vasq. in prim. 2. tom. disp. 210. cap. 7. n. 53. 54.) remissionem peccatorum & salutem adeo saepe adscribit. Sed ne caput hoc nimium excrescat, qvae supersunt dicenda hac de re, in capita sequentia rejicientes, pergamus.

CAPUT IV.

In qvo litis de sola fide justificante justa consideratio continuatur.

OPera, qvae in negotio justificationis & salutis excluduntur, Rom. 3, 20. 24. 28. c. 4, 5. c. 11, 6. Gal. 2. 16. Eph. 2. 9. Philip. 3. 9. 2. Tim. 1. 9. Tit. 3. 5. sunt opera legis naturae,

rae, & Mosaicae, non tantum ceremonialis, sed etiam moralis, a Gentilibus vel Judaeis ante & citra fidem & gratiam Christi, solis liberi arbitrii viribus facta, qvae operantes sibi imputabant, & non gratiae Christi, & propter qvae se justificationem ac salutem mereri, Judaei maxime, licet falso, existimabant ; non autem opera ex fide & speciali gratiae Christi concursu facta. Libentissime concedimus, omnibus in universum operibus, etiam fidei, vim justificandi recte adimi, si opera ipsa nude & per se spectentur, id est, extra respectum fidei in Christum seu gratiae divinae in Christo datae, siqve propriae ipsorum dignitatis seu valoris ac meriti ratio habeatur ;
Pag. 20.) immo innumera scripturae loca, ut infra dicemus, excludunt omnem superbam fiduciam seu glorationem coram Deo qvorumque operum, quae fiunt vel a renatis ex renovatione spirituali, vel ex arbitrii nostri viribus ante regenerationem ; ita ut Romanenses etiam plurimi, *sua nimia meritorum jactatione*, qvanquam ex Christi gratia, ut ipsi docent, provenientium, multum Christi gratiam obscurent, licet non omnino evertant, qvod faciebant ii, qvibuscum B. apostolo res erat. Qvando tamen de speciali apostoli scopo & mente in locis supra citatis agitur, certe in illis fatendum est, non agere eum de qvibuslibet operibus, etiam fidei, sed *de operibus legis tantum*, & per qvae operantes se justitiam ac salutem mereri, qvanqvam falso, opinabantur. Hoc enim ex professo & praecipue agit apostolus in epist.

epist. ad Rom. ut & in illa ad Galat. atque etiam in aliis, qvae citantur, locis incidenter, ut ostendat, neqve per legem, neqve per vires nostras naturales, aut propter propria merita inde profecta, sed per unam Christi fidem & gratiam Dei impromeritam, nos justificari. Hanc esse b. apostoli mentem, ex eo abunde patet, qvod in omnibus fere locis, *legis & fidei, operum & gratiae, ac misericordiae divinae antithesis* aut expresse legatur, aut necessario esse intelligendam, ipsae locorum circumstantiae clarissime ostendant. *Effecta* enim *gratiae & fructus fidei* (ut sunt actus spei, dilectionis, pœnitentiae, orationis, &c.) ex qvibus Iac. 2. 22. fides ipsa qvodammodo perfici & consummari dicitur, *ipsi gratiae ac fidei, tanqvam contraria* opponi, aut ab eadem in justitia ac salute conseqvenda simpliciter excludi, aut separari, non nisi absurdissime & contra innumera scripturæ loca asseritur. Lege, obsecro, Rom 9. 30. 31. 32. & cap. 10. 3. (ubi apostolus *justitiam suam*, i.e. ex suis & naturae viribus ac virtute legis effectis operibus partam, qvalem Judaei superbe jactabant sibiqve arrogabant, manifeste opponit *justitiae Dei*, i. e. a Deo & Christi gratia provenienti, atqve coram Deo propter Christum, & non coram hominibus tantum, justos facienti) & Philip. 3. 7, 8, 9. ubi apostolus suam justitiam qvae ex lege est, i.e. legalem seu judaicam, qvamqve ante conversionem sui ad fidem Christi, pro detrimento & σκυβαλοῖς, seu stercoribus habet. De omnibus autem suis tum ante tum post con-

versionem factis operibus loqvi ibi apostolum, & omnia omnino pro damno & stercoribus habere, crassus est qvorundam Protestantium error, Pag. 21.) Nam qvæ S. Paulus ibi σκύβαλα vocat, ea opera intelligit (inqvit Hospinian. in libro de Formula concordiae pag. 221.) qvae in pharisaismo fecerat. Vide etiam Bulling. Hyperium, Piscatorem, aliosqve in illum locum, atqve imprimis Vorstium in Schol. Alex. contra Sibrandum pag. 226. 227. 228. & 230. ubi hac de re prolixe disserit, & Colloq. Altenburg. pag. 120. 121. 294. Nec aliter loca haec omnia citata intellexere Patres cum graeci tum latini. Adisis Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum, Oecumenium, aliosque veteres, Augustinum inprimis, gratiae Christi acerrimum propugnatorem, toto paene libro de Spiritu & litera, praesertim cap. 13. & 29. & lib. 83. Qvaest. qv. 76. &c. Qvod affirmant permulti Protestantes, *negare apostolum simpliciter* Rom. 4. 2. & seqq. *Abrahamum ex operibus, etiam fidei, justificatum esse*, falsum est; sic enim S. Paulus aperte contradiceret S. Jacobo disertissime contrarium affirmanti cap. 2. 21. ineptas enim horum locorum in speciem pugnantium conciliationes a multis hodie excogitatas hic nihil moror, alibi, cum Deo, fuse refutaturus. Intelligit tantum b. apostolus eo loco *opera legis vel naturae, sine fide in Christum facta*: 1. enim non loqvitur hic b. apostolus de aliis operibus, qvam de qvibus ante cap. 3. 20. & seq. verba fecerat, ubi non semel *opera legis* directe vocavit; nam secus argumenta ipsius

ipsius nec inter se, nec cum thesi principali (qvae est, *nec Judaeos nec Gentiles*, maxime autem Judaeos, qvi de lege gloriabantur, *sine fide in Christum coram Deo justificari unqvam potuisse*) vere cohaerent. 2. Qvia versu 2. negat apostolus in Abrahamo justitiam & gloriam ex operibus non simpliciter, nec coram hominibus, sed *coram Deo*: sic enim (ut explicat verba Augustinus in Expositione epist. ad Gal. cap. 3. Aliud est *non justificari*, aliud *non justificari apud Deum*) ostendit, de illis operibus se loqvi, qvae ab hominibus qvidem laudem, sed non mercedem aeternam a Deo (qvod non nisi per fidem fit) expectare possunt. 3. Qvia statim versu 3. ex Gen. 15. subdit, *Credidit Abraham Deo*, &c. Hunc enim scripturae locum idcirco apostolum adduxisse, ut ostendatur, in Abrahami operibus fidem adfuisse, egregie docet Augustinus praef. Enarrat. ps. 31. al. 32. Qvam praefationem lege, obsecro, diligenter, si tibi mentem b. Augustini hoc de apostoli loco intelligere volupe est. 4. Qvia versu 4. & 5. facit oppositionem inter *operantem, cui merces ex debito tribuatur, non ex gratia*, & inter *non operantem, sed credentem*. Pag. 22.) Vbi per *operantem* non qvemlibet qvolibet modo, etiam ex gratia, bene operantem intelligit, sed eum tantum, qvi justitiam legis unice sectatur, suisqve operibus justitiae laudem & praemium a Deo promereri se existimat: & per *non operantem*, non eum, qvi nihil simpliciter operatur, ne ex Christi gratia qvidem, (hoc enim absurdissimum est; nam talis utiqve credit, spe-

rat, diligit, resipiscit, orat, &c.) sed qvi operibus suis sine fide & gratia Christi factis non confidit, nec justitiam aut meritum illis tribuit, sed totus pendet a Dei gratia, cum agitur de sui justificatione, ideoqve in hac antithesi non *opponit* solam fidem bonis operibus ex fide factis, sed *fidem operibus sine fide & gratia Christi factis*. Deniqve v. 13. & seq. *legem* & *fidem* eodem sensu inter se opponit, qvo antea *opera* & *fidem* opposuit, & qvo alibi *legem* & *gratiam* opponere solet. Vnde liqvido apparet, per *opera*, qvae a justificationis actu apostolus excludit, intelligenda esse duntaxat opera legis, qvae ex nostris viribus proficiscantur, & qvibus perfecta & continua obedientia legi praestatur, ac proinde per qvae qvis sese justitiam mereri, qvamvis falso, existimat; non autem opera gratiae ex fide Christi promanantia. Praeter alios viros doctissimos, de qvibus infra, hoc communiter statuunt, qvi vulgo appellantur Remonstrantes. Vide Arminium, disp. theolog. de Justificatione, thes. 4. 5. 7. 8. 9. Vorst. in Catal. error. Sibr. Lubberti, pag. 49. 54. & in Schol. Alex. pag. 220. 221. 222. 225. 235. 256. 268. 270. atqve alibi passim. Videatur etiam Gerhardus, theol. lutheranus, Disputationum theolog. parte secunda de Harmonia Calvinianorum & Photinian. pag. 912. ubi hanc verissimam sententiam erroribus accenset Photinianorum.

Qvod & ibidem v. 6. & seq. ex auctoritate Davidis, Ps. 31. al. 32. confirmat apostolus, *Beatum esse hominem, cui Deus acceptam fert justitiam sine operibus*

bus. De iisdem operibus, de qvibus hactenus demonstratum est, apostolum loqvi, ex tota disputatione & verborum serie, verba illum facere manifestum est.

Nec possunt omnia omnino opera a causis justificationis excludi, nisi excludatur etiam fides ipsa; qvam esse qvoddam opus, etiam nostrum, i. e. auxilio gratiae a nobis praestitum, qvis neget? Atqve hic primum injuriam faciunt Romanensibus Remonstrantes in sua nupera Apologia pag. 111. ubi affirmant, *Pontificios diserte negare, fidem, qva justificamur, esse actum*, nedum actum nostrum, sed *habitum* tantum esse velle, & qvidem *infusum* a Deo. Haec qvidem sententia a plerisqve Scholasticis defenditur; sed multi sunt Romanenses; qvibus eadem improbatur.

Pag. 23.) Vide A. Vegam opusc. de Justif. q. 1. prop. 1. pag. 795. ubi expresse affirmat, S. Paulum locis illis, qvibus de justificatione agit, non de fide habituali, nec acqvisita nec infusa, sed solum de actuali intelligendum esse, & compluribus rationibus idem confirmat: qvas apud auctorem lege. Vide & Bellarm. de Justif. lib. 1. cap. 16. sect. *Dicent, excludi etiam fidem*, aliosqve. Errant & illi Protestantes, qvi *fidem non proprie, sed correlative & metonymice accipi* volunt, cum illa justificari dicimur, scilicet pro justitia Christi & remissione peccatorum per fidem apprehensis. Certe scripturam non interpretantur, sed manifeste torqvent, & vim ac efficaciam fidei frigidissime exponunt, qvi ita sentiunt: Fides enim vere

& proprie, ut causa, concurrit ad justificationem nostri, non qvidem ut causa principalis vel meritoria, attamen ut instrumentalis, ut saepe dictum; ideoqve effectus, nimirum justificatio nostri, de illa proprie & sine tropo praedicatur. Fons hujus erroris, ut & aljorum multorum, est, qvod opponant causas instrumentales principalibus in negotio justificationis nostrae, qvae tamen omnes conjungendae sunt, qvandoqvidem amice inter se conspirant: Vere enim atqve etiam proprie dicimur & *per* fidem & *per* Christi merita & *per* remissionem peccatorum justificari, qvanqvam non eodem modo. Qvid aliud dicunt omnes omnino Protestantes, qvi, qvid dicant, intelligunt, *fide nos organice sive instrumentaliter justificari* asserentes? Illorum testimonia in hanc sententiam, qvae infinita fere sunt, allegare, inutilis est labor. Vide Meisner. in Philos. Sobr. part. 1. p. 280. & part. 2. p. 489. nec non Sibrand. in Epist. disceptat. de Fide justif. contra Bertium. Inepte subtiles sunt Protestantes illi, qvi *fidem etiam ipsam a negotio justificationis excludi volunt, ut est opus, sed non ut instrumentum* apprehendens justitiam. Neqve enim fides est instrumentum sive medium justificationis nostri, nisi ut opus; qvia non habitu, sed actione & operatione fidei, justitiam apprehendimus, sive conseqvimur: proinde fides in negotio justificationis nostri concipienda est, ut actio & operatio, vel ut opus, non meritorium, ut saepe dictum, sed pure instrumentale, qvo justitiam accipimus, sive obtinemus.

mus. Vt recte contra Pareumde Iustif. contra Bellarmin. lib. 1. cap. 16. p. 280. 281. Theologos Leyd. in Censura, &c. cap. 10. pag. 148. aliosqve permultos, docent Remonstrantes in Apol. cap. 10. pag. 111. 112. Vorst. in Schol. Alex. contra Sibrandum pag. 224. 232. immo Sibrandus ipse, qvo nemo rigidior, nemo pertinacior, licet hic parum sibi constans. Pag. 24.) Ita inqvit in Discept. epist. de Fide Justificante contra Bertium pag. 20. *Atqve haec est communis nostrorum doctorum sententia* (scilicet fidem non proprie, sed relative nos justificare. Qvam vere hoc dicat Sibrandus, hic non moror; falsissimum tamen est, qvod asserit, qvando theologos protestantes communiter ita tantum intelligere vult.) Si qvis tamen dixerit, fidem in hac propositione, *Homo justificatur fide*, instrumentaliter accipi; non negaverim ego, hominem isto opere, ut instrumento, justificari. Fides enim revera est opus, per qvod, tanqvam per instrumentum sive medium, justitiam apprehendimus. Idem ibidem confirmat auctoritate Vrsini in Catech. q. 63. *Illo opere justificamur, tanqvam instrumento sive medio, non tanqvam causa impulsiva.* Et in Comm. ad errores Vorstii pag. 659. *Cum fides, qvae est opus, instrumentaliter accipitur, non male dicitur credens* ex opere sive per opus *justificari*. Citat ibidem Vrsin. in catech. f. 454. & f. 450.

Qvando autem dicit apostolus Rom. 4. 5. *Ei vero, qvi non operatur, credenti autem* &c. non opponit ibi credentem non operanti simpliciter; ni-

hil enim absurdius dici posset: nam fides opus est nobis mandatum a Deo, sub promissione remissionis peccatorum, 1. Ioh. 3. 23. ideoqve vocatur opus Dei, Ioh. 6. 29. qvia scilicet Deus ipse id a nobis fieri postulat; sed *non operanti*, id est, ut supra dictum, qvi non affert sua opera, suae naturae viribus aut legis adminiculo facta, nec ex iis qvaerit aut expectat justitiam, qvasi mercedem iis debitam. Et qvod ibidem Apostolus dicit, *Deum impium justificare*, absit, cum qvibusdam rigidioribus Protestantibus intelligas de homine in ipso justificationis actu impio simpliciter existente, (hoc enim cum omni fere scriptura e diametro pugnat) sed eo, qvi paulo ante talis erat, nunc tamen suam impietatem serio deplorans & ad thronum gratiae confugiens, per fidem in Christum gratis justificatur. Inter Protestantes vide Philippum Melanchthon. in Corpore doctr. edit. an. 1572. pag. 100. 106. 455. Pezel. parte 4. Object. pag. 428. & 437. Vorst. Schol. Alex. pag. 242. & seq. ut alios innumeros mittam.

Patres plurimi nos sola fide justificari affirmant, Orig. in cap. 3. ad Rom. circa finem. Hilar. Canone 8. in Matth. Basil. m. homil. de Humilitate, Ambrosius, aut qvi illorum Com. auctor est, in cap. 3. & 4. Rom. & in cap. 1. primae ad Corinth. & Serm. 45. (nisi hic Maximi potius sit, qvam Ambrosii) Nazianzenus Orat. 26. de Moderatione in disputando: Pag. 25.) Chrysost. in cap. 3. ad Gal. & 2. Eph. hom. 5. in Sermone de fide & lege &c. hom. 2. ad Rom. hom. 3. ad Titum: Hieron.

ron. in cap. 4. & 5. ad Rom. & in 1. 2. 3. ad Gal. Theodoretus Therapeut. 7. Augustinus contra duas epistolas Pelag. lib. 1. cap. 21. l. 83. Qvaest. 9. 76. De tempore sermon. 68. & in Exposit. 3. ad Gal. Cyrill. Alex. lib. 14. in Ioh. cap. 18. Leo epist. 70. & sermon. 4. de Epiphania : Petrus chrysologus serm. 34. Prosper aqvitan. epigram. 9. Claudius Marius Victor in Genesin, lib. 3. Hesychius in Levit. cap. 14. Sedul. in 4. & 8. ad Rom. Primasius in 4. & 8. ad Rom. in 2. ad Cor. & Gal. Theophyl. in 3. ad Gal. Oecum. in 3. ad Rom. Bernh. serm. 22. in Cantic. & epist. 77. Lege loca apud auctores ipsos. Sed si pura mente & ab omni partium studio libera, omnia haec & qvotqvot alia in hanc sententiam citari possunt loca legeris, clare videbis, per vocem *sola* Patres omnia simpliciter fidei & gratiae opera a causis justificationis & salutis aeternae nunqvam excludere voluisse, sed legem naturae & mosaicam. 2. opera omnia propriis viribus sine fide in Christum & gratia Dei praeveniente facta. 3. falsam fidem vel haeresin, cui tunc fidem, non autem operibus opponunt. 4. necessitatem absolutam (etiam si potestas aut occasio desit) faciendi opera externa etiam ex gratia proficiscentia, ut charitatis, poenitentiae, sacramentorum perceptionis: tum enim efficit sola fides sine operibns externis, sed non sine omni bono affectu poenitentiae, & dilectionis in Deum, qvae opera sunt interna. 5. omnem inanem fiduciam & gloriationem operum nostrorum qvorumlibet, non tan-

tum fidem praecedentium, sed & ex gratia fidei sive interne sive externe factorum.

CAPUT V.

Quo eadem consideratio fuse, compluribus virorum doctissimorum protestantium, aliorumque sententiis, confirmatur & concluditur.

DOctrina hactenus tradita adeo vera, adeo certa & clara est, ut permulti etiam insignes Protestantes de particula, Pag. 26.) de particula sola in propositione, *Fides sola justificat*, praesertim cum in scriptura ῥητῶς non inveniatur, non esse pertinacius contendendum censuerint, immo posse utiliter omitti pacis causa.

Anno 1530. qvo Confessio augustana Caesari exhibita fuit, inter septenos conciliatores doctrinae Romanensium Protestantiumqve, in comitiis utrinqve delectos. (e Protestantibus erant hi tres theologi, Melanchthon, qvi & ipse confessionem illam scripsit, Brentius, Schnepfius) convenit, tranqvillitatis publicae causa non esse docendum, qvod sola fides justificet, sed omittendam voculam *sola*, qvia Romanenses dicebant, eam parere scandala in populo, & reddere homines negligentes circa bona opera, & in scriptura expresse non dici. Sed b. Iacobum contrarium asserere, hoc testantur non solum scriptores Romanenses, Cochlaeus

Cochlaeus (in Actis Lutheri, ann. 1530. & in libro ad Norinbergenses de Viis praeparatoriis ad concordiam) qvi ex tribus theologis romanensibus delectis unus fuit, Surius, aliiqve, sed & multi Protestantes. Sleid. comment. lib. 7. pag. 190. refert, inter illos septenos pacificatores de nonnullis convenisse; qvaenam autem illa fuerint, omnino reticet. Qvod a fideli historico factum non oportuit, cum ea, qvae controversa mansuerunt, satis diligenter ibidem annotarit. Sed ut dicamus, qvod res est, noluit ille rigidiores Lutheri sectatores, qxibus nimio plus addictus fuit, qvibusqve conciliatio illa vehementer displicuit, offendere. In aliis etiam nonnullis illius, ut ut alias laudatissimi historici, narrationibus, ut hoc obiter dicamus, candorem desiderant multi viri doctissimi, qvidam etiam protestantes. Vid. Lucas Osiander, qvi ex Sleidano refert in Epit. hist. eccl. cent. 16. lib. 2. cap. 15. & Chytraeus in Hist. confess. augustanae. Pareus contra Bellarm. de Iustif. lib. 1. cap. 12. ingenue id factum confitetur, licet conciliationem illam improbet.

Anno 1548. theologi Wittenbergici, ex qvibus praecipuus Melanchthon, simul & Lipsenses in Actis Synodicis, (qvae ipsi in lucem ediderunt) de justificatione fidei (tempore Interim, concordiae causa) sic scripserunt: *Homo praecipue justus & acceptus est coram Deo fide propter mediatorem. Non pugnamus de voce seu particula* sola, *sed dicimus & confitemur, oportere in nobis & alias virtutes & bonum propositum inchoari & manere: tamen fiduciam*

etiam non his, sed filio Dei oportere reniti, sicut dictum est, & reliqvas virtutes velut obumbrare. Haec illi: qvos viros doctissimos & pacis studiosissimos, rigidiores Protestantes, *Adiaphoristas* & *Interinistas*, nominibus ad odium compositis, vulgo vocabant. Pag. 27.) Videatur Luc. Osiander, Epit. hist. eccl. cent. 16. lib. 2. cap. 72. Chemnic. Loc. com. parte 2. de Justif. pag. 287. cujus verba sunt: *In colloqvio Ratisbon.* (primo scilicet, an. 1541.) *& tempore Interim a multis* (Protestantibus puta) *disputatum fuit, non esse pugnandum de particula* sola, *cum sit ἄγραφος.* Io. Gerhardus L. de Justif. per fidem n. 165. (vide, obsecro, apud Iac. Aug. Thuanum, nobilem historicum, insigne elogium Melanchthonis, ejusqve moderationis, lib. 26. pag. 809.) Colloqv. Altenb. pag. 69. 128. 155. 303. Martinus Bucerus in Colloqv. Ratisb. 2. A. 1546. licet pertinaciter contenderet, *nos sola fide justificari*, concessit tamen, vi veritatis victus, collocutoribus alterius partis, *nos gratiam Dei & justitiam Christi, etiam spe & charitate, modo qvodam, apprehendere, complecti, & tenere: fide tamen sola nos justificari, qvia fide primum Christi justitiam apprehendimus, & complectimur.* Vide Acta ab ipso Bucero scripta pag. 213. 218. Qvod qvid aliud est, qvam fidem non solam, sed qvia in hoc opere justificandi prima est, primaqve apprehendit Dei misericordiam & Christi meritum, ideo illam primam, vel primum, nos justificare? Qvod, ut verissimum, nemo negat. Neqve enim, qvia aliqvid prius est in ordine aliqvo, ideo, qvod seqvitur,

tur, ex eo ordine excluditur. Immo ratio ordinis expoſcit, ut in eo ſit prius & poſterius; & recte A. Fricius, vir eruditiſſimus (hoc illum eloqvio ornat Caſſander iu Conſult. art. 4.) & concordiae ac moderationis amantiſſimus, qvamvis Proteſtantium partis in plerisqve ſtudioſior, hac de controverſia haec habet lib. 4. de Eccl. cap. 11. *Tu* fidei *juſtificationem ideo aſſignas, qvod illa apprehendamus & teneamus miſericordiam Dei. Cur non idem de* ſpe & charitate *loqvi fas ſit, qvibus & ipſis Deum amplectimur nos ſua bonitate juſtificantem? Sunt enim illa omnia ab eodem auctore profecta. Non tantum igitur fidei, ſed ſpei & charitati, & aliis bonis operibus remiſſio peccatorum, acceſſus ad Deum, & bona alia offeruntur. Multa a contra ſentientibus argumenta adferuntur contra opera, ſed videndum eſt, ne illa concludant de operibus a fide ſejunctis, ſine qva impoſſibile eſt placere Deo. Loqvamur enim de operibus fidei conjunctis, in Dei qvidem miſericordiam incumbentibus, in eaqve ſola proram & puppim ſalutis ſuae collocantibus: qvid qvaeſo abſurdi fuerit, ut fidei, ita illis juſtificationem tribui?* Pag. 28.) *Scilicet ut fructus ab arbore, ita opus a fide ſejungendum non eſt; utrumqve vero in Dei miſericordia acqvieſcere debet. Eſt igitur* fides inſtrumentum, *vel organum recipiens juſtificationem. Qvid autem prohibet, qvo minus* charitati idem *tribuamus, dicamusqve, ut non propter fidem, ita non propter charitatem, ſed tamen fide & charitate nos juſtificari: cum qvidem multis clariſſimis autoritatibus id oſtendatur? Illud tamen agendum, ut avocentur mentes a fiducia operum & gloriatio-*

riatione. Ostendatur imperfectio operum, soli Deo gloria tribuatur, spes salutis omnis ad meritum Christi & Dei bonitatem referatur: Hac enim ratione a verbis divinis nihil discedituꝛ, qvibus remissio peccatorum & vita aeterna ut fidei, ita & operibus, freqventer promittitur. Et fusius hac de re differens de Ecclesia lib. 2. tract. 2. cap. 1. Fidene sola, an & operibus justificemur? inqvit pag. 418. Qvid interest, seu dicas, sola fide nos justificari, qvae qvidem Dei misericordiam intueatur: seu fide & operibus, qvae & ipsa eadem misericordia nitantur? Misericordia Dei est, cui omnino tribuitur justificatio nostri. Illa est, qvae nobis acceptam refert justitiam, qva prorsus destituti sumus. Seu igitur misericordiam comprehendas sola fide, seu fide operante, nihil refert: qvando utroqve modo conseqveris, qvod opus est. Et pag. 419. Haec scilicet Dei misericordia, in summo gradu collocanda est, eaqve nos gratuito justificari, cum nobis peccata non imputantur, statuendum est: ac ut cretitudo remissionis peccatorum obtineatur, respectus nullus ad dignitatem vel operis vel fidei nostrae habendus est. Nec enim fides hic alias partes obtinet, qvam organi, qvo apprehenditur misericordia nos justificans. Huic organo si addas opus, tanqvam fructum arbori suae, utrumqꝫ vice organi erit. Nam & qvi solam fidem docent, opera esse justificationis causam sine qva non, non inficiantur. (utinã non inficiarentur nimis multi, scilicet rigidores omnes) At causa, qvalis qvalis est, hoc nomine, qvia causa est, effectum praecedat necesse est. Illud igitur unice est cavendum, ne cum ea, qvae gratuito nobis donatur justitia, justitia, qvae sit ex facultatibus

tatibus virium nostrarum, committatur. Hoc constituto, haud sane intelligo, cur lis fiat de illis formulis, Sola fides, Fides cum operibus; *si quidem opera non ad conflictum cum justitia gratuita opponuntur, sed fidei adjunguntur, tanquam fructus arbori, ut utraque in Dei solam misericordiam recumbant.* Pag. 29.) *Quod vero ad meam conscientiam attinet, libenter sane & tranquille acquiesco in misericordia Dei. Interea parum mea interesse puto, inquirere, solane fide misericordiam apprehendam, an fide & operibus. Utrumque horum requiri a me non ignoro, utriusque magnam imperfectionem agnosco; verum tamen a Deo meo peto, ut & imbecillitati fidei meae succurrat, & legis justitiam in me impleat, remissis peccatis meis. Neque vero dubito, permultos esse, qui & ipsi in vulneribus Christi placidissime recumbunt, qui tamen eo ingenio praediti non sint, ut judicent, sola ne fidei, an fidei cum operibus justificationem attribuant.* Haec omnia atque alia permulta in eandem sententiam legere est apud auctorem observatu dignissima, ex serio sensu pietatis cum veritate conjunctae, & studio tollendae dissensionis inter partes profecta.

Petrus Baro, gallus, S. theol. in acad. cantabr. quondam professor, vir doctissimus, & pacis amantissimus, in Praelect. in Jonam ostendens, qua ratione dirimi, aut saltem minui posse videatur controversia hodie cum Romanensibus agitata de operum justificatione, (*minuendis* enim *litibus*, sunt verba auctoris aurea, *dare operam semper debemus, si filii lucis simus*, pag. 249.) *Primo*

per

per opera, *qvae Paulus a justificatione excludit, intelligit opera legis non tantum ceremonialia, sed & moralia fide destituta, eiqve opposita.* Pag. 244. Et in Tr. de Fide pag. 28. Secundo, qvamvis perperam contendat, *Dei dilectionem*, qva scilicet voluntas Deum sibi ab intellectu demonstratum amare incipit, & cum eo conjungi cupit, *esse de fidei justificantis natura*, qvia fides, in intellectu tantum sita est, ut supra fuse demonstratum, *& non qvendam illius effectum ipsa justificatione posteriorem*, (qvod absurde ejus in academia illa tunc temporis antagonistae volebant) qvo scilicet vere & tuto, sicut existimabat, sustinere posset communem Protestantium sententiam, *fide sola nos justificari*; eo ipso tamen vir doctus & sagax clarissime vidit, fidem, si ab ea primam illam Dei dilectionem, vel cogitatione solum, removeamus, justificare non posse: qvum sic spectata, mentis tantum actio sit, cui soli vim justificandi tribuere, absurdissimum sit, & cum innumeris S. scripturae locis ex diametro pugnans. *Verum* (inqvit auctor tractatus de Fide pag. 119.) *si voluntas bonum sibi a mente oblatum expectet, & cum obtinendi fiducia qvaerat ac consectetur, tum vera fides est una cum spe ac resipiscentia, qva homo consequitur justitiam.* Pag. 30.) Qvibus omnibus ibi atqve alibi demonstrat manifeste, non fide sola, proprie sic dicta, & aliis actibus contradistincta, sed & spe, dilectione, resipiscentia, &c. nos justificari. Secundo *tantum Dei amore*, ut auctor loqvitur, *ex Christo in nobis per spiritum fidemqve habitante exorto, quo illum,*

non

non ut Deum modo ac bonorum omnium fontem, a nobis adhuc sejunctum ac remotum, sed jam ut patrem nobisque conjunctissimum, beneficiorum acceptorum memores prosequimur, & externis charitatis cum erga Deum tum homines effectis negat nos justificari, quum haec fide justificante & justificatione nostri posteriora sint. Qvod tamen cave intelligas nisi de justificationis principio, non etiam de ejusdem progressu & augmento, nisi manifeste errare velis, ut infra dicetur. Hac de re lege prolixas & eruditas disputationes apud scriptorem hunc, Prael. 34. in Jonam per totum, libello prope toto de Fidei justif. natura, & de praestantia divinae legis, in egregiae qvaestionis dilucida explicatione, circa finem libri.

Innocentius Gentiletus, juris consultus magni nominis inter Protestantes, etiam rigidiores, in Examine concilii tridentini, dum examinat canones sess. 6. de Justificiatione pag. 66, 67, 68. inqvit: *Si Patres tridentini, cum dicunt*, bona opera cum fide justificationem nostram cooperari, can. 9. (*qvanqvam haec loqvendi ratio sit impropria*) *ita sentiunt*, (scilicet fidem, qva justificamur, esse illam solum fidem, qvae per charitatem operatur) *neqvaqvam ab illis dissentimus: neqve enim negamus, charitatem erga Deum & proximum esse bona opera, qvin immo singularium bonorum operum particularium fontem & scaturiginem esse affirmamus: fidem etiam ipsi fatemur esse bonum opus. Sed si intelligant, eleemosynas, jejunia, & id genus alia charitatis exercitia particularia, una cum fide christiana nostram*

stram justificationem cooperari, quae eorum videtur esse sententia, (sed certe non est: haec enim ipsi Romanenses non exigunt, nisi cum tempus & vires horum praestandorum occasionem suppeditant) *hoc sane fateri non possumus: latro enim ille, qui a Christo in cruce justificatus est, aperte indicavit, cum ad eum precibus refugeret, se in eo spem suam collocare, Deumque diligere, & ex eo, quod culpae suae socium corripuit, ut eum ad eandem fidem amplectendam impelleret, perspicue apparuit, eum quoque proximum suum dilexisse, adeo, ut etsi nullas eleemosynas erogârit, neque ullis se jejuniis macerârit, aut alia ejusmodi privata charitatis opera bona praestiterit, justificatus sit tamen.* Pag. 31.) Vnde patet, auctorem hunc non nisi externa pietatis opera, a justificatione excludere, in casu scilicet jam dicto; non autem interna spei, charitatis, &c. Quo circa haec expressiora subjungit: *Caeterum cum dicimus,* nos sola fide justificari, *hoc non ita accipimus, quasi fides sit sola causa efficiens nostrae salutis,* (*nam ea est misericordia Dei, quam nobis per meritum filii sui exhibet*) *sed tantum causam instrumentalem, qua nos sibi conjungit & devincit, conjunctique, virtute Sp. sancti, justificationem nostram ab eo haurimus. Itaque haud multum refert, solam fidem* (*quae, ut ante dictum est, a charitate sejungi non potest*) *nostrae justificationis causam esse dicamus, an etiam charitatem cooperantem esse asseramus, dummodo hoc nobis persuasum sit, solum Christum, patris erga nos dilectionem impetrantem, causam efficientem esse. Nam cum una sine altera esse nequeat, ambas con-*

conjunctim causas instrumentales dicere possumus. Qvae subnectuntur, *rectius tamen dixeris, fide nos justificari, qvam fide & charitate,* in gratiam tantum rigidiorum ab illo addita sunt, ne scilicet per antedicta eos nimium offenderet, vel, qvod probabilius est, ab aliena sunt manu profecta.

De C. Vorstii sententia super hac re nemo dubitare potest, qvi illius Schol. Alexic. contra Sibrand. diligenter legerit: qvam plurimis enim in locis hoc asserit, probatqve. Haec tantum verba huc libet adscribere ex pag. 270. circa finem: *Immo ne pium qvidem piis operibus justificari dico, si opera proprie ac per se sumantur, fideique ac gratiae opponantur, sed hoc solum cum scriptura & Patribus dico, nos fide viva & operante justificari, eoqve & operibus fidei hactenus justificari, qvatenus haec pro fide illa sumuntur, & ut fructus, immo qvasi anima fidei, considerantur.*

Remonstrantes Confess. cap. 10. n. 2. *fidem in negotio justificationis non alio modo considerandam esse* affirmant, *qvam qvatenus obedientiam fidei includit, & tanqvam secunda bonorum operum mater est, totiusqve christianae pietatis ac sanctimoniae fons ac scaturigo.* Tantum abest, ut huic obedientiae ac pietati & ipsa opponi debeat, aut jure possit. Et in Apologia cap. 1. pag. 113. sic inqviunt: *An non mera logica pugna est, si disputetur, an fides,* qvae est viva, *an* qva viva est, *requiratur ad justificationem.* Pag. 32.) *Certe utrinqve in describenda fidei natura est consensio: utrinqve bonorum operum praesentia necessaria esse statuitur de re-*

spectu tamen, quem fides viva ad justificationem habet, quaestio manet. At de respectu statuere non est nostrum, sed Judicis. Deinde quid habet respectus ille merus, quod justam magnae liti causam dare poterit? Immo quid non habet, quod occasionem omnem liti debeat praecidere apud eos, qui pietatis & bonorum operum sunt studiosi? Sane si dicatur, fidem requiri ad justificationem, quatenus vel qua est fides viva, necessitas bonorum operum & pietatis christianae fortius adstruitur, quam si dicatur, fidem requiri ad justificationem, quae viva est, nam natura rei id evincit. Et pag. 114. circa finem Remonstrantes sic statuunt, *litem pene totam, quam hic movent censores, de respectibus metaphysicis esse, quos fides vera & viva habeat ad justificationem;* de quibus statuere, Judicis & Domini est, non subditorum. *Enimvero* (utinam omnes rigidiores utriusque altercantium partis alte animis suis haec verba infigerent!) *quis sine gemitu, sine suspiriis, sine lachrymis cogitet, quod nos homunciones, miselli, tardi & negligentes in iis, quae officii nostri sunt, accurate examinandis, & sideliter praestandis, tantum otii & audaciae nobis sumamus, ut involemus in partes Domini & Judicis nostri, &, quo respectu hi aut illi actus nostri ab illo sint judicandi in extremo judico, audeamus definire; & nisi alii conservi, istas definitiones nostras, praeter officium & vocationem nostram factas a nobis, admittunt, aut populum christianum, peculium Dei & Domini nostri Jesu Christi, in partes scindere, conservos caedere flagellare, ejicere, anathematismis & omni genere immisericordiae in*

eos

eos saevire non vereamur? Verba haec ultima digna sunt, qvae aureis scribantur characteribus. Iidem in Examine Cens. cap. 22. pag. 237. ad verba Censorum, *qvod fidei & obedientiae mandatorum ex aeqvo veniam peccatorum & vitam aeternam attribuant*, haec respondent: *Phrasis* ex aeqvo, *aeqvivoca est. Si eam pro* aeqve principaliter *accipiat censor, tum injuriam facit Remonstrantibus; fidei enim ut principi, duci, matri, ac fonti obedientiae, veniam peccatorum & salutem adscribunt. At si eam pro* conjunctim *accipiat, tum agnoscunt Remonstrantes, se fidei, qvae & qvatenus conjunctam sibi habet obedientiam ex fide profectam, aut propositum saltem obediendi, cum scilicet actus obedientiae specialiter exerceri non possunt, proinde obedientiae etiam, veniam peccatorum & salutem aeternam adscribere.* Pag. 33.) At hoc nihil aliud est, *inqvit censor*, qvam justificationem & salutem fidei & operibus, indistinctim seu conjunctim tribuere. *Ita est: Scripturam sibi praeeuntem habent, non tantum in famoso illo loco S. Jacobi*, cap. 2. 24. *ubi diserte dicitur:* Concludimus ergo, hominem justificari ex operibus, & non ex fide tantum: *sed & in aliis plus qvam mille locis, ubi operibus bonis remissio peccatorum & vita aeterna tribuitur.* Lege Apologiam ipsam, & in Examine Cens. cap. 25. pag. 307. circa finem. Nimirum huc redit universa, qvae circa articulum istum (*de justificatione*) est dissensio: An fides sive creditio illa, ut sic loqvamur, qva credimus, nobis remissa esse peccata nostra, sive qva apprehendimus misericor-

diam Dei, & Christi pro nobis satisfactionem, nos coram Deo justificet, *qva simpliciter talis actus est*, an *qvatenus actus vivus est*, i. e. conjunctam sibi habens vel actualem resipiscentiam, vel saltem firmum ac deliberatum animi propositum de vita tota juxta normam christianae religionis, auxilio divinae gratiae, cum timore ac tremore instituenda. *Hoc est qvod Remonstrantium declaratio asserit & profitetur, nihil aliud.* Idem repetunt in Responsione sua ad Specimen calumniarum, pag. 111. Vide etiam Thameri argumenta, qvae anno 1547. & 1548. Marpurgi proposita fuerunt contra sententiam de fide sola justificante, una cum Bened. Aretii responsionibus infirmissimis. Vide in hujus auctoris Problematibus theolog. loc. 24. de Justificatione, pag. 134. & aliqvot seqventes. Theodorus Bibliander, theologus tigurinus, Antisophist. lib. 3. pag. 167. *Qvanqvam*, inqvit, *ea, qvae religionem christianam absolvunt, ita cohaerent, ut invicem neqveant separari, tamen synecdochice saepenumero una res aut duae pro omnibus aliis ponuntur. Qvod, meo judicio, praebuit ansam altercandi non paucis, in disputatione de hominis justificatione, qvi tropum non observarunt, qvo una res pro aliis pluribus aliqvoties ponitur.* Omnes illi Protestantes, qvi *fidem justificantem* definiunt, qvod *sit notitia & assensus, & expetitio misericordiae promissae, & in eum, qvi promisit, fiducia firma*, qvod faciunt multi; vel qvod *sit fiducia, aut assensus fiducialis atqve etiam obsequiosus*, qvod volunt alii permulti, qvic-

Pag. 34.) qvidqvid verbo contendant, *solam fidem justificare*, reipsa tamen idem destruunt, si modo actuum fidei, spei, dilectionis, pœnitentiae, orationis, &c. distinctionem salvam volunt. Res adeo diversas ad fidei essentiam reducere, nec theologia, neqve etiam recta ratio permittit, nisi sub ejusmodi rerum & verborum confusione & ipsi falli, atqve etiam alios fallere velimus.

Archiepiscopus Spalat. de Rep. eccles. lib. 7. cap. 11. n. 206. fatetur, *fidem, si in sola sua pura formalitate sumatur, qvatenus est solius actus intellectus, nos justificare non posse, sed in vera & viva fide nos*, inqvit, *praeter actum intellectus, ponimus etiam bonam dispositionem voluntatis, qvae inchoata caritate erga Deum afficiatur, eiqve se ipsam subdat, & ad ei parendum disponat, magnamqve in eum spem collocet, concipiatqve fiduciam.* Et rursus num. 208. *Cum praesertim vera fides includat affectum pium voluntatis, in qvo est inchoata erga Deum charitas, & magna ex Christi meritis fiducia.* Et ibidem: *Qvicunqve justificantur prope mortem, ut latro in cruce, & similes, profecto sola fide, cum illa saltem inchoata dilectione & fiducia, qvae est in omni vera fide viva, justificantur.* Qvid aliud haec omnia innuunt, qvam fide sola (proprie & contradistincte aliis actibus conjunctis fidem intelligendo) nos non justificari? Archiepiscopus qvidem, unitatis & charitatis christianae studiosissimus, ibidem n. 216. affirmat, S. scripturam aliis qvoqve actibus antecedaneis tribuere vim qvandam obtinendae remissio-

nis peccatorum, ex Dei promissione, & teneri in conscientia pastores ad haec ipsa opera populum adhortari, tanqvam remissionem peccatorum secum, si debite fiant, ex divina benignitate & promissione, aliqvo modo, sive dispositive sive instrumentaliter offerentia. Cum qvibus tamen (ut gratificetur rigidioribus Protestantibus) putat stare posse, *fidem solam esse, qvae apprehendat formaliter justificationem.* Idem tamen paulo ante n. 211. dixerat, *fiduciae solius*, qvae ad spem reducitur, & ex fide nascitur, sive fidei effectum est, n. 205. *propriam esse, aut saltem videri actionem, formaliter & proxime Christi justitiam apprehendere.* Qvomodo autem haec cohaerere possunt, *fide sola apprehendi* formaliter Christi justitiam, *& tamen non nisi fiducia*; qvae fidei effectus est? Deinde qvod ait n. 216. circa finem: *Sine omni bono opere, licet cum nullo malo opere, solam fidem plene justificare*, falsum est, nisi bona opera exteriora intelligat: qvod proculdubio facit, licet nimis generaliter & incaute loqvatur. Pag. 35.) Nam inchoatam Dei dilectionem & fiduciam, qvae sunt bona opera interna, a fide viva excludi posse, & in se absurdum est, & negavit saepe conciliator ipse. Ac proinde solam fidem sine aliis qvibusdam bonis operibus seu actionibus internis nos justificare, intelligi non potest. Pium auctoris studium partes conciliandi, vehementer probo & laudo, sed conciliationes solidas & veritati consonas semper adhiberi velim. G. Cassander multum ab illo nobili historico Jac. Aug. Thuano Hist. lib. 36.

ob

ob summum animi candorem ac moderationem laudatus, in Consult. art. 4. de Justif. *Multis eruditis & piis viris satius videtur, ut in concionibus popularibus vox illa* SOLA *praetermittatur,* (qvia scilicet perperam plerumqve a populo intelligitur) *sed scripturae tantum verba usurpentur, ut: Gratia salvi facti estis per fidem, absqve operibus. Justificati gratis, per gratiam ipsius. Arbitramur, hominem justificari fide, non ex operibus legis.*

Georgius Wicelius, vir etiam doctissimus ac moderatissimus, in Via regia ad art. 20. Conf. aug. de Bon. oper. p. 35. edit. Conring. *Vellemus,* inqvit, *de fide justitiae qvoties dicunt* (Protestantes,) *ut exclusivam istam* (sola) *pacifice & amiceo mittant, qvando sacrae nullae literae eam addunt, & ex scripturis canonicis potius loqvi ac docere ament, qvam ex propriis.* Vide Erasmum tom. 9. adversus Censuras Theol. paris. tit. de Fide & operibus, pag. 682. 683. & contra Natalem Bedam, pag. 389. 399.

Episcopi ecclesiae anglicanae in Catholica christiani hominis Institutione, Londini excusa, A. 1544. triennio ante Henrici VIII. obitum, licet multa, qvae hodie communiter a Romanensibus defenduntur, dogmata rejiciant, de justificatione tamen sic loqvuntur p. 13. *Atqve ex his, qvae diximus, liqvido apparet,* non solam fidem (*qvatenus fides qvidem unum ac simplex donum est, a charitate & spe distinctum*) *sed caetera etiam gratiae dona justificationem nostram conficere, & in eadem semper adesse oportere, non modo misericordiae fiduciam, sed emendandae etiam vitae, & bene operandi*

voluntatem ac propositum. Vide etiam Enchirid. Colon. de Justificatione, pag. 141. 142.

Qvum igitur, ut hanc considerationem concludamus, nuspiam in sacris literis (qvibuscum tamen & sentiendum & loqvendum esse de rebus fidei, nulli mortalium Protestantibus vehementius hodie contendunt) diserte legatur, Pag. 36.) *Sola fide nos justificari*, neqve Patres, qvos sic locutos saepe constat, unqvam tamen sensu a Protestantibus hodie communiter recepto intellexerint, qvum explicationes & conciliationes nuper excogitatae prorsus inanes sint, qvumqve tandem viri qvidam doctissimi & harum & illarum partium, litem hanc minime necessariam esse existimârint, atqve etiamnum existiment: nos etiam, veritatis & unitatis Ecclesiae studio inducti, illis accedentes, censemus, de illa non amplius pertinaciter altercandum, & proinde omnium rigidiorum Protestantium sententiam a veritate & christiana charitate alienam esse, qvi assertionem de *sola fide non justificante* communiter a Romanensibus defensam, citra omnem vel fidei ipsius vel meriti opinionem, etiam improprie dicti, & aliorum operum seu actuum cum fide ad justificationem concurrentium, non solum cum S. scriptura & piis Patribus e diametro pugnare contendunt, sed etiam, praeter alia innumera, justam Protestantibus a romana Ecclesia secedendi causam praebuisse & praebere. Lege extrema verba Parei lib. 1. de Justif. contra Bellarminum.

Atqve

Atqve sic ex praedictis liqvido apparet, contentionem illam, *An fides vera & justificans possit reipsa a dilectione aliisqve virtutibus separari*, nihil esse nisi *meram logomachiam.* Nam si per fidem veram & justificantem intelligatur *fides dogmatica*, (qvemadmodum proprie & distincte de fide loqvendo nihil aliud intelligi debet) Protestantes fere omnes id affirmant. Sententia enim illa Martini Buceri (quae etiam fuit P. Mart. in Rom. 11. aliorumqve qvorundam) in Colloq. ratisb. pag. 242. & seq. minime absurda est, *Omnem hominem, qvi peccatum mortale admittit, aut peccato tali haeret, habere in animo suo assensum catholicae fidei contrarium, nec assentiri vere ulli fidei articulo, aut ulli verbo Dei, immo nec credere, Deum esse, eum nimirum, qvi se nobis in scriptura revelavit.* Dogmaticam fidem (inqvit R. *Abbotus*, episc. sarisburiensis contra R. Thomsoni Diatribam pag. 213. hanc sententiam taxans) omni graviori lapsu excuti, & cum mortali peccato consistere non posse, *contra communem sensum est, & omni experientia falsum esse convincitur, cum videamus, homines non ullo modo pios dogmata fidei serio propugnare, & formam religionis omni animositate defendere; tantum ad se non applicare, qvae usui ad vitam esse debeant.* Pag. 37.) Sed si per fidem justificantem intelligamus *fidem vivam* & charitati conjunctam, qvod certe Protestantes, atqve etiam multi alii intelligunt, nihil absurdius dici aut fingi potest, qvam eam a dilectione separari posse: aperta enim est ἀντιλογία, *Fides*, ut inqvit August. lib. 15. de Trinitate

nitate cap. 18. *sine charitate potest quidem esse, sed non prodesse*, ac proinde nec justificare. Vide eund. lib. 2. contra literas Petil. cap. 77. & Tract. 7. in Johan. cap. 1.

Ad Librum Bellarmini Secundum, *qvi tractat controversiam* de causa formali justificationis.

CAPUT. I.

Qvo generaliter de ea lite agitur.

SUCCEDIT disputatio de causa formali justificationis, i. e. non propter qvam, si proprie loqvi velimus, sed *per qvam*, vel *secundum qvam*, homo dicitur justus coram Deo. *Magna sane qvaestio*, inqvit Bellarm. l. 2. de Justif. cap. 1. & hoc tempore praeter caeteras maxime necessaria. *Jure* magnam *dicit Bellarminus* (inqvit Pareus contra Bellarm. loco citato) *hanc qvaestionem: ea siqvidem potissima fuit, & est causa divortii, qvod Evangelici a Rom. papatu facere coacti fuerunt.* Haec ille. Sic hodie, proh dolor! pleriqve utriusq; controvertentium partis judicant, sic scribunt: Vivimus enim addicti studiis. Qvis tamen veritatis, qvae est secun-

cundũ pietatem, & unitatis ecclesiae magis, qvam rixarum & schismatum amans, non aliter sentiat? Conveniunt enim omnes, ut infra videbimus, in his: *Homini, qvam primo justificatur, peccata gratis remitti, & justitiam Christi imputari: eundem etiam simul per Spiritum S. renovari & sanctificari.* Haec omnia necessaria sunt creditu, atqve extra omnem dubitationis aleam posita. Sed an justificationis ratio formalis posita sit in sola remissione peccatorum, an vero etiam in imputatione justitiae Christi, aut an etiam in interna renovatione & sanctificatione, dissidia Pag. 39.) videri possunt ferme metaphysica, (ut inqvit Spalatinus lib. 7. cap. 11. n. 217.) haud absimilia disputationi logicae vel metaphysicae potius, *In qvonam ponenda sit essentialis sive formalis ratio qvantitatis, an in mensura, an in divisibilitate, an vero in extensione partium*, aliisqve plurimis id genus dissidiis. In Romana ecclesia qvam multae discrepantes hac de re sententiae fuerunt, atq; etiam num sunt, qvarum nulla haereseos jure damnari potuit, aut potest! Audiatur * magister sententiarum, lib. 3. dist. 19. A. *Mors Christi nos justificat, dum per eam charitas excitatur in cordibus nostris, qva scilicet diligimus Deum, qvi pro nobis tanta fecit. Dicimur qvoqve & aliter, per mortem Christi justificari, qvia per fidem mortis ejus a peccatis mundamur.* Unde apostolus Rom. 3. 22. Justitia Dei est per fidem Iesu Christi. Et v. 25. Qvem Deus proposuit propitiatorem per fidem in sangvine ipsius,

i. e.

* Magister sentent.] Pet. Lombardus.

i. e. *per fidem passionis: ut olim aspicientes in serpentem aeneum, in ligno erectum, a morsibus serpentium sanabantur. Si ergo recte fidei intuitu in illum respicimus, qui pro nobis pependit in ligno, a vinculis diaboli solvimur*, i. e. *a peccatis, & ita a diabolo liberamur, ut nec post hanc vitam in nobis inveniat, quod puniat: morte quippe sua, uno verissimo sacrificio, quicquid culparum erat, unde nos diabolus ad luenda supplicia detinebat, Christo extinxit.* Haec fere hodie est sententia Protestantiũ, qvae aliorum fuit tunc temporis orthodoxorum in ipsa rom. Ecclesia. Videantur & alii plurimi, suis locis infra citandi. Certe verba Bellarmini de diversis, imo adversis Romanensium circa efficaciam sacramentorum sententiis, ubi de effectu sacramentorum lib. 2. c. 1. loqvitur, observatu digna sunt. *Et hoc* (scilicet sacramenta esse efficacia signa gratiae, in qvo omnes conveniunt) *sufficit ad fidem, & ad legitimum usum sacramentorum; qvomodo in miraculis Christi non reqvirebatur, ut homines, qvi curandi essent, scirent, in qvo genere causae fimbria Christi sanaret. Satis erat, ut scirent & crederent, tactum illius fimbriae adferre sanitatem, neqve opus erat, ut ipsi Apostoli, qvi manus imponendo curabant, scirent, qvomodo id fieret.* Et rursus de dissidiis Romanensium de materia & forma sacramenti matrimonii, de Matrim. lib. 1. cap. 6. circa finem. *Et qvamvis etiam tum de materia, tum de forma, maxime inter se Catholici dissiderent, nihil id officeret certitudini, qvam habemus de sacramento matrimonii. Nam ad fidem catholicam de sacramentis habendam, & ad eadem*

eadem sacramenta fideliter ministranda, vel suscipienda, satis est, scire, qvid necessario reqviratur ad sacramentum celebrandum, & qvae sint illa, sine qvibus non perficitur sacramentum. *Qvid autem in his proprie forma sit, qvid materia, sine fidei praejudicio disputari, & etiam ignorari potest.* Pag. 40.) Haec omnia inqvam, Bellarmini verba, mutatis mutandis, huic controversiae aliqvatenus aptari possunt. Qvae in justificatione peccatoris pœnitentis & credentis, a Deo unico nostri justificatore, fiunt vel efficiuntur, ut certe fiunt omnia tria praedicta, firma fide omnes teneamus & complectamur; subtiles autem & scholasticas disputationes, in qvibus forte haec est, *In qvo praecise ponenda sit formalis justificationis ratio?* & definitiones audaces atqve peremtorias sub pœna anathematis, (cujusmodi sunt permultae tridentinae) fugiamus: ad salutem enim vel plebis vel etiam doctiorum non sunt necessaria, & per eas charitas christiana gravissime laeditur. *Satius esset, habere justitiam coram Deo, atqve etiam coram hominibus, qvam de ea* contentiose *disputare. Tam diu ad toties rixamur de justificatione*, (ut non immerito qveritur* vir qvidam moderationis studiosissimus) *& nunqvam anhelamus, ut justi simus revera, & justi reperiamur ad salutem*: disputare enim malumus, qvam bene vivere. Qvum tamen fata Ecclesiae praesentia nos trahant ad specialem eorum, qvae hac de re inter partes disceptantur, considera-

* Vir qvidam] Wicelius in Via reg. l. 6. p. 35. edit. Coning.

derationem aeqvam & placidam, age, seqvamur, qvo volunt illa, cum bono Deo.

CAPUT II.

Qvo specialiter de causa formali justificationis disseritur, & imprimis de imputatione justitiae Christi.

Non imus inficias, in multorum Protestantium scriptis varias, incommodas & crudas, atqve interdum contrarias, de causa formali justificationis nostrae sententias ac loqvendi formulas inveniri, qvas licet aliqvi excusare multum laborent, nos tamen, qvibus veritas & ecclesiae pax, paucorum qvorundam, praesertim recentium, auctoritate multo charior est, non excusamus, nedum defendimus, ne lites & iniqvas & inutiles foveamus. Studiose qvidem illas Romanenses ex variorum Protestantium scriptis excerpunt & curiose numerant: sed certe non semper candide & bona fide. Nonnullas tamen discrepantes super eadem re sententias in suorum etiam scriptis extare meminerint, ut infra dicemus, ac proinde cum Protestantibus tanto aeqvius agendum esse.

Pag. 41.) *Fidem esse formalem causam justificationis nostrae*, dixerunt qvidem multi magni nominis Protestantes, ut Lutherus, Brentius, Schegkius, imo Calvinus ipse cum alibi, tum Instit.* lib. 3. cap.

* Lib. 3. c. 14. sect. 17.] Vel cap. 10. n. 44.

2. cap. 14. sect. 17. aliiqve, & *fidem pro justitia nostra vera & perfecta, per gratiosam Dei dignationem & acceptationem, propter Christi obedientiam, haberi* dixerunt iidem supra nominati, (Calvinum excipio) & inter recentiores J. Armin. in epist. ad Hippolytum a Collibus, & in Articulis perpendendis tit. de Justif. Petrus Bertius, cum adhuc Leidae theologiam profiteretur, in Epist. discept. de Justif. cum Sibrando, *fidem* qvidem *vivam* semper intelligentes. Sed Protestantes communiter utrumqve hodie negant, & qvidem recte: fides enim, etiam proprie, & non metonymice pro Christi justitia fide apprehensa accepta, (qvicqvid contra multi rigidiores Protestantes cavillentur) nobis imputatur ad justitiam illam obtinendam, qva proprie ac formaliter coram Deo justificamur, vel pro ipsa, nimirum conseqvenda; hoc enim saepe scriptura testatur, Gen. 15. 6. Rom. 4, 3. Sed fides nec est, neqve uspiam dicitur esse illa ipsa justitia proprie dicta, sed *justitia* dicitur esse *ex fide* & *per fidem*. Qvod si etiam cum Romanensibus libet sic explicare, qvod in scriptura dicitur, *fidem in justitiam imputari* vel *reputari*, qvia fides vera justitia est, (Dei enim reputatio vel existimatio semper cum veritate conjuncta est) saltem secundum inchoationem: nam ejusmodi fides a peccatore per Dei gratiam concepta, *initium est justitiae & renovationis ejus, & qvidem tale, qvod ipsam justitiam apprehendat, & ex qvo velut semine tota justitia progerminet*, ut loqvitur Estius in Rom. 4. v. 4. fides

tamen, qvocunqve explicetur modo illius imputatio ad justitiam, proprie loqvendo nec est, nec habetur pro perfecta illa justitia, qva proprie & formaliter coram Dei justi sumus. Et in hoc communiter Protestantes & Romanenses conveniunt, ita ut Bellarm. tota illa disputatione lib. 2. cap. 4. fidem non esse integram formalem causam justificationis nostrae, supersedere potuisset.

De sententia A. *Osiandri*, & peregrinis atqve absurdis loqvendi formulis ab illo usurpatis, qvum Protestantes omnes non minus, qvam Romanenses, eas rejiciant, nihil est necesse dicere.

Pag. 42.) Ad justificationis nostrae formalem rationem spectare remissionem peccatorum, qvum fateantur omnes utrisqve partis, differamus nunc de imputatione justitiae Christi, & an illa etiam formaliter justificemur.

Iustitia Christi nobis imputata consistit non tam in habituali illa justitia, qva sanctissima Christi anima a primo suae conceptionis instanti donata fuit, & consors divinae naturae facta, qvam in justitia ejus actuali, qvam in tota hac vita mortali & agendo & patiendo operatus est, qvaeqve alterius effectus fuit. Habituali qvidem sua justitia nobis justificationem etiam meruit Christus : *talis enim nos docebat pontifex, sanctus, innocens, impollutus, a peccatoribus segregatus*, Heb. 7. 26. sed actualis illius justitiae specialior qvaedam fuit merendi ratio; ac proinde scripturae in justificationis nostrae doctrina de illa praesertim loqvuntur. Meruit

Meruit nobis Christus per omnia, qvae in terris egit aut passus est: infinite enim Deo patri placuerunt omnia, & immensi atqve inexhausti meriti fuere, propter unionem hypostaticam personae divinae, nam *humana opera divine operabatur*, ut docet Dionys. de Divinis Nominib. & Damasc. lib. 3. de Orthod. fide. Inter omnes tamen Christi actiones & passiones pro nobis susceptas ejus mors & passio eam proxime antecedens, nobis maxime & potissimum justificationem meruit. In ea enim singulariter emicuit obedientia Christi erga patrem, & dilectio erga humanum genus, & tota illius obedientia consummata fuit, ut praeclare docet apost. ad Phil. 2. 8. Hoc infinita scripturae & Patrum loca testantur; in hoc etiam omnes Protestantes & Romanenses consentiunt: sed de merito obedientiae vitae nonnulla est inter ipsos Protestantes controversia. Qva de re, qvid vere sentiendum sit, non est omnino ab instituto nostro alienum, paucis differere & explicare.

Affirmant nonnulli Protestantes, *Christum nullo modo obedientia activa*, sive *vitae*, ut ipsi loqvi malunt, sed sola passiva, sive mortis, nobis justificationem meruisse. Sed errorem errant crassissimum: Nova enim est haec sententia, ac in Ecclesiam primum invecta a qvodam M. Georgio * Kargio, pastore onoldino, ann. 1570. teste Mentzero Disp. theol. giss. tom. 3. pag.

* Kargio] Qvem latino vocabulo etiam *Parsimonium* vocant.

453. & Joanne Gerhardo loc. de Justif. n. 57. qvam tamen ille, rectius a viris piis & eruditis edoctus, revocavit. Eadem vero postea a Zach. Vrsino & J. Piscatore, theologo herbornensi, qvasi non plus satis esset hactenus rixarum in Ecclesia, denuo excitata, & animose, immo pertinaciter defensa fuit. Pag. 43.) Hos complures postea secuti sunt. Eandem etiam sententiam defendit Carolus Molinaeus Annot. in. 51. partem Harmoniae. Vide Fr. Fenard. dialogo 4. Cornelium Schultingium contra Instit. Calvini, tom. 3. pag. 482. Sed sententia haec adversatur 1. S. literis, qvae non sola Christi morte, sed integra ejusdem vitae simul & mortis obedientia salutem & justitiam nobis, etiam per modum meriti, comparatam esse, compluribus locis clare testantur. Iesa. 9. 6. Lucae 2. 11. Matth. 3. 15. 2. ad Cor. 8. 9. Gal. 4. 4. 5. inprimis Rom. 5. 18. 19. & Phil. 2. 5. & seq. 2. Pugnat cum communi & perpetuo Patrum consensu. Videatur autor Exposit. fidei in Justini mart. Opp. Irenæus lib. 5. adversus haeres. cap. 14. juxta Galasii distinctionem, & cap. 15. & 18. (1) Ambros. in 2. Cor. 4. & in 1. Cor. cap. 15. Chrysost. in epist. ad Rom. cap. 5. hom. 10. Cyrill. alex. lib. 11. in Joh. cap. 25. lib. 12. cap. 16. & l. de Recta fide ad Reginas p. 349. Primasius in cap. 11. Rom. lib. 1. epist. 70. ad Juvenalem episc. hierosolym. Damasc. lib. 3. de Orthod. fide cap. 24. Anselm. (sive potius (2) Herveus) in 4. ad Gal. & in li-

(1) Ambros.] Aut potius Hilarius diaconus. Cave Hist. lit. 150.
(2) Herveus] Monachus dolensis. Vid. Cave 439. 459.

in libello Meditationum: Bernh. serm. 1. de Circumcisione, serm. 3. de eadem, item serm. de verbis Ps. 23. vel 24. 3. *Quis ascendet in montem Domini?* p. 95. & serm. ad milites templi, c. 11. 3. Repugnat unanimi omnium Romanensiũ sententiae, hac in re minime contemnendae, ut qvae cum scriptura & Patribus maxime consentit. Gravissimam enim injuriam facit Romanensibus Barth. Battus lib. 1. de Justif. cap. 8. contra Bellarm. illis etiam hanc novam sententiam adscribens, ingenue id confitente I. Gerhardo L. de Justif. n. 57. licet Batti nomen supprimat: Concilium enim tridentinum sess. 6. cap. 7. Christum non simpliciter passione sua, sed *sanctissima sua passione* nobis justificationem meruisse dicit: sicut ipse Battus idem agnoscere cogitur. Bellarm. qvidem lib. 1. de Justif. cap. 2. solius passionis Christi in assignanda meritoria justificationis causa meminit, & lib. 2. cap. 5. affirmat, nihil freqventius omnem scripturam testari, qvam Christi passionem & mortem, plenam atqve perfectam satisfactionem fuisse pro peccatis; Pag. 44.) non tamen excludit sanctitatem vitae Christi, sed justitiam illam, qva Christus, non ut homo, sed ut Deus, essentialiter justus est, qvemadmodum A. Osiander, contra qvem ibidem disputat Bellarminus, contendebat; & justitiae mortis Christi tantum meminit, qvae scilicet in passione & morte Christi, meriti justificationis nostrae complementum & consummatio fuit. Alioqvin idem lib. 5. de Chri-

stomed. cap. 9. diserte scribit, Christum operibus ac laboribus suis, non solum nobis omnibus gratiam & gloriam acqvisivisse, sed etiam sibi aliqvid. Vide praeter alios Romanenses Gregorium de Valentia lib. 1. de Christo redemtore cap. 3. ubi prolixe hac de re disserit, Ruardum Tapperum art. 8. de Justif. pag. 26. Staplet. de Justif. lib. 7. cap. 5. & 6. Costerum in Enchirid. pag. 296. Male igitur etiam Amandus Polanus Symphoniae suae cath. thesin 10. cap. 12. de Justif. inscripsit *Contra Papanos*, qva justitiam illam Christi, qvae nobis imputatur, affirmat esse satisfactionem ejus, qva legem totam implevit, obedientiam nobis praeceptam perfectissime praestando, & mortem nobis comminatam sustinendo, qvamqve etiam satis diligenter confirmat consensu Patrum. Sed cum Romanenses id non negent, inscribenda fuisset *Contra Piscatorem ejusqve sequaces*. Pugnat 4. cum constanti omnium Lutheranorum sententia; qvorum permulti diversis tractatibus & disputationibus in publicum editis, hanc sententiam refutarunt. Repugnat 5. & ultimo, communiori sententiae etiam eorum Protestantium, qvi vulgo Calviniſtae dicuntur, ut ex variis illorum scriptis abunde constat, qvae adeat curiosus lector. Vnde Pastores gallicani in synodo * appinensi congregati an. 1603. Piscatorem per literas, qvae publice extant, admonuerunt, ut dogma hoc non probum atqve evangelio contrarium publice retractaret, nec

* Appinensi] Vel Cappinensi. Sic additum erat in priore editione.

nec in posterum animos studiosorum misere eodem imbueret, aut infirmis scandalorum, collegis dissensionum, & Pontificiis insultandi occasionem praeberet. Hugo Grotius, vir antiqvitatis peritissimus, (ut merito Remonstrantes in nupera sua Apologia illum laudant, pag. 270.) in eruditissima sua Defensione fidei catholicae de Satisfactione Christi, contra Socinum cap 6. pag. 107. *Qvanqvam vero hactenus*, inqvit, *ostendimus, Christi pœna Deo satisfactum, negare tamen nolumus, vim satisfactionis esse etiam in ipsa Christi actione.* Pag. 45.) Et pag. 108. (nota contra errorem Roberti Rolloci lib. de Vocatione cap. 4. pag. 43. 44. aliorumqve) *Sicuti opera temporaliter bona, valent ad temporalem impunitatem, ita Christi opus perfecte & spiritualiter bonum, ad liberationem a poena aeterna valuit. Qvo illud spectat,* Per obedientiam unius, justi constituuntur multi, i. e. *justificantur, habentur qvasi insontes.* Rom. 5. 19. *Qvod vero de satisfactione jam diximus, eam primo qvidem poenae, deinde vero ipsi etiam actioni obsequiosae tribui, idem de placatione Dei, de redemptione nostra, & de expiatione intelligi debet.* Et Gerh. J. Vossius, vir doctissimus & in antiqvitate versatissimus, in docta sua praefatione libro Grotii nunc laudato praefixa, non procul ab initio haec habet: *Beneficia ejus* (Christi) *partim in iis consistunt, qvae vita & morte acqvisivit nobis.* Et rursus: *Nam actiones & perpessiones Christi, minoris aestimet, necesse est, qvisqvis illum non qvatenus est, agnoscit.* Extat epistola qvaedam D. Parei

ad illustrem Comitem, &c. annexa Explic. cat. ech. edit. 1621. qva suam sententiam exponit de justitia Christi activa & passiva, & in qvibus ab utraqve litigantium parte peccetur, deniqve qva ratione controversia haec conciliari possit. Sed multa in ea inveniuntur, ubi ipsemet haud leviter peccat. In qvibus, ut caetera mittam, praecipuum est illud, qvod *habitualem & actualem humanitatis Christi conformitatem cum lege, pro justitia personae Christi*, more suo, habet, & non pro justitia meriti Christi. Neqve unqvam viris doctis satisfaciet ista ab eo proposita conciliationis ratio, cum manifesta veritatis injuria conjuncta.

Errant tamen, ut alios errores brevitatis studio non attingam, omnes illi Protestantes, qvi hanc novam & singularem sententiam impugnantes, affirmant, *peccatum originis nobis remitti propter sanctam Christi conceptionem, peccata omissionis propter sanctam Christi vitam, peccata deniqve commissionis propter sanctissimam illius passionem; aut obedientiam Christi activam & passivam, ratione meriti*, ita *distingvunt*, ut haec nobis liberationem a morte aeterna, illa vero vitam aeternam promeruerit: Christi enim justitia, in justitia & salute nobis promerenda, non ita est in partes vel frusta distrahenda vel discerpenda, qvum Christus integra sua obedientia habituali & actuali, vitae & mortis, Pag.46.) non solum omnia nostra peccata, qvaecunqve illa sint, expiârit, & mala, in qvae per peccatum incide-

cideramus, abstulerit, sed & bona, qvae amiseramus, immo illis longe praestantiora acqvisiverit, ut plurima scripturae loca testatur: Matth. 20. 28. Joh. 1. 29. Tit. 2. 14. Gal. 3. 13. & 14. Heb. 2. 9. & 10. 1. Petr. 3. 18. Nec activa illius justitia a passiva, vel haec ab illa, ratione meriti, sic distingvenda est: neutra enim sine altera meritoria fuit; utraqve autem a personae Christi agentis & patientis infinita dignitate valorem ac pondus habuit. Sed paucis sic ostensa justitia illa Christi, qva justitiam & salutem nobis promeruit, qvaeqve nobis imputatur, in disqvisitione coepta pergamus ad seqventia.

Qvibusdam theologis in Concilio tridentino nimium superstitiosis, vel etiam contentiosis, vocabulum *imputationis* (justitiae Christi scilicet) ita invisum, aut saltem suspectum erat, sicut testatur historia illius Concilii lib. 2. & de Dom. a Soto ex illius scriptis constat, ut sublatum cuperent, qvia scilicet Protestantibus adeo esset familiare, cum tamen nec in scriptura, nec in Patribus unqvam usurpetur; & propter consectaria, qvae Protestantes inde eliciunt. Certe nusqvam in scriptura diserte legimus, *Christi justitiam nobis ad justitiam imputari.* Legimus qvidem in scriptura, *fidem nobis imputari ad justitam; propter Christi justitiam Deum non imputare nobis peccata nostra; & imputari nobis justitiam*, Rom. 4. 6, 11. nusqvam vero scriptura expresse dicit, *Deum nobis imputare ad justitiam, Christi justitiam.* Sententia tamen ipsa recte intellecta, passim in

S. literis traditur; justitiam enim, h. e. obedientiam Christi nobis imputari, i. e. qvoad effectum vel fructum, scilicet remissionem peccatorum, justitiam inhaerentem, & acceptationem ad vitam aeternam, nobis communicari, attribui ac donari, toties reipsa in scriptura dicitur, qvoties expresse asseritur, Christi vel obedientia vel morte justitiam & salutem nobis comparatam, vel nos a peccatis redemtos ac Deo reconciliatos: vel qvoties docetur, *Christum a Deo factum esse nobis justitiam*, 1. Cor. 1. 30. *pro nobis factum esse peccatum, ut nos in ipso efficeremur Dei justitia*, 2. Cor. 5. 21. *ejus justitia & obedientia nos coram Deo justos constitui*, Rom. 5. 19. Similiter in Patribus, *communicationis, participationis, donationis, diffusionis* vocabula saepe leguntur, ut constat, & confitentur illi ipsi, qvibus *imputationis* vox maxime displicet; cum tamen hac voce nil aliud praecise, qvam illis aliis significetur. Pag. 47.) Qvocirca cum de reipsa satis constet, frustra de verbis litigatur. Qvin immo & *imputationis* vox in Bernardo legitur epist. 190. ad Innocent. papam: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur; sicut omnium peccata unus ille portavit.* Lege, qvaeso, diligenter totam illam epistolam, & Serm. ad milites templi cap. 11. ubi dicit: *Mors in Christi morte fugatur, & Christi nobis justitia imputatur.* Hoc idem concedunt plurimi Romanenses, A. *Vega* de Justif. lib. 15. cap. 2. Bellarm. (qvi etiam confitetur, recte dici, Christi justitiam & me-

& merita nobis imputari, cum nobis donentur ac applicentur, ac si nos ipsi Deo satisfeciſſemus; ſed non ita, ut per Chriſti juſtitiam formaliter juſti nominemur & ſimus) de Juſtif. l. 2. c. 7. 10. 11. Suarez de Gratia lib. 7. cap. 7. n. 29. Tapperus art. 8. de Juſtif. pag. 25. 26. 27. Vasqvez in primam 2. tom. 2. diſp. 202. cap. 6. n. 45. Staplet. de Juſtif. lib. 7. cap. 9. Coſterus in Enchirid. pag. 292. aliiqve complures. Et multis ante Bernardum ſeculis, Athanaſius adverſus eos, qvi damno afficiunt genus noſtrum eo, qvod negant, Servatorem ex natura noſtra ſumſiſſe primitias, tom. 2. edit. Commelin. pag. 270. affirmat, noſtrum eſſe, *credere ſacris ſcripturis, & impletionem legis a primitiis* (i. e. Chriſto) *factam, toti maſſae aſcribere ſeu imputare:* nam in Graeco eſt λογίζεσθαι, verbum, qvod Apoſtolus ad Rom. 4. uſurpat.

Chriſti juſtitiam ſeu obedientiam, qvatenus per fidem nobis applicatur & imputatur, eſſe cauſam juſtificationis noſtrae formalem, qva coram Deo juſti ſimus & pronunciamur, dicunt multi Proteſtantes, *formae* voce non proprie accepta pro cauſa interna, qvae ſubjectum conſtituit & denominat, vel informante, (omnis enim iſtiusmodi forma intrinſeca & inhaerens eſt) ſed late & improprie, pro qvalibet cauſa, qvae definitionem rei conſtituit, & dat eſſe rei, cujus eſt forma, qvaqve remota, res amplius non conſiſtit; ſive illa inhaereat, ſive aſſiſtat, ſive qvomodocunqve per relationem ſubjecto applicetur aut uniatur.

tur. Hanc sententiam Romanenses hodie erroris stulti immo impii damnant, & justitiam imputatam vocant *putatitiam, fictitiam, imaginariam & fantasticam, spectrum cerebri lutherani, amentissimam insaniam*, & qvid non? Pag. 48.) Immo Patres tridentini eo usqve processerunt, ut sic sentientes anathemate percutere haud sint veriti, sess. 6. can. 10. *Si qvis dixerit, homines sine Christi justitia, per qvam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit.* Vbi 1. qvam iniqve & odiose copulantur, & pariter anathemate damnantur, qvi dicunt, nos *sine Christi justitia* justificari, & qvi *per eam ipsam* formaliter nos justos esse affirmant! 2. Qvam otiose (ne qvid gravius dicam) & praeter omnium veterum Conciliorum morem, terminus *formaliter* non e sacris literis, nec ex Patrum scriptis, sed ex solis scholarum distinctionibus petitus, qviqve etiam diversimode accipi potest, conciliari canoni inseritur, & qvi formalitatem hanc asserit, anathemati subjiciatur! Certe nec ii Protestantes, qvi per ipsam Christi justitiam imputatam, & fide viva apprehensam, nos formaliter justificari dicunt, voce *formae*, ut dictum, latius accepta, inhaerentem justitiam negant, aut nos formaliter ea, voce *formae* proprie accepta, justos denominari ac esse asserunt, sed hoc est, qvod contendunt, nos non per inhaerentem justitiam, propter suam imperfectionem, coram divino tribunali justificari, sed tantum per perfectissimam Christi obedientiam. Qva de re infra videbimus.

mus. Vnde qvidam etiam rigidiores Protestante, attendentes propriam vocis *formae* acceptionem, negant, nos per imputationem justitiae Christi formaliter justificari, sed imputative seu relative tantum, licet vere & realiter. Pareus de Justif. contra Bellarm. lib. 2. cap. 7. pag. 469. *Nos*, imputari nobis Christi justitiam, ut per eam formaliter justi nominemur & simus, *neqve diximus unqvam, neqve sentimus, ut aliqvoties jam ostendimus: Id enim non minus sane cum recta ratione pugnaret, qvàm si reus in judicio absolutus diceret, se clementia judicis, donantis sibi vitam, formaliter justum esse.* Joh. Prideaux, theologus oxoniensis, in suis Lectionibus theologicis nuper emissis, lect. 5. de Justif. pag. 163. ad verba Bellarm. lib. 2. de Justif. cap. 7. sect. *Qvarto Refellitur. Si justitiam seu merita Christi solum vellent* (Protestantes) *nobis imputari*, &c. respondens, ita inqvit: *At qvis unqvam e nostris, nos per justitiam Christi imputatam formaliter justificari, asseruit?* (Immo qvam plurimi Protestantes, ut neminem latet. Qvin ille ipsemet, licet heic sui oblitus, paulo ante, hac eadem lectione, pag. 156. diserte asseruit, Pag. 49.) formam justificationis nostrae, esse tam activae, qvam passivae obedientiae Christi imputationem. Sed hoc est, qvod dixi; aeqvivocatione vocis *formae* luditur.) *Annon formam qvamlibet inhaerentem, qva formaliter justi denominemur, semper explosimus?* Sic ille. Sibrandus contra Vorstii errores, pag. 604. 605. &c. Chamierus de Justif. lib. 21. cap. 20. n. 21.

Eam-

Eandem prope sententiam cum hisce Protestantibus, qvidam etiam Romanenses ante Concil. tridentinum secuti sunt, testibus Romanensibus ipsis, Bellarm. de Justif. lib. 2. cap. 1. Staplet. de Justif. l. 7. c. 9. & inprimis A. Vega de Justif. lib. 7. cap. 21. aliisqve. Alb. Pighius, strenuus alioqvi & peracris Protestantium adversarius, Controvers. 2. de Fide & justif. (cujus verba omnia in sententiam non libet hic adscribere, nam hac in re multus est) postqvam ibi fuse ostendit, neminem mortalium esse, qvi non etiam injustitiae convincatur, qvamvis justissimus sit inter homines, subdit, *divinam misericordiam nobis succurrisse per Christum: in qvo justificamur coram Deo, non in nobis, non nostra, sed illius justitia; qvae nobis cum illo jam communicantibus, & ei insertis, conglutinatis, & unitis, imputatur. Propriae justitiae inopes, extra nos, in illo docemur justitiam qvaerere.* Et paulo post: *In Christi autem obedientia qvod nostra collocatur justitia, inde est, qvod nobis illi incorporatis, ac si nostra esset, accepta ea fertur, ita ut ea ipsa etiam nos justi habeamur.* Atqve hanc sententiam Pighius multis scripturae testimoniis, qvae a Protestantibus communiter adducuntur, confirmat, eandemqve illustrat exemplo haud ineleganti benedictionis Jacobi patriarchae, qvo Protestantes multum delectantur. Concludit deniqve in hunc modum: *Dissimulare non possumus, hanc* (scilicet de justificatione) *vel primam doctrinae christianae partem obscuratam, magis qvam illustratam scholasticis, spinosis plerumqve, qvae-*

stioni-

stionibus & definitionibus, secundum qvas nonnulli magno supercilio primam in omnibus auctoritatem sibi arrogantes, & de omnibus facile pronunciantes, fortassis etiam nostram hanc damnarent sententiam, qva propriam, & qvae ex suis operibus esset, Pag. 50.) *coram Deo justitiam derogamus omnibus Adae filiis, & docuimus, una Dei in Christi niti nos posse justitia, una illa justos esse coram Deo, destitutos propria, nisi hoc ipsum adstruxissemus aliqvanto diligentius.* Haec ille. Prolixitatis vitandae studio, caetera, qvae dicenda sunt, in caput seqvens rejicienda duxi.

CAPUT III.

In qvo fusius adhuc de imputatione justitiae Christi tractatur.

CAnonici colonienses in suo Antididagm. ubi tractant de causis, per qvas justificamur, haec habent de causa formali: *Justificamur a Deo justitia duplici, tanqvam per causas formales & essentiales. Qvarum una & prior est consummata Christi justitia, non qvidem qvomodo extra nos in ipso est, sed sicut, & qvando eadem nobis, dum tamen fide apprehenditur, ad justitiam imputatur. Haec ipsa ita nobis imputata justitia Christi, praecipua est & summa justificationis nostrae causa, cui principaliter inniti & fidere debemus. Aliter vero justificamur formaliter per justitiam inhaerentem, qva remissio peccatorum simul cum renovatione Sp. sancti, & diffusione charitatis in corda nostra, secun-*

dum

dum mensuram fidei uniuscujusque, nobis donatur, infunditur, & fit propria. Haec illi.

Inclinàsse videntur in hanc sententiam, inqvit Vega, *auctores etiam libelli*, a Carolo V. Imp. collocutoribus in Comitiis ratisb. ad promovendam conciliationem oblati ann. 1541. ut legere est apud Goldast. Constit. Imper. tom. 2. pag. 186. cap. 5. de Justificatione hominis. Vbi inter caetera bona nobis communicata in justificatione nostra, ponunt imputationem justitiae Christi, & fide eatenus dicunt nos justificari, i. e. acceptari & reconciliari Deo, qvatenus apprehendit misericordiam & justitiam, qvae nobis imputatur, propter Christum & ejus meritum, non propter dignitatem seu perfectionem justitiæ, nobis in Christo communicatae: & fidelem animam aiunt non inniti justitiae sibi inhaerenti, sed soli justitiae Christi nobis donatae; sine qva omnino nulla est, nec esse potest justitia. Pag. 51.) *Licet enim non utantur hi*, inqvit Vega loco supra citato, *verbo* formaliter, *neqve dicant justitiam Christi* causam formalem nostrae justificationis, *sicut Colonienses; tamen eandem cum illis videntur secuti sententiam, qvia praeter justitiam inhaerentem, alteram justitiam* (nempe Christi) *communicari nobis asseruerunt, qva praecipue fiamus justi, cuique soli debeamus inniti.*

Contarenus cardinalis, vir doctrina & vitae integritate insignis, qvi Comitiis illis ratisb. interfuit, in tract. de Justif. ita inqvit: *Qvoniam ad duplicem justitiam pervenimus per fidem, justitiam inhaeren-*

inhaerentem nobis & charitatem ac gratiam qva efficimur consortes divinae naturae, & justitiam Christi nobis donatam & imputatam, qvoniam inserti sumus Christo & induimus Christum; restat inqvirere, utranam debeamus niti, & existimare nos justificari coram Deo, i. e. sanctos & justos haberi. Ego prorsus existimo, pie & christiane dici, qvod debemus niti, *niti, inqvam, tanqvã re stabili, qvae certo nos sustentat,* justitia Christi nobis donata, non autem sanctitate & gratia nobis inhaerente. *Haec etenim nostra justitia, est inchoata & imperfecta, qvae tueri nos non potest, qvin in multis offendamus, & assidue peccemus, ac propterea indigeamus oratione, qva qvotidie petamus dimitti nobis debita nostra. Idcirco in conspectu Dei non possumus, ob hanc justitiam nostram, haberi justi & boni, qvemadmodum deceret filios Dei esse bonos & sanctos. Sed justitia Christi nobis donata est vera & perfecta justitia, qvae omnino placet oculis Dei, in qva nihil est, qvod Deum offendat, qvod non summopere Deo placeat. Hac ergo sola certa & stabili nobis nitendum est, & ob eam solam, credere, nos justificari coram Deo, i. e. justos haberi & dici.* Hæc ille.

Multo aeqvius & moderatius etiam post Concilium tridentinum de hac loqvendi formula, tantopere a Patribus illius concilii damnata, qvod scilicet Christi justitia nobis imputata justi simus formaliter, pronunciavit Ru. Tapperus, qvanqvam & ipse de re illa diversum a Protestantibus sentiret, art. 8. de Justif. pag. 27. *Et si*, inqvit, *in re ipsa esset consensio*, (i. e. si non excluderetur justitia inhaerens) *non esset multum de verbis sermonis-*

qve forma pugnandum; qvae ob varios tropos, qvibus scripturae, & nos etiam plerumqve utimur, permitti & dissimulari possit; Pag. 52.) *qvod videlicet Christi justitia nobis imputata justi simus formaliter, tametsi nostra justitia non sit justitiae Christi participatio, nisi in genere causae efficientis.* Et paulo post: *Simili itaqve tropo & nos justi nominari possumus imputatione justitiae Christi, sicut figurata est locutio, qvod* Christus nobis factus est sapientia & justitia, 1. Cor. 1. 30. Pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, 2. Cor. 5. 21. Dominus justitia nostra, Jer. 23. 6. *Super hac igitur sermonis forma & loqvendi modo, non multum esset contendendum, si nobis concederent adversarii, qvod propria justitia nobis inhaereat, sicut proprium ex Adamo contrahimus peccatum, nos intrinsece commaculans.*

Rectius tamen nonnulli alii theologi Protestantes & Romanenses, communiter, *justitiam vel obedientiam Christi nobis imputatam seu applicatam, non causam formalem, sed causam meritoriam tantum & impulsivam*, qvam προκαταρκτικὴν nominant, *justificationis nostrae* esse statuunt. Justitia enim Christi nos justificari, & ut causa formali, & ut meritoria, (qvod asserunt ii, qvi priorem tuentur sententiam) dici non potest; nam fieri neqvit, ut eadem res simul sit causa efficiens, ad qvam meritum reducitur, & formalis ejusdem effecti, qvia sic simul & de essentia effecti foret, & non foret; cum causa formalis interna sit, efficiens autem externa tantum, uti constat.

Dico

Dico igitur, *rectius statui justitiam Christi causam meritoriam, non formalem justificationis nostrae*, qvia praeter id, qvod dictum est, illud primo universa clamat scriptura; hoc autem nulla omnino scriptura clare & necessario evincit. Qvod enim Jer. 23. 6. Christus nominatur *Dominus justitia nostra*, (qvem locum cum seqventibus, ut caeteri omnes Protestantes, qvi hanc sententiam tuentur, vehementer urgent, ita nemo magis qvam episcopus wintonienſis (*Bilsonus*) in concione qvadam anglicana, doctissima alioqvi, de Justificatione in Christi nomine, super hunc locum) & in loco illi parallelo, 1. Cor. 1. 30. dicitur *factus nobis a Deo sapientia & justitia*, sensu causali & figurato, non proprie inteiligendum est; qvia scilicet Christi merito veram justitiam & divinam sapientiam, sanctificationem & redemtionem a Deo accipimus. Qvomodo, Pag. 53.) Eph. 2. 14. *Christus pax nostra* vocatur; qvia pacem nobis suo merito conciliavit. Sic locorum peristases diligenter excussae cogunt, sic interpretes omnes doctiores suadent, haec dicta esse explicanda. Qvod 2. Cor. 5. 21. *feciſſe pro nobis peccatum* dicitur *Deus Christum, qvi non noverat peccatum*, hunc habet sensum: Deus Christum fecit hostiam, seu sacrificium pro peccatis nostris: (ut multi, cum veteres, tum recentiores vocabulum *peccati* hoc loco ex variis veteris scripturae locis intelligunt) vel hominem morti, miseriis ac aerumnis variis obnoxium, & per haec peccatoribus similem, ut per *peccatum* similitudo peccati vel poena peccati

ti intelligatur; vel, ut Chrysost. aliiqve Graeci, nostri causa tractavit eum, tanqvam ipsum peccatum, ipsum scelus, i. e. tanqvam hominem insigniter sceleratum, ut in qvo posuerit iniqvitatem omnium nostrum, Jes. 53. 5. qvando scilicet eum pro nobis morti crucis subjecit, qvo maledicto & ignominioso supplicii genere solent affici famosi latrones; *ut nos per eum* (graece, ἐν αὐτῷ. Hebraismus est, pro δι' αὐτοῦ. Sic etiam exponit Oecumenius) i. e. per Christi meritum, *efficeremur justitia Dei*, seu vere justi, ea nempe justitia, qvae a Deo nobis donata, & Deo probata, propter Christum, sit, remissis scilicet peccatis nostris omnibus, & nobis per spiritum Christi sanctificatis. Consulantur interpretes omnes doctiores, veteres atqve recentes, in locum; nos enim nunc commentarios non scribimus. Ita ut nihil minus ex hoc loco intelligi possit, qvam ab iis, qvi hanc sententiam propugnant, hinc infertur, *omnem nostram justitiam, qva coram Deo justificamur, externam esse*, ipsam scilicet Christi justitiam, qvae nostra fiat, dum nobis illam gratuito Deus imputat, eodem, ut loqvuntur illi, modo, qvo Christus peccatum sive peccator factus est, non propter peccatum sibi inhaerens, sed propter imputationem nostrorum peccatorum. Nihil nunc dicam, qvam a vero alienum sit, qvod hinc & alibi passim ab aliis affirmatur, *Christum vere & realiter per imputationem coram Deo peccatorem habitum fuisse*. Suscepit qvidem Christus in se sponte,

sponte, atqve etiam ex patris mandato, debitum solvendae poenae nostris peccatis debitae, (ex qvo non peccator, sed justus, immo justissimus dici meruit) peccata tamen Pag. 54) nostra eorumqve reatum in se proprie non recepit: longe enim aliud peccatum est, qvam debitum solvendae poenae; nam hoc est effectus consequens, potestqve qvis debitum pro alio velle solvere, qvamvis illius peccatum in se proprie non recipiat. *Peccatum non suscepit*, inqvit Augustinus de Verbis apost. serm. 14. *sed poenam peccati suscepit; suscipiendo sine culpa poenam, sanavit & culpam.* Et contra Faustum. lib. 14. cap. 4. *Suscepit Christus sine reatu supplicium nostrum, ut inde solveret reatum nostrum, & finiret etiam supplicium nostrum.* Sic ille. Nam nec decuit, neqve etiam fieri potuit, ut Christus veram injustitiam in se reciperet; sic enim minime fuisset idoneus ad satisfaciendum Deo pro injustitia nostra. Sed de tota hac nova atqve etiam falsa hujus loci expositione, lege inter recentiores Protestantes doctissimum Bilsonum, episcopum qvondam wintonienſem, in sua Recognitione passionum Christi, pag. 271. 272.

Neqve etiam testimonia Patrum, qvae ad hanc sententiam firmandam vulgo citantur, hoc probant. Verba illa Augustini in Enchirid. ad Laurent. cap. 41. qvae clarissima illis videntur: *Ipse ergo peccatum, ut nos justitia; nec nostra, sed Dei sumus; nec in nobis, sed in ipso. Sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum; nec in se, sed in nobis constitutum, simili-*

militudine carnis peccati, in qva crucifixus est, demonstravit, sic sunt intelligenda, ut cuivis locum legenti clarissime patet: *Christum*, in qvo peccatum non erat, *pro nobis peccatum fecit Deus*, cui reconciliandi sumus, hoc est, sacrificium pro peccatis, *per qvod reconciliari valeremus: Ipse ergo peccatum*, i. e. in similitudine carnis peccati, in qva venerat, sacrificatus est, ad diluenda peccata nostra, non sua: *ut nos justitia*, i. e. ut nos justi essemus, *non nostra*, i. e. non justitia nostris viribus parta, *sed Dei*, i. e. a Deo donata; *nec in nobis*, i. e. non ex nobis ipsis profecta, *sed in ipso*, i. e. ex ipso & per ipsum. Nihil enim magis alienum a mente S. Augustini fingi potest, qvam justitia divinitus infusa, sed semper cum remissione peccatorum conjuncta, propter Christi meritum nos non justificari. Eodem modo intelligenda sunt omnia, qvae hanc in rem ex Augustini citantur serm. 61. de Verbis Domini, serm. 6. de Verbis apostoli, conc. 2. in psal. 30. & enarratione primae partis psal. 70. sicut & verba Pag. 55.) Bernardi, serm. 61. (*) super Cantica: *Domine memorabor justitiae tuae solius; ipsa est enim & mea.* &

(*) Super Cantica] Id est, in canticum canticorum: cujus tria priora capita B. Bernardus 86. sermonibus illustrare studuit. Reliqva autem 48. non sunt Bernardi, qvamvis in ejus operibus exstent, sed Gilberti, abbatis de Hoilandia in Anglia, ordinis cistercienſis, ut habet inscriptio in edit. Paris. A. 1551. & observant Cave in Hist. lit. 450. ac Du Pin p. 90. tomi 9. de la Biblioth. des auteurs ecclesiastiques.

& epist. 190. ad Innocentium papam, & in serm. ad milites templi, cap. 11. & verba Justini martyris in (*) epist. ad Diognetum: *Qvid enim aliud potuit peccata nostra tegere, qvam ejus justitia? in qvo alio nos iniqvi & impii, pro justis haberi possumus, qvam in solo filio Dei. p. 500.* haec, inqvam, omnia atqve alia consimilia, non sunt aliter intelligenda, qvam *de imputatione seu communicatione justitiae Christi, per modum meriti, aut alia qvacunqve ratione considerata*, non per modum causae formalis justitiae, seu justificationis nostrae; ut evidenter patet legentibus haec aliaqve Patrum dicta & scripta.

Neqve etiam ulla necessaria ratio ejusmodi imputationis justitiae Christi afferri potest. Qvicqvid enim imperfectionis cum peccato conjunctum inest, aut inesse creditur in justitia nostra inhaerente, vel habituali, vel actuali inde emanante, (an enim omnis omnino imperfectio sive defectus & exiguitas justitiae nostrae in hac vita vere & proprie peccatum sit, infra dicetur) *id totum gratis remittitur propter meritum justitiae Christi nobis imputatum*, ita ut praeter remissionem peccatorum & justitiam inhaerentem, qvae utraqve effectus est satisfactionis & meriti Christi nobis imputati, haud qvaqvam opus sit ad formalem justificationis rationem constituendam nova illa imputationis justitiae Christi ratione. Immo

(*) Epist. ad Diognetum] Qvae si non Justini, antiqvi tamen etiam, qviqve tempore persecutionum, qvibus christiani premebantur, vixit, est auctoris. Du Pin Biblioth. des aut. eccl. tom. 1. 58.

si per justitiam Christi imputatam justi haberemur & essemus, perinde ac si propria sit nostra intrinsea & formalis justitia, haec incommoda inde seqvi viderentur: I. ut urgent Romanenses, *non minus justi censeri deberemus coram Deo, qvam ipse Christus.* Hoc qvidem discriminis intercedit, qvod Christus a se & in se, seu inhaerenter justus sit, nos tantum precario & imputative, i. e. ab illo, & in illo. Nihilominus tamen per Christi justitiam nobis sic imputatam, veriſſima Dei aestimatione aeqve justi censeremur & essemus, qvam ipse Christus: qvod christianae aures vix ferre possunt. Certe nec scriptura, nec Patres unqvam, aut usqvam, ita loqvuntur. II. *Omnes, qvi justificantur, aeqve justificantur*, qvia non diversa participatione justitiae a Christo transfusae justi sunt, sed sola imputatione unius & ejusdem justitiae Christi, qvae tota singulis aeqve imputatur. Distinctio hic adhiberi solita ab iis, qvi huic sententiae favent, ad hoc incommodum vitandum inter *justitiam justificationis & sanctificationis*, non est satis solida, ut cap. seq. monstrabitur. Pag. 56.) Deniqve III. hinc seqvitur, *justos in hoc seculo justiores esse, qvam in vita aeterna futuri sint*; qvum hici omnes per ipsam Christi justitiam omnium longe perfectissimam sibi imputatam vere coram Deo justi habeantur & sint, illic singuli suam tantum habituri sint; qvum nihil amplius loci ejusmodi Christi justitiae imputationi futurum sit, propter perfectionem justitiae inhaerentis, qvae tamen ipsa Christi justitia multo erit inferior. Ad

Ad extremum illis Protestantibus, qvi *formam justificationis*, immo totam essentiam, *in sola peccatorum remissione* constituunt, (qvod faciunt ex iis non pauci) haec imputatio justitiae Christi non per modum causae meritoriae tantum, sed & per modum causae formalis, aut saltem *qvasi formalis*, utqvibusdam loqvi placet, non probatur. Calvinum in his cum Bellarm. de Justif. lib. 2. cap. 6. ipso capitis initio, & cum qvibusdam etiam Protestantibus, vix numerare possum: licet enim aliqvando Calvinus totam justitiam nostram in gratuita peccatorum remissione constituat, ut lib. 3. Institut. c. 2. num. 21. 22. & in Antid. Conc. trid. ad sess. 6. & comment. ad Rom. 4. 5. & in Psal. 32. alibi tamen (ut Bellarm. ipse de Justif. libro dicto cap. 1. sect. *Joh. Calvinus.* & cap. 2. sect. *Sed non minore fraude*, fateri cogitur) disertis verbis, justificationem in peccatorum remissione & justitiae Christi imputatione positam esse, dicit. lib. Institut. jam dicto, cap. 11. n. 2. & rursus ibidem n. 3. *Justificare nihil aliud est.* Locos hos Calvini in speciem pugnantes, aut certe valde ambiguos, qvi illius dictis mordicus inhaerent, ut Pareus, Chamierus, aliiqve, conciliare satagunt: an solide satis, judicet candidus lector. Piscator Exegesi aphorismorum doctrinae christianae ex Calvini Institut. maximam partem excerptorum, de Iustif. aphor. 14. pag. 305. affirmat, formam justificationis esse ipsam remissionem peccatorum, sive non imputationem, vel, qvod idem valet, justitiae imputationem.

Qvod etiam pag. 306. ex pluribus scripturae locis probare nititur; & aphorismo 15. pag. 307. Christi justitiam seu obedientiam illam, qvam Patri praestitit, pro causa tantum procatarctica seu meritoria habet. Vorstius Tesserad. antipist. parte 2. pag. 32. *Atqve hoc demum sensu*, inqvit, *alienam justitiam nobis imputari docemus Protestantes*, Pag. 57.) qvatenus aliena, hoc est, Christi solius obedientia, tanqvam causa meritoria, formalem nostram justitiam, *h. e. remissionem peccatorum, per qvam omni modo iusti coram Deo constituimur, nobis comparatam esse affirmamus. Interim justitiam Christi proprie dictam, h. e. obedientiam ejus tum activam tum passivam, item sanctitatem ejus nativam, sic nobis imputari, ut ipsa nobis subjective inhaereat, atqve ita nos formaliter per eam justi constituamur, id neqve nos asserimus, neqve uspiam in S. literis indicatum esse dicimus.* Et rursus ibidem, pag. 49. Justitiae Christi *nomine, vel ipsam* a Christo praestitam obedientiam *intelligimus, & tum obedientiam illam Christi non qvidem proprie in se & per se, sed effective tantum, sive ratione fructus & effectus sui, nobis imputari, h. e. impartiri & communicari dicimus; vel per justitiam Christi, ipsam* in abstracto sive in genere acceptam justitiam, *ex gratia Dei nobis imputatam, sed tamen obedientia Christi revera partam, intelligimus: & tum verbum* imputandi *per verbum donandi, sive re ipsa attribuendi facile patimur explicari: nam certe utrumqve verissimum est, & fructum obedientiae Christi reipsa nobis donari, ita ut subjective nobis inhaereat,*

haereat, adeoqve obedientiam ipsam hoc sensu nobiscum communicari, (prout jure spiritualis conjugii nostrum est, qvicqvid Christus habet) & propter eandem Christi obedientiam nos, qvicunqve in Christum credimus, justos a Deo reputari, sicut Rom. 3. 24, 25, 26. 4, 24, 25. & 5. 25. & seq. item 1. Cor. 1, 30. & 2. Cor. 5. 19. 21. & alibi videre licet. Interna fatemur, longe tutius esse, ipsas scripturae phrases in hoc gravissimo argumento praecise & simpliciter usurpare, *qvae vel justitiam nobis in genere (non in specie hujus vel illius justitiam) imputari, vel, fidem ad justitiam nocis imputari, dicunt, & utramqve phrasin per remissionem sive non imputationem peccatorum declarant.* Conser etiam pag. 114. Idem qvoqve in suo Antibellarmino pag. 600. affirmat multorum Protestantium nomine, *formam justificationis veram & propriam, esse ipsam justitiae imputationem*, vel, qvod idem est, peccatorum remissionem, & pluribus argumentis idem confirmare satagit. p. 601. 602. Lege & pag. 607. 608. 611. Vide ejusdem Scholia alexicaca contra Sibrandum, pag. 207. 208. 210. 285. Remonstrantes in Responsione ad specimen calumniarum, pag. 111. Pag. 58.) *An obedientia Christi formaliter est nostra justitia? Fatemur, hoc a nonnullis dici; sed qvomodo hoc conseqventer dici possit, non videmus. Nam* si Christi obedientia formaliter est justitia nostra, qvomodo fides nobis imputatur in justitiam, propter obedientiam, sive meritum Christi? *obedientiam enim Christi formaliter, propter obedientiam Christi, ut causam προκαταρκτικὴν, nobis imputari, absurdum*

dum est. Videatur etiam Th. Mortonus Appel. Protest. lib. 5. cap. 11. sect. 2. n. 4.

Sed, ut Protestantes alios silentio transeamus, Archiep. spalat. de Rep. eccles. lib. 7. cap. 11. n. 217. Protestantium sententiam, sive potius diversas super hac re exponens sententias, ita inqvit: *Posteriores* (Reformati scilicet) *volunt, justificationem nostram formalem, esse obedientiam Christi, ejusqve justitiam nobis imputatam; sive in justificatione reqviri qvidem hanc imputationem justitiae Christi nobis, sed formaliter justificationem nostram esse ipsam peccatorum remissionem per non imputationem.* Et paulo post: *An vero justitia illa, per qvam post justificationem justi dicimur, sit sola imputatio justitiae Christi nobis, an vero sit aliqvid inhaerens, qvod Deus nos justificando in nobis ponat, an justitia formaliter sit ipsa remissio peccati, h. e. carentia illa injustitiae, res est disputabilis.* Haec ille, plus aeqvo partibus dissentientibus placere studens. Atqve haec de imputatione justitiae Christi.

CAPUT IV.

Qvo disqviritur, an justitia Dei nobis infusa & inhaerens, spectet ad formalem justificationis rationem.

NOn qvaeritur, qvemadmodum rigidiores Protestantes arbitrantur, ac proinde de male nec satis candide ab illis formato qvoad formalem justificationis rationem statu qvaestionis graviter conqveruntur Romanen-

nenses, ut Bellarm. de Justif. lib. 2. cap. 2. sect. *Est autem hoc loco*, Stapletonus Qvaest. qvodlib. de varia Protest. astutia, pag. 408. aliiqve, qvid sit id, *propter qvod* Deus peccatorem justificet, & in gratiam recipiat? Pag. 59.) sit ne meritum Christi, an inchoata in nobis novitas? Nam si de causa meritoria justificationis nostrae qvaeratur, qvae proprie designatur voce *propter*, libenter concedunt Romanenses, hanc solam esse Christi meritum, neqve qvicqvam nobis inhaerens: qvod si de causa formali, qvae proprie non voce *propter*, sed *per* denotatur, i.e. qvid illud sit, per qvod homo justificatur? affirmant iidem, justificari hominem per justitiam sibi a Deo propter Christi merita donatam & inhaerentem, & non per ipsum Christi meritum extrinsecus imputatum. Interim pluris se facere perfectissimum atqve absolutissimum meritum Christi, qvam renovationem nostram hic imperfectam & inchoatam, profitentur. Vide Bellarm. loco supra citato, sect. *Deinde*. Qvae hic autem pro Chemnicio, aliisqve respondet Joh. Gerhardus, loc. de Justif. n. 220. & Pareus ad lib. 2. Bellarm. de Justif. cap. 2. pag. 384. aliiqve, solida non sunt, nec statum qvaestionis recte propositum attingunt.

Patres Concil. trid. sess. 6. cap. 7. *unicam formalem causam justificationis* esse dicunt, justitiam videlicet Dei, nobis infusam & inhaerentem, dum primo dicunt, *justitiam Dei esse, qvae nos justos facit, qva videlicet ab eo donati renovamur*

spiritu

spiritu mentis nostrae. Et paulo infra: *Id in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimae passionis merito, per Spiritum S. charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret.* Iidem tamen capitis ejusdem initio: *Hanc dispositionem,* inqviunt, *justificatio ipsa consequitur, quae non est sola remissio pectatorum, sed & sanctificatio & renovatio hominis interioris.* Et paulo infra: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum, haec omnia simul infusa accipit homo per Christum.* Ex hac praecisa & peremtoria determinatione *unicae tantum formalis justificationis causae,* ex scholarum altercationibus & contentionibus, qvemadmodum ex ipsis terminis patet, nata & depromta, non autem ex scripturis vel ecclesiae veteris doctrina, neqve etiam ea sibi satis constante, mirum, qvantum contentionis inter eos etiam, qvibus Concil. trid. utramqve facit paginam, ad illius auctoritatem tuendam, exortum sit. Vasqvez 1. 2. parte 2. disp. 404. cap. 3. acriter contendit, *remissionem peccati* Pag. 60.) *nihil prorsus in re esse, nisi infusionem justitiae:* tribuitqve hanc opinionem aliis qvibusdam Romanensibus, vere ne an falso, non laboramus; sed praecipue disputat ex Concilii trid. verbis de unica causa formali justificationis. Hanc sententiam Vasqvis impugnant acerrime multi alii Romanenses, & Protestantes omnes. Vide Davenantium de Justitia habituali, cap. 28. pag. 353. Bellarminus de Justif. lib. 2. c. 2. rectius agnoscit, remissionem peccatorũ esse aliqvid reipsa distinctum

ctum ab infusione gratiae, ac proinde Concilium in eodem loco separatim utriusqve meminisse: non qvidem ut significaret, ut inqvit ille, duplicem esse causam formalem justificationis, sed ut indicaret, *duos esse terminos ejus motus, qvi dicitur justificatio, sive duos effectus ejusdem causae.* Qvae glossa qvam consentanea sit verbis Concilii tridentini, judicet aeqvus lector. Si enim renovatio nostri per Spirit. S. est unica formalis causa justificationis, qvemadmodum Concilium disertissime loqvitur, qvomodo justificatio nostra, formaliter & essentialiter procul dubio, ab eodem Concilio dicitur esse *non solum peccatorum remissio, sed & renovatio?* Qvomodo etiam a Bellarmino aliisqve, *remissio peccatorum* dicitur *esse renovationis nostrae, qvae causa formalis est justificationis, effectus?* In eandem sententiam cum Bellarm. disputat Suarez de Gratia divina, lib. 7. de sanctificatione hominis, cap. 11. n. 24. ubi *Concedo*, inqvit, *intervenire in justificatione impii duos effectus gratiae, qvasi partiales, unum positivum, & alium privativum, seu exclusivum peccati.* Et n. 25. *Neqve hinc sequitur, dari plures causas formales justificationis, qvia formalis causa non est nisi positiva forma; privatio enim formae contrariae, potius est effectus secundarius ejusdem causae formalis. &c. Qvod si qvis de nomine contendat, vocando* privationem frigoris, *formam constituentem lignum in non esse frigidum, eodem modo loqvi potest de carentia peccati, & tunc respondebit facile, Concilium fuisse loqvutum* de forma positiva, *& de illa dixisse, esse unicam.* Hic fructus

est,

est scholasticarum disputationum & determinationum maxime, ne qvid gravius dicam, ambiguarum, in res fidei, ab illo nupero Concilio tridentino infeliciter invectarum. Sed omnes hi theologi *remissionem peccati* cum *ipsius deletione seu abolitione,* Pag.61.) qvae qvidem effectus est, aut saltem nunqvam fit ordinarie absqve infusione gratiae justificantis, semper confundunt; cum tamen, ut recte Fr. Sylvius a Brania in 3. Thomae q. 86. art. 2. pag. 422. conclus. 2. docet, *reatus poenae proprie tollatur per remissionem peccati. Proprie enim,* peccatum remittere, *est, peccatorem liberare ab obligatione poenae luendae, siqvidem is peccatum remittit, qvi illud condonat; condonat autem, qvi poenam relaxat, & qvam exigere poterat, non exigit. Scriptura vocat alio nomine,* non imputare, *scilicet ad poenam, Psal. 32. 2. Rom. 4. 8. 2. Cor. 5. 19. Ac proinde* peccati remissio, *non est proprie ipsius deletio vel abolitio, sed poenae illi debitae condonatio;* peccati *autem* deletio, *est maculae absterso, qvae nunqvam fit (si loqvamur de macula peccati mortalis) absqve infusione gratiae justificantis.* Haec ille. Rectius ergo alii dicunt, *justificationem peccatoris duas res continere,* diversas qvidem illas inter se, verum insolubili societate conjunctas, *remissionem peccatorum & donationem gratiae & justitiae Dei.* Perer. in Genes. cap. 15. 6. disp. 3. Gropperus in Enchirid. colon. de Justif. pag. 132. Ant. Delphinus de Salutari progressu lib. 5. (qvi duas appellat justificationis *partes*) & Andrad. Orthod. explicat. lib. 6. aliiqve multi. Prote-

Protestantes unanimi consensu fatentur, inhaerentis justitiae seu sanctitatis infusionem cum gratuita nostri justificatione necessario ac perpetuo conjunctam esse, qvemadmodum nec ipsi Romanenses, qvando sobrie loqvuntur, negare possunt; eam tamen esse justificationis nostrae partem aliqvam, aut ad formam hujus essentialem pertinere, communiter non admittunt: *sanctificationem* esse & appellari volunt, qvae accurate & necessario, ut inqviunt ipsi, a *justificatione* nostra, cum hujus tantum sit conseqvens, distinguenda sit.

Dissensionem hanc, licet magni momenti esse videatur theologis dissidentibus, praesertim rigidioribus Protestantibus, omnibus tamen recte & sine praejudicio expensis, *forte verbalem & notitionalem magis*, qvam realem esse comperiemus; immo sententia rigidiorum Protestantium, nec scripturis nec patribus, neqve etiam rectae rationi satis consentanea videtur.

Pag. 62.) Verba A. Vegae, qvibus lib. 15. de Justif. cap. 5. circa finem, Calvinum super hac re sic affatur, observatu digniſſima sunt: *Ac ne te amplius*, inqvit, *super his urgeam, illud tandem pacifice velim tecum perpenderes: Si semper, dum qvis justificatur, etiam secundum tuam sententiam sanctificatur*, qvod peccatum est, statuere aliqvod verbum, qvo explicemus utrumqve, *& generatim omnia beneficia, qvae illo momento peccatori a Deo fiunt? Si aliqvem docere velimus, qvid a Deo accipiat, cum ei remittuntur peccata, aut cum ad gratiam di-*

vinam admittitur, non patieris nos dicere, velle illum docere beneficia, qvae in sua justificatione assequatur? Qvo verbo commodius utamur ad complectenda illa omnia una voce, qvam hoc, qvod frequentissimum est in scriptura, & ab illis verbis etymologiam suam ducit, qvibus & absolutio a peccatis, & reconciliatio cum Deo, & amicitia ipsius atqve adoptio, & executio operum justitiae designatur? Qvae verba a nupero scriptore protestante, Francisco White, in sua Orthodoxae fidei explicatione pag. 18. 19. ad ecclesiae pacem hac in re conciliandam, recte censentur expendenda.

Verbum *justificare* (hebraice הצדיק, graece δικαιῶν) *forensem, seu judicialem significationem* saepe in scriptura, immo & in qvibusdam D. Pauli locis, qvae de justificatione nostra loqvuntur, habere, i. e. idem significare, qvod justum pronunciare seu declarare, libenter concedunt multi Romanenses, Marinarus, carmelitanus, in Concil. trid. contra Dom. a Soto id ursit, ut legere est in Historia Concil. lib. 2. pag. 332. ex illo Rom. 8. 33, 34. ubi voces judiciales, *accusare* & *condemnare*, oppositae verbo *justificare*, evincunt, hanc vocem ex usu forensi pro declaratione justitiae sumendam esse. Joh. Pineda jesuita in cap. 4. Jobi, allato etiam hoc ipso loco Rom. 8. Vega lib. 5. de Justif. cap. 3. praeter permulta alia, adducto loco ex Rom. 4. 7. Toletus in Rom. 2. 13. annotat. 13. ait, significationem hanc in scriptura freqventissimam esse, ex sexcentis testimoniis probari posse. Et in annotat.

ad

ad Rom. 8. 33. eadem in significatione *justificandi* verbum accipit propter oppositum *condemnandi*. Sic etiam Estius in Rom. 2. 13. & Pererius in eundem locum, ubi & illud D. Pauli saepius jam dictum ad Rom. 8. eodem modo intelligendum esse affirmat: Ru. Tapperus art. 8. de Justif. pag 20. Bellarm. de Justif. lib. 1. cap. 1. & lib. 3. cap. 3. & 9. aliiqve plurimi: ut frustra hoc contra illos probare satagant permulti Protestantes.

Pag. 63.) Sed & verbum *justificare*, qvandoqve in scriptura significare, *justitia imbuere*, *vel donare*, non diffitentur permulti docti Protestantes, contra aliorum rigidiorum id pertinaciter negantium sententiam. Rom. 8. 38. dicitur: *Qvos vocavit, eos & justificavit.* Vbi rigidiores cum Pareo sanctificationem, cujus nulla in aurea illa catena mentio fit, non in justificatione, sed in glorificatione includi, absurde volunt. Et ad Tit. 3. 7. censet Calvinus ipse, fatente Pareo de Justif. lib. 2. cap. 3. p. 408. posse concedi, sub justificatione regenerationem seu justificationem comprehendi; licet addat, nulla necessitate hoc fieri. Disertius Beza in cap. 3. ad Titum vers. 7. *Justificationis nomen*, inqvit, *large accipio, ita ut complectatur, qvicqvid a Christo consequimur tum per imputationem, tum per Spiritus in nobis sanctificandis efficaciam. Sic qvoqve accipitur* justificandi *verbum* Rom. 8. 30. Idem in qvaest. *Sic interdum nomine* justificationis *intelligitur etiam sanctificatio, qvoniam haec duo prorsus cohaerent.* Idem etiam contra Heshusium. pag. 330. fatetur,

justificationis nomine utrumqve interdum intelligi, *licet* (ut communi errore abreptus inqvit) *accurate distingui debeant ista duo, sicut passim apud apostolum distingvuntur.* In Synopsi purioris theol. Ant. Thysius disp. de Justif. thesi 3. scribit: *Neqve tamen diffitemur, propter summam & arctissimam connexionem, justificationem qvoqve sanctificationem ipsam, ut consequens, videri nonnunqvam complecti.* Rom. 8. 30. Tit. 3. 7. 1. Cor. 6. 11. *Et haec qvidam fuistis; sed abluti, sed sanctificati: sed justificati estis.* Hier. Zanchius in epist. 2. ad Eph. 2. 4. loco de Justif. affirmat, *per justificationem ac sanctificationem unum idemqve intelligi.* Thesi enim 13. verbum *justificandi* duplicem habere significationem asserit: primum significare, *aliqvem a criminibus absolvere, justumqve pronunciare*, & verbo *condemnare* opponi: atqve hanc significationem plane forensem esse. *Altera*, inqvit, *verbi significatio est, hominem ex iniusto justum fieri; sicut etiam* sanctificari, *est, ex profano sanctum fieri. Qva significatione dixit apostolus loco jam citato:* Et haec eratis qvidam, &c. i. e. *ex immundis mundi, ex profanis sancti, ex injustis justi facti estis per Spiritum S. propter Christum, in qvem creditis.* Pag. 64.) *Ad qvam significaationem illud etiam Apocal. 22. 11. spectat:* Qvi justus est, justificetur adhuc, *i. e. fiat reipsa ex justo magis justus, nempe, sicut etiam ex injusto factus est justus. Et juxta hanc significationem Patres, atqve inprimis Augustinus, verbum hoc interpretati sunt. Haec sunt duo certa hujus verbi* justificandi *significata.* Sic ille. H. Bullingerus in eundem locum 1. Cor. 6. 11.

6.11. ita loqvitur: *Diversis verbis eandem rem significat apostolus, cum ait: Abluti, sanctificati, & justificati estis.* Abluti *vero dixit, propter S. baptisma*; sanctificati, *propter Sp. sanctum*; justificati *autem, propter fidem justificantem.* Versu 25. capitis 4. ad Rom. *Qvi traditus est propter delicta nostra, & suscitatus est propter justificationem nostram*, justificationis nomine intelligi posse vitae nostrae novitatem, qvam apostolus illo loco diserte a remissione peccatorum distingvit, concedit P. Martyr in illum locum scribens: *Propositis enim duabus interpretationibus loci admodum verisimilibus, qvarum prima haec est, fidem mortis & resurrectionis cap. 10. justificationem afferre: sed Paulum haec disjunxisse, ut eleganter analogiam inter haec ostenderet. &c. Rursus qvia justificatio in eo videtur declarari, qvod incipimus novam vitam, ideo ea ad Christi resurrectionem refertur, qvoniam ille tum visus est coelestem & felicem vitam inchoasse. Vira autem istarum expositionum verior sit, neqve pugno, neqve facile dixerim.* Deinde cum Christus dicitur excitatus a mortuis propter nostram justificationem, *facile*, inqvit, *videmus, nos ab eo evocari ad novam vitam.* Haec ille. Martinus Borrhaus in Genes. cap. 15. 6. ad verba, *Credidit Abraham Deo*, pag. 161. eundem explicans locum apostoli Rom. 4. 25. haec habet verba: *Vtramqve hanc* (justificationis scilicet) *partem apostolus his verbis expresit:* Qvi traditus est propter peccata nostra, &c. *In morte igitur ejus spectatur satisfactio pro peccato, in resurrectione donum Spiritus sancti,*

quo nostri justificatio ad vitam conficiatur. Idem haec verba immediate praemiserat: *Duo in Christo cernuntur, quae ad justificationem nostri necessaria sunt: alterum mors est, alterum excitatio ex mortuis. Morte ejus expiari mundi peccata oportuit: Per excitationem vero ex mortuis, Spiritum S. tribuere eidem bonitati Dei placuit, per quem & evangelio crederetur, & primi Adami vitio* amissa justitia *restitueretur.* Pag. 65.) Martinus Bucerus in eundem locum Rom. 4. 25. scribens, obs. 4. sic inqvit: *In peccatis nati cum simus, & nihil qvam offendere Deum valeamus, ex nobis restitui non possumus, nisi sit, qvi & pro peccatis nostris satisfaciat, & deinde spiritu nos afflet justitiae. Utrumqve perficit Christus. In morte Christi, peccata nostra sanguine ejus esse expiata, semper cogitemus: In resurrectione ejus, qva vitam inivit coelestem, vivitque jam Deo, agnoscamus, nos ad novam & Deo placitam vitam vocatos, eamque eum ipsum collaturum.* Loco apostoli Rom. 5. 17. & 19. *Si enim per unius delictum*, &c. *justificari per Christum*, non esse solum pronunciari justos, sed etiam vere fieri & constitui justos, per donationem justitiae inhaerentis, affirmat M. Borrhaus loco supra citato in Genesin pag. 162. scribens: *Atqui hic qvaerat aliqvis*, qvodnam sit illud donum justitiae, qvod ex capite Christo in nos dimanat? *De hoc dono sic loqvitur apostolus:* Etenim si per unius delictum, &c. *Qvibus verbis S. Paulus declarat, Adami secundi merito & beneficio multos justitiae & vitae donum sumere, ut Adami primi culpa noxam*

noxam & mortem ejus posteri contraxerunt. Hoc autem donum quid aliud fuerit, quam Spiritus S. donum, qui pariter justitiam & vitam iis, qui eo praediti sunt, affert? Et rursus in lib. 3. Reg. cap. 9. v. 4. pag. 681. haec habet verba: *Vtraque ergo justitiae ratio in justificatione continetur, & neutra ab altera separatur: atque ita in definitione justificationis, meritum sanguinis Christi cum remissione delictorum, atque cum dono Spiritus sancti justificatoris & regeneratoris includitur. De quo dono justitiae apostolus his verbis:* Etenim si per unius sic commentatur &c. Mart. Bucerus in eundem locum, ad verba vers. 16. *Nam sicut per unum*, &c. sic commentatur: *Cum ex uno Adae peccato orbis perditus sit, gratia Christi non hoc solum peccatum, & mortem, quam intulit, abolevit, sed simul infinita illa sustulit peccata, inque plenam justificationem, quotquot ex Christo sunt, adduxit: ut Deus jam illis non solum & Adae & sua ipsorum peccata remiserit, sed spiritum simul donaverit solidae ac perfectae justitiae, qui conformes nos reddat imagini primogeniti.* Pag. 66.) Δικαίωμα hic habetur, quod ut opponitur καταρίματι, *ita proprie justificationem significat, qua Deus eos, qui Christi sunt, a peccatis omnibus absolvit. Et quia plenam justificationem intelligit, absoluta quoque justitiae collatio in hac justificatione continetur: Nam ea tum demum consummabitur, quando cum peccato, ultimus hostis, mors quoque fuerit abolita, & sancti omni fructu justitiae impleti.* Et ad verba, Per J. Christum: *Hoc quoque semper cogitemus*, inqvit, *totum Christi beneficium huc*

pertinere, ut justitiae dono polleamus, recte & ordine viventes, in omni virtute ornati, h. e. ad imaginem Dei restituti. Videantur & haec P. Martyris, sic explicantis antitheſin, qvam facit ibi Apoſtolus inter Chriſtum & Adamum, in L. C. exc. Londini anno 1576. pag. 149. ſect. 4. ubi probans, peccatum Adae non propagari tantum per imitationem, qvemadmodum Pelagiani volebant, ſic ait: *Deinde haec opinio confutatur ex eo, qvod Paulus antitheſin facit inter Chriſtum & Adamum. At Chriſti juſtitia non tantum proponitur nobis imitanda, ſed etiam, ut, qvi credunt in eum, animo mutentur, ſpiritu corrigantur, & omnibus viribus emendentur. Qvamobrem vicisſim reqviritur ad rationem ἀντιθέσεως, ut praeter malum exemplum, qvod Adamus exhibuit poſteris, naturam etiam illorum depravaverit, atqve, ut Auguſtinus lib. de Peccatorum meritis & remiſſione cap. 9. & 15. loqvitur, tabe qvadam tabificaverit.* Rurſus pag. 178. *Non agitur hic* (Rom. 5. 14.) *de imitatione alieni peccati, aut perſvaſione ad peccandum. Verum in eo jam eſt apoſtolus, ut doceat, ex qvo, tanqvam ex principio, peccatum per propagationem traductum fuerit in humanum genus. Atqve hoc eſſe apoſtoli conſilium, probari poteſt ex ea antitheſi, qvam facit* inter Chriſtum & primum Adamum. *Non enim inſtauravit nos Dominus, aut nos juſtos effecit, tantum ſe proponendo exemplum ad imitandum, aut ſe exhibendo fideliſſimum monitorem, ſed nos prorſus immutando, & per Spiritum gratiamqve inſtaurando.* Haec ille. Vt perperam rigidiores, Chamierus de Juſtif. lib.

21.

21. Pareus de Justif. lib. 2. cap. 3. pag. 392. aliiqve (ipsius Petri Martyris inconstantiam non excuso) negent, apostolo in loco Rom. 5. 19. idem significare *justos constitui*, Pag. 67.) qvod justificari, si justos constitui etiam de inhaerente justitia intelligamus; nam, qvum apostolus utatur verbo futuro δίκαιοι καταςαθήσονται, *justi constituentur*, inde seqvi putant, *si illa duo idem valent, neminem in praesens* (verba Parei sunt) *justificari per Christum.* Deus bone, qvam debilis & infirma est haec ratiuncula! Nam & in hoc seculo per Christi meritum, tum peccata remittuntur, (qvod illis est totum justificari nostrum) tum inchoate justi constituimur, (qvae revera est altera justificationis nostrae pars) & in vita futura solennis nostrae absolutionis a peccatis sententia pronunciabitur, ac perfecte justi constituemur, & efficiemur. Apostolus igitur, ut cum principium, tum culmen & fastigium operis significaret, usus est verbo temporis non praesentis, sed futuri. Immo Chamierus loco citato n. 5. affirmat, *nihil obstare, qvo minus illud*, per obedientiam Christi constituentur justi, *sic intelligamus, ut sensus sit: Erunt apud Deum justi, non sua, sed Christi justitia imputata.* Frustra igitur verbum illud, καταςαθήσονται, tam misere urgetur & vexatur a contra sentientibus, ad sanctificationem nostram in hac vita inchoatam, a justificationis beneficio vel ratione penitus excludendam. Piscator in eund. loc. putat, apostolum de industria uti verbo futuri temporis, propter eos, qvi tum credi-

dituri erant, & etiam num crediturí sunt. Apostolus in ejusdem capitis v. 9. & 10. utitur verbo futuri temporis σωθησόμεθα, *servabimur*, licet, qvotqvot in Christum fide viva credunt, cum in hoc seculo ex humana infirmitate delinqventes, ab ira Dei hostili & exterminante serventur, tum in futuro ab omni omnino illius ira liberandi sint. Danielis 12. 3. *Qvi justificaverint multos, &c.* justificandi verbum non in significatione forensi usurpari, sed pro justos facere, D. Chamierus agnoscit de Justif. lib. 21. cap. 5. n. 11. Ita enim inqvit: *Ad illam inhaerentiae significationem, qvi certo pertineat, ego locum nullum observavi*, (fallitur tamen, ut jam vidimus) *praeter unicum ex Daniel. 12. 3.* Qvi justificaverint multos, &c. *& alterum ex 18. 23. Eccles. qvi apocryphus est:* Ne differto usqve ad mortem justificari; *& tertium ex Apocal. 22. 11.* Qvi justus est, justificetur adhuc. *His exceptis audacter dico, non posse dari alium.* Haec ille. Sed nimis audax est haec asseveratio. Ben. Aretius in Problem. theol. loc. 24. de Justif. *Qvarto loco*, inqvit, *significat* justificare, *ad justitiam alios promovere docendo & instituendo.* Pag. 68.) Daniel. 12. vers. 3. Qvi alios justificant, *hoc est, instituunt, doctrina & institutione efficiunt justos. Et Apocal. 22. 11.* Qvi justus est, justificetur adhuc, *h. e. proficiat bene agendo.* De hoc Apocal. loco proxime citato nihil est necesse plura dicere: omnes enim fere, etiam rigidissimi, verbum *justificare* eo loco sensum forensem non habere agnoscunt, sed profectum inhaerentis justitiae significare. Alios locos, ut illum Esaiae

53. 11.

53. 11. *In scientia sua justificabit justus servus meus multos*, & consimiles, brevitatis causa nunc non attingam. Audiatur confessio D. Chamieri, qvam ei vis veritatis extorsit, tom. 3. de Sanctificatione lib. 10. cap. 1. n. 6. *Non sumus tam inepti vocabulorum aestimatores, ut nesciamus, aut tam importuni sophistae, ut nolimus*, justificationis, sanctificationisqve *voces permutari: immo* sanctos *hac praecipue ratione scimus appellari, qvod in Christo habeant remissionem peccatorum. Et legimus in Apocal. 22, 11.* Qvi justus est, justificetur adhuc. *Qvod nisi de profectu inhaerentis justitiae nequeat intelligi. Et aliis forte locis non negamus promiscue venire in usum: apud Patres maxime.*

Immo qvandocunqve scriptura facit mentionem de justificatione impii coram Deo, ut loqvitur B. Paulus, & ex illo passim, praeter alios, S. Augustinus, *justificandi* verbum necessario significare non tantum justum pronunciare more forensi, sed & revera ac inhaerenter justum facere, ex eo patet, qvod Deus aliter justificet impium, qvam terreni judices. Ille enim cum justificat impium injustumqve, pronunciat qvidem illum justũ: qvod & hi faciunt: sed pronunciando justum, qvia ejus iudicium est secundum veritatem, simul facit illum ex injusto revera justum, qvod hi facere non possunt. Proinde *homines, qvi justificant impios, Deo sunt abominabiles.* Prov. 71. 15. Deus autem, qvum impium justificat, omni laude dignissimus est. Respondent hic rigidiores Protestantes, Deum qvidem nos & justificare &

re & justos facere, verum *non eo justificare, quo justos facit*; immo *justificare prius, post justos facere*, ut loqvitur Chamierus de Justif. lib. 21. cap. 5. n. 25. Eadem est & caeterorum mens. Sed viderint, ne nimia ista, immo inani subtilitate scripturis & patribus plane incognita, pondus & dignitatem tanti divini beneficii & tantopere in scripturis celebrati, justificationis scilicet impii, minuant & elevent. Si enim ad justificationis impii formalem rationem omnino non spectat, ut ita loqvar, justifactio, Pag. 69.) in peccatoris igitur justificatione, qvamvis justificetur ille, non tollitur peccati macula, sed eadem in illius anima adhuc inhaeret, sicut ante justificationem, atqve sic, non obstante justificationis beneficio, manet, sicut antea, injustus & peccator, nihilqve aliud tollitur, qvam reatus sive obligatio ad pœnam, & offensa atqve inimicitia Dei per non imputationem. Scripturae tamen, ut & Patres, in justificatione peccatoris non solum *peccata remitti, condonari, tegi, non imputari*, affirmant, sed *& tolli, deleri, mundari, ablui, purgari, longissime a nobis removeri*, ut ex plurimis S. scripturae locis constat; ita ut post justificationem nihil maculae peccati mortalis & gravioris maneat in anima peccatoris. Qvod nunqvam ordinarie fit absqve infusione inhaerentis gratiae. Reatus pœnae & offensa possunt qvidem tolli sine infusione justitiae, ut recte Bellarm. de Justif. lib. 2. cap. ult. sect. *Reatus pœnae*, ait: *Nihil impedire videtur, qvo minus possit Deus velle, non ordinare*

ordinare ad pœnam, & condonare offensam, & non habere pro inimico illum, cui donum inhaerentis justitiae non concesserit, tamen sine ea ordinarie non tolluntur. Immo *probabile est*, ut recte Fr. Sylvius a Brania in 3. Thomae qv. 86. art. 2. concl. 3. *qvod per absolutam dei potentiam possit etiam macula tolli sine infusione gratiae justificantis, qvia status gratiae & status peccati, simpliciter loqvendo, sunt contraria mediata. Qvi enim poneretur in puris naturalibus, esset in statu medio, & sicut potest Deus aliqvem in illis creare, ita potest in iis non creatum, in ipsis constituere. Si vero peccatum sic ab aliqvo tolleretur, is neqve esset Deo amicus, vel gratus ad finem vitae aeternae, neqve inimicus, sed medius; ipsaqve macula non deleretur per contrarii positivi introductionem, sed per nudam abolitionem. Ordinarie tamen haec semper simul junguntur, remissio peccatorum & gratiae collatio, qva peccati macula deletur.*

Qvod dixi, *per gratiam justificantem omnis peccati mortalis seu gravioris maculam omnino deleri*, paucis, & qvantum praesentis instituti ratio patitur, paulo explicatius sic accipe. Licet habitualis concupiscentiae seu fomitis reatus, baptismi vi, plane solutus & sublatus sit, atqve ipsa, etiam viribus fracta & debilitata, manent tamen adhuc, etiam in justificatis, ejus qvaedam reliqviae, qvae in illis interdum sese exerunt, & Pag. 70.) per se etiam moraliter malae, vitiosae, deoqve odiosae sunt, qvemadmodum confitentur ipsi Romanenses, (licet admodum inconsiderate post tantam adhibitam curam Patres trid.

trid. sess. 5. can. 5. dixerint, *In renatis nihil odisse Deum*, nisi id candide & dextre accipiatur; multo aliter, qvam multa, qvae a Protestantibus incommode qvidem, sed non mala mente dicta & scripta sunt, ab illis accipiuntur) non consentientibus tamen, sed viriliter per Christi gratiam resistentibus nocere non valent, nec coram gratioso Dei tribunali in peccatum imputantur, (ut August. loqvitur de Nupt. & concupisc. lib. 1. cap. 5. & 26.) vel pro peccato amplius habentur. C. Vorstii, ut hoc obiter dicam, hac in qvaestione, de qva partes tam contentiose concertant, moderatio in suo Antibellarm. pag. 538. non est omnino improbanda: *Si adversarii*, inqvit, *concesserint*, concupiscentiam hanc, *qvamvis etiam condonatam, & per Sp. S. subactam*, per se malam & vitiosam esse, (*qvod certe concedunt, ut* * *ex omnibus illorum scriptis constat*) *prout vicissim nostri concedunt*, eam in renatis minime dominari, nec proinde damnationem iis inferre, *atqve hoc demum sensu peccati rationem non habere; jam certe praeter inanem* logomachiam *nihil fortasse hic relqvum manebit, de qvo deinceps operae pretium sit litigare: nimia enim subtilitas in his talibus, fugienda est.* Vide Cassandri Consult. art. 2. tit. de Concupiscentia, manente in renatis. Manent etiam justificati adhuc obnoxii peccatis levioribus & brevioribus, sine qvibus haec vita non ducitur; qvorum tamen venia justis, humiliter

* Ex omnibus illorum scriptis] Vide duntaxat Andr. Fabricii Catech. roman. p. 581.

militer ea agnoscentibus & remitti sibi postulantibus, facile ex immensa Dei misericordia in Christo parata est: nec per ea gratia justificans perditur seu amittitur. Omnis autem peccati mortalis sive gravioris & exitiosi, ut loqvuntur Patres, non tantum reatus, sed & macula per justificationem tollitur.

Qvod communiter affirmant Protestantes rigidiores, tanqvam certum, *Deum*, licet non tempore, *ordine* tamen *naturae*, *prius peccatorem justificare*, seu peccata illi remittere, *qvam justum facere*, *seu sanctificare*, viderint hic, obsecro, ne forte nimis audacter & temere ordinem actionum divinarum in scripturis manifeste non revelatum definiant. In ipsis scholis multum hac de re certatur, & adhuc sub judice lis est. *An infusio gratiae*, inqvit Stapl. de Justif. l. 5. c. 8. *ordine naturae praecedat remissionem peccatorum*, ut tradit S. Thom. 1. 2. q. 113. art. 8. &c. Pag. 71.) *an contra, ut alii acerrime disputant, qvaestio est magis scholastica, qvam hodie controversa, & de qva nihil in alteram partem in ecclesia vel olim, vel nunc, definitum est.* Th. Bezae, alioqvin satis rigidi, modestia hac in re probanda est. Is contra Flacii illyrici Demonstrationes, pag. 218. sic scribit: *Si justificationem generaliter accipiat, ut interdum usurpatur ab apostolo, sanctificatio non erit ejus effectus, sed pars aut species: sin vero pro justitiae tantum imputatae dono, sive gratuita peccatorum remissione, tum sanctificatio alterum erit donum, qvod prius illud semper consequitur, qvoniam, qvicumqve*

gratis

gratis in Christo justificatur, idem qvoqve ejus spiritu sanctificatur. Neqve hic multum nobis contendendum est, utra ordine praecedat, cum uno eodemqve momento Christus nos justificet, & suo spiritu sanctificare incipiat. Et pag. 237. *Qvum dixissem id, qvod res est, nempe, dummodo constaret, oportere nos inprimis fieri ipsius Christi participes, ut in eo justificemur & sanctificemur, non esse magnopere laborandum, utrum istorum duorum ordine praecedat; illyricus Calvinum opponit, qvi in Antidoto Concilii tridentini dicat,* simul atqve justificatur qvispiam, necessario innovationem qvoqve seqvi. *Atqvi Calvinus istic trid. Concilii placita refellens, qvibus justificatio cum sanctificationis dono confunditur, non de istorum duorum ordine sive serie, sed connexione disputat, ideoqve dicit,* si qvis est justificatus, innovationem qvoqve seqvi, i. e. *necessario concludi, si qvis est justificatus, consequi, ut dicatur qvoqve sanctificatus. Obsecro vero, si dicam,* Si vivit qvispiam, seqvitur, ut sit anima praeditus, *an inde recte concluderetur, qvod* anima praeditum esse, *faciam esse qviddam vita posterius?* Et pag. 238. circa finem: *Simul nos & justificari & renovari dico in Christo per fidem nobis applicato; neqve haec, an illa, ordine antegrediatur, tantillum laborandum censeo, cum unam sine altera nunqvam recipiamus.* Vtinam hanc modestiam non rigidiores modo Protestantes, sed & alii plurimi theologi utriusqve partis, qvi tot & tantas hodie in ecclesia turbas excitant circa modum & ordinem divina-

vinarum operationum, religiose seqverentur!

Multis qvoqve aliis rationibus ex scriptura depromtis, sanctificationem etiam, & non solam remissionem peccatorum, ad justificationem pertinere, probari posset: ut, qvod justificatione Pag. 72.) non solum a pœna peccatis nostris debita liberamur, sed & gloriam aeternam conseqvimur, Rom. 8. 30. qvod efficimur amici Dei, filii per adoptionem, dilecti, haeredes regni cœlestis, ut scripturae passim testantur. Qvae omnia sola remissione peccatorum absqve gratia sanctificante non praestantur, neqve etiam, stante lege communi, praestari possunt. Has rationes aliasqve etiam nonnullas vehementer urgent Romanenses, nec ad illas contra sentientes (ut Pareus ad c. 6. lib. 2. Bellarm. de Justif. Chamierus de Justif. l. 21. c. 5. aliiqve) qvicqvam solidi respondent. Qva de re judicet lector aeqvus, & harum rerum intelligens.

CAPUT V.

Qvo doctrina cap. praecedente tradita uberius confirmatur.

HAnc fuisse communem Patrum omnium, cum graecorum tum latinorum, sententiam, ex qvam plurimis illorum dictis, Augustini inprimis, acerrimi gratiae Christi propugnatoris, nemini in veterum lectione versato obscurum esse potest. Certe si singu-

la citare ac persequi, qvae huic sententiae firmandae afferri possent, animus esset, non caput unum vel alterum, sed integrum fere volumen nobis contexendum foret. Sed res adeo certa & manifesta est, ut dissentientes ipsimet id ultro concedant. Calvinus Instit. lib. 3. cap. 2. sect. 15. *Augustini qvidem*, inqvit, (qvem tamen aliis fere omnibus alibi praefert) *sententia, vel saltem loqvendi ratio, per omnia recipienda est. Tametsi enim egregie hominem omni justitiae laude spoliat, ac totam Dei gratiae transcribit: gratiam tamen ad sanctificationem refert, qva in vitae novitatem per Spiritum regeneramur.* Chemnicius in Exam. Concil. trid. de Justif. pag. 129. *Patribus, licet plerumqve verbum* justificare *accipiant pro renovatione, qva efficiuntur in nobis per Spiritum opera justitiae, non movemus litem.* Et pag. 130. *Et Patres qvidem* Pag. 73.) *verbum* justificare *in hac significatione* (justum scilicet faciendi) *saepe usurpare, non ignoro; sed de proprietate lingvarum qvaestio est.* Deus bone, qvid audio? adeone rudes & imperiti fuere patres, clarissima ecclesiae Christi lumina, rerum & verborum in scripturis usurpatissimorum, & ad salutis negotium qvam maxime spectantium, ut ignorarent etiam propriam verbi *justificari*, juxta mentem Spiritus sancti, in verbo loqventis, vim & significatum? Et rursus: *Patres qvidem licet plerumqve sequantur analogiam latinae compositionis in verbo* justificare. &c. Beza in Apolog. pro justificatione ex sola fide pag. 291. *Fateor, Patres interdum duo ista beneficia* (justificationis scilicet & sancti-

sanctificationis) *non tam accurate distinxisse, quam oportuit: nempe quod ante Pelagianos haec quæstio de justitia ex operibus in ecclesia non agitaretur.* Sed audacissima est haec, immo falsissima, assertio. Hæc enim qvaestio, de qva nunc agitur, nunqvam, nec ante nec post Pelagionos, in ecclesia nota fuit, sed hoc postremo demum seculo, qvo tot lites antea incognitae infeliciter natae sunt. Zanchius in cap. 2. ad Ephes. v. 4. loco de Justif. thesi 13. *Et juxta hanc significationem,* (justum scilicet faciendi) *Patres, atqve inprimis Augustinus, verbum* justificandi *interpretati sunt. Vt* justificari *illis nil aliud fuerit, qvam ex injusto justum fieri, per gratiam Dei, propter Christum.* Legatur praedictus Augustinus epist. 105. ad Sixtum: lib. 1. de Gratia Christi contra Pelag. & Caelest. lib. 1. de Peccator. Meritis & remissione, & lib. de Spiritu & gratia cap. 28. M. Bucerus in Colloq. altero ratisb. p. 285. *Nos ultro diximus, nos agnoscere, & hunc* (scil. Augustinum) *& alios S. Patres, vocem & rem* justificationis *ad hunc modum non uno in loco explicare.* Videatur idem in Praefatis in enarrationem epist. Pauli ad Rom. cap. 8. p. 12. 13. Pareus ad cap. 8. l. 2. de Justif. p. 477. respondens Bellarmino, multa Patrum testimonia pro justitia inhaerente adferenti, inqvit: *De hoc cum adversario hic non litigabo. Fateor, in Patrum libris, qvos habemus, nonnulla legi, qvae ejus sententiae favere videantur.* Vbi inaniter & falso jactat, multa etiam legi in Patribus, qvae contra faciant. Chamierus de Justif. l. 21. cap. 7. n. ult. *Constat,* justificandi *voca-*

bulum alias usurpatum ad etymologiam grammaticam, alias ad usum illum forensem. Augustinus, Pag 74.) *sed & veteres reliqui, aut saepe aut etiam saepius adhaeserunt grammaticae, eoque sensu usi sunt vocabulo.* Et eodem libro c. 19. n. 7. Idem agnoscit de Sanctif. lib. 10. cap. 1. n. 6. in fine, & proinde n. 7. ait: Justificationem *maluimus cum Paulo ad Rom. & ad Gal. priorem illam partem appellare: alteram autem* sanctificationem. *Quanquam, si cui aliter sedeat animo, protestamur, nolle* λογομαχεῖν. Supervacaneum est, in re adeo manifesta plures nominare.

Immo multi etiam doctissimi Protestantes hanc ipsam sententiam seqvuti sunt, aut saltem eam non omnino improbarunt. Lutherus ipse, qvi primus finceram de justif. doctrinam e tenebris pontif. eruisse a suis sectatoribus creditur, duas diserte justificationis partes recenset, in Psal. 51. tomo Jenensi IV. Latino p. 381. ut legere est in Actis Colloq. altenburg. Lipsiae excus. anno 1570. pag. 241. & 374. Verba Lutheri sunt: *Hae sunt duae partes justificationis; prior est* gratia per Christum revelata, *qvod per ipsum habeamus placatum Deum, ut peccatum amplius non possit nos accusare, sed conscientia, fiducia misericordiae Dei, sit reducta in securitatem: posterior est* donatio Spiritus S. *cum donis suis, qvi illuminat contra inqvinamenta spiritus & carnis.* Hoc dictum Lutheri cum theologi D. Augusti, Electoris & Ducis Saxoniae, opponerent collocutoribus adversae partis, illud hi negare

negare non potuerunt, neqve etiam qvicqvam ad illud solide respondere. Videantur Acta loc. cit. Lutherus qvidem hac in sententia, ut & multis aliis, non diu perstitit, sed nos, qvod vis veritatis illi extorsit, dicimus. In Apologia confess. august. cujus auctor fuit Melanchthon, saepe legimus, *justificari fide* in scriptura non tantum significare justos pronunciari, sed & ex injustis justos effici seu regenerari. p. 43. 55. 57. 90. 91. 92. (73. 90. 93. 125.) Jo. Brentius, magni inter suos nominis theologus, cum Augustino *justificationis* vocabulo in ipso justif. negotio renovationem etiam intelligi semper sensit, atqve etiam ea de re ad Ph. Melanchth. scripsit. Responsionem Philippi admodum frigidam, una cum Appendidice Lutheri hyperbolica, lege in Philippi Consiliis theolog. parte 1. p. 245. 246. Idem Brentius Pag. 75.) in Apol. conf. wirtenbergensis de Justif. pag. 287. sic scribit, citante Joh. Gerardo L. de Justif. per fidem. §. 245. *Cum homo credit in Christum, duplici ratione justificatur: Una, juxta alterum ac hebraeum significatum justificationis, qvod absolvitur a peccatis & consequitur remissionem peccatorum, ac imputatur ei justitia Christi. Altera ratio est juxta alterum & latinum significatum justificationis, qvod, cum credimus in Christum, donamur Spiritu S. qvi renovat nos & efficit in nobis opera justitiae. Qvae justitia & obedientia, etsi fit in homine per Spiritum S. tamen in hac vita non est perfecta, ideoque semper respiciendum est ad priorem illam justificationem, qva condonantur nobis peccata gratis per*

fidem propter Christum. Haec omnia Brentius. *Quem absit,* inqvit Gerhardus, *ut propterea pontificii erroris de justif. reum suspicari velimus, qvod termino* justificationis *in latiori significatione, latinam vocis compositionem seqvutus, utatur.* Et M. Chemnicius in Exam. C. T. loco de Justif. pag. 129. *Saepe a nostris* (Brentium aliosqve etiam Lutheri seqvaces intelligit) *monstratum est discrimen illud significationum verbi* justificare, *qvomodo, juxta analogiam fidei, & perpetuam scripturae sententiam, recte, pie & dextre intelligi & admitti possit illa etiam significatio, si cum Patribus accipiatur, juxta morem latinae compositionis.*

Joh. Spangenbergius in sua Margarita theol. in qva se Melanchthonis doctrinam & verba potissimum seqvi profitetur, de Justif. pag. 19 diserte affirmat, *justificationem tria membra complecti, remissionem peccatorum, acceptationem ad vitam aeternam, & donationem Spiritus sancti.* Joh. Æpinus, ecclesiastes hamburgensis, & magnae apud suos auctoritatis, Justificationem definit *remissione peccatorum. & regeneratione seu sanctificatione*, citante G. Cassandro in Consult. art. 4. de Justif. p. 919. M. Bucerus in Praefatis in enarrationem epist. Pauli ad Rom. cap. 8. pag. 12. *Nunqvam ita* justificandi *verbo utitur D. Paulus, qvin eo non minus hanc verae justitiae communicationem, qvam principium illud & caput totius salutis, peccatorum condonationem dicere videatur.* Cap. 3. ad Rom. cum manifestatam dixisset tempore revelati evangelii
Pag. 76.) justitiam, h. e. in vita credentium tam plane

plane exhibitam, ut mundus jam agnosceret, hos solos justitiae verae compotes esse; cumqve secundo dixisset, Christum venisse, ut orbi ἔνδειξιν, i. e. certam omnibus divinae justitiae ostensionem inferret, subjecit: *Vt sit ipse justus & justificans ex fide Jesu Christi.* Hic indubie verbo *justificandi* eam justitiam Christi simul complexus est, qvam Deus Spiritu suo in credentibus operatur, ac vult testimonium esse ejus, qvod his peccata jam remiserit, interqve eos habeat, qvos decrevit justificare, i. e. habere inter justos, non tantum condonando illis, qvod peccarint, sed etiam reddendo imagini filii sui conformes. Ad hunc modum apostolus de nostri justificatione ubiqve loqvitur, nunqvam non complectens illam nostrae salutis summam, qvam precatus est Philippensibus cap. 1. vers. 9. 10. 11. Sic ergo cum Paulus loqvi soleat, & *justificationis* voce remissionem peccatorum primum qvidem exprimere, simul tamen semper significare etiam illam justitiae communicationem, qvam Deus eodem in nobis Spiritu, qvo de venia peccatorum certos reddit, juxta operatur, & illius σφραγίδα esse statuit, pleriqve Patrum sanctorum spectantes id, qvod in justificatione sese magis profert, δικαιοῦσθαι *justificari* i. e. *justos fieri* intellexerunt.

In Colloq. ratisb. an. 1541. inter collocutores utriusqve patris articulus justificationis sic conciliatus est, & ut conciliatus Carolo V. Imp. per

collocutores exhibitus: *Id qvod tamen nulli obtingit, scilicet ut remissionem peccatorum accipiat, nisi etiam simul infundatur charitas sanans voluntatem* ut voluntas sanata, *sicut ait Augustinus*, incipiat implere legem. *Fides ergo viva est, qvae & apprehendit misericordiam in Christo, ac credit, justitiam, qvae est in Christo, sibi gratis imputari, & qvae simul pollicitationem Spiritus S. & charitatem accipit. Etsi autem is, qvi justificatur, justitiam accipi & habet per Christum etiam inhaerentem, sicut dicit apostolus:* Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis. 1. Cor. 6, 11. Hanc conciliationem Bucerus in Actis colloq. alterius ratisb. anno 46. vehementer urget pag. 45. & ad eam subinde provocat. In hac eadem explicatione profitetur Cassander in Consult. art. 9. nihil se videre, qvod etiam gratiae Dei studiosissimus desiderare possit.

Pag 77.) Idem Bucerus in Colloq. hoc altero ratisb. p. 286. sic scribit: *Hinc declaravimus, id non controverti inter nos, An S. Patres per* justificari *in Paulo intellexerint, hominem donari inhaerente justitia, & an haec necessario insit justificatis; sed an haec inchoata justitia illud sit, qvod hac voce* justificari *in apostolo primum significatur, qvoqve ratio nostrae justificationis coram Deo primum constat.* Eodem plane modo hic agit, qvo supra in hoc eod. Coll. disp. de Sola fide justificante, ubi pag. 213. 218. concessit collocutoribus alterius partis, *nos justitiam Christi etiam spe & charitate modo qvodam apprehendere & complecti, fide tamen sola*

sola nos justificari, qvia fide primum Christi justitiam apprehendimus. Sed qvod supra illa de qvaestione differens dixi, nunc huic qvaestioni applicando, repetitum volo: An, qvia peccatorum remissio id est, qvod apostolus primum cum in voce *justificationis* intellexit, tum in ratione ejusdem collocavit, idcirco donationem inhaerentis justitiae ille nec in voce justificationis intellexit, nec in ratione ejusdem omnino collocavit? Certe, non qvia aliqvid prius aut principalius est in ordine aliqvo, ideo, qvod necessario consequitur aut comitatur, ex eo ordine protinus excluditur. Romanenses ipsi problematice inter se disputant, *An magis proprie & principaliter, quasique ex natura rei, infusio gratiae, seu interna renovatio, & legis obedientia, ad veram justitiam pertineat, quam remissio peccatorum, qvia illa sine hac esse potest, & illa proprie includit largitionem vitae aeternae, & novam formam; altera vero evasionem supplicii, & veteris peccati abolitionem: an contra aeqve ad justitiam spectet remissio peccatorum, qvia reputatur apud Deum pro justitia, dum removendo prohibens, aeqve ad vitam ducit aeternam, ac vera obedientia, estqve in statu naturae jam reparatae (in qvo sine peccatis non vivitur) prorsus necessaria justitiae pars.* Haec omnia Stapletoni verba sunt, qvi hanc qvaestionem, ut scholasticam tantum, nec dum in ecclesia definitam, rejicit. De Justificatione lib. 5. cap. 8. circa finem. Augustinus lib. 19. de Civit. Dei cap. 27. *justitiam nostram in hac vita potius peccatorum remissione constare,*

quam perfectione virtutum, diserte asserit. Qva de re postea dicemus.

Pag. 78.) M. Borrhaus, saepe nobis antea in hoc argumento laudatus, in loc. Genes. citatum p. 162. *In imputatione*, inqvit, *qva Christus credentibus adscribitur ac imputatur pro justitia, pariter & meritum sangvinis ejus, & Spiritus S. vi meritorum nobis donatus includitur. Atqve ita* Christum tum a merito, tum a satisfactione & impetrata remissione peccatorum, & a dono Spiritus justitiae, nostram justitiam *fatebimur* esse. *Atqve hoc si facimus, in justif. nostri totum Christum ad salutem nobis propositum, non unam aliqvam ejus partem considerabimus.* Idem pag. 169. *In justificatione igitur nostri, Christus consideratur, qvi in nobis spiret, & vivat, nimirum per spiritum suum a nobis indutus. De qvo indumento apostolus ait:* Christum induistis. Pag. 171. idem concilians diversas, si non adversas, Protestantium sententias, hac de re sic inqvit: *Qvi dicunt*, nos justificari uno merito, satisfactione & obedientia Christi, sine respectu justitiae in nobis inhaerentis, *hi in justificatione nostri Christum, qvatenus a satisfactione pro culpa, nostra justitia est, considerant. Nam intelligunt, hac parte contra peccatum, mortem, infernum, & contra auctorem peccati & mortis satanam, in pugna ac lucta condemnantis nos legis, solum se consistere posse. Porro cum lex Dei reqvirat plenam obedientiam his verbis praeceptam*, Ama dominum Deum tuum toto corde tuo, & alterum, ut teipsum, *& illam obedientiam in nobis non reperiat, damnandi nos sane rebellionis jus haberet, nisi satis-*

satisfactionis pretium, quo nos redimeremur, & perfecta absolutaque justitia, quam ut nostram severo legis judicio objiceremus, occurreret. Hoc pretium, haec justitia absoluta, Christus est. Hactenus (inqvit p. 172.) *de ea parte, qva per fidem, Christum nostram justitiam, a merito, satisfactione & remissione peccatorum agnoscimus, qvam Dei judicio contra legis accusationem & condemnationem objiciamus, meminimus. Hanc partem praecipue tractant hi, qvi justificationem definiunt, nostri in gratiam Dei receptionem, per fidem meriti, & obedientiae Christi. At vero cum* Christus non possit nostra justitia a merito agnosci sine Spiritu S. neqve meritum ejus aliis prosit, qvam iis, qvi fide illud apprehenderunt, & haec non solum meritum, satisfactionem, & obedientiam Christi, sed & hunc etiam ea parte, qva nostra justitia est, a donis vitae & justitiae comunicatis, *respiciat, nos in justificatione nostri non partem Christi, sed hunc totum, qvatenus ex omni parte nostra justitia est, tractare elaboramus.* Pag. 79) Et paulo infra: *Vt igitur B. Paulus in justificatione nostri, cum ait,* Qvos justificat, eos glorificabit, *comprehendit omnia, qvae ad reconciliandos nos Deo patri, & ad renovationem nostri apta assequendae gloriae pertinent, ut sunt Fides, Justitia, Christus, & Donum justitiae a Christo exhibitum, qvo regeneremur ad implendam justificationem, qvam lex reqvirit; ita etiam nos omnia in hac causa, qvae recuperatione justitiae & innocentiae continentur, complecti volumus. Haec autem cum traduntur, non nova, sed confessa omnibus, & veteribus*

bus & nostris sacrarum literarum professoribus, qui quidem vere & recte docuerunt, traduntur: nisi fortasis quaedam distinctius dicuntur a nobis, quam vulgo dicuntur in hoc justificationis negotio; sed in re ipsa abesse dissensionem, neqvaqvam dubitamus. Eteuim omnes in impiorum justificatione haec comprehendi monent, Christum *justitiam nostram*, Remissionem peccatorum *morte illius nobis partam*, Spiritum S. *vi imputatae & ascriptae justitiae Christi nobis donatum, qvo freti & peccatorum gratiam nobis fieri per fidem credamus*, & Renovationem nostri, *Deum & proximum puro amore diligendo, meditemur.* Et porro: *Sed dices, charitatem quidem in justificatione non excludi, sed neminem illam pro justitia habere. Pro justitia quidem satisfaciente, & meriti, non habent: Sed* pro justitia obedientiae, *merito sangvinis Christi nata, qva conformentur animi credentium divinae voluntati, charitatem habendam illi concedunt.* Et infra: *Hoc modo, in justificationis causa, justitia Dei explicata, graves controversiae componuntur, dum alii* merito Christi justificari nos sine respectu alterius rei, *alii* in nobis justitiam versari *volunt, qvam divinam naturam atqve vim esse contendunt. Vtrique recte sentire intelligerentur, si perpendatur, qvae sit illa justitia, qvam fide ad justificandos nos amplectimur.* Nam si in Christo, nostra justitia, eam partem spectemus, qva meruit morte sua reconciliationem nostri cum Deo patre; in ea parte & ea sola, nulla alia in re, justitiam meriti & satisfactionis pro peccato reponemus.

nemus : Sin vero Christum nostram justitiam consideremus, qvatenus nobis, in justificatione nostri, suum Spiritum impertit, qvo ad novam justitiam, & vitam innovemur, plane justitiam, qvae non humana, sed divina vis sit, qvalis est Spiritum sanctus, nobis communicari confirmabimus. *Alteri* igitur, Pag. 80.) *qvi meritum spectant, Christum, qvatenus est piacularis justitia, & reconcilians nobis Deum, considerant : alteri vero, qvi donatum Spiritum merito & beneficio mortis & resurrectionis Christi perpendunt, Christum justitiam esse intelligunt, qvatenus nos reconciliatos patri regenerat, & novos homines fingit atqve formar.* Et p. 180. justificationem sic definit : *Est gratuita imputatio justitiae, qva nos Deus in filios adoptatos, per fidem a Spiritu S. sub evangelii administratione excitatam, remissis sanguinis J. Christi beneficio peccatis, justos reddit, ad cœlestis regni haereditatem possidendum.* Pag. 181. *Forma*, inqvit, *justificationis nostrae est ipsa divina justitia, qva justi & probi formamur. Haec Christus J. est, qui partim a condonatione peccatorum, partim a renovatione & instauratione ad integritatem, vitio primi Adami amissam, justitia nostra habetur, eo, ut novo & coelesti Adamo, a nobis induto ; de qvo Apostolus :* Christum induistis, *induistis, inqvam, tanqvam formam, h. e. justitiam, sapientiam & vitam Dei.* Eadem legere est apud illum in lib. 3. Regum c. 9. ad verba v. 4. *Et feceris omnia* &c. p. 681. *Dicat*, inqvit, *aliqvis, si res ita habet, ergo & merito Christi, & condonatione peccatorum, & Spiritu sancto dicimur justificari.*

cari. Ita sane: De merito enim & obedientia Christi legimus, &c. Demum autem, de Spiritu justificatore haec legimus: Sed justificati estis per nomen Domini Jesu, & per Spiritum Dei nostri. Tot hujus theologi, in academia basileensi qvondam professoris celeberrimi, (vide (1) Vitas theologor. german. p. 399. & seqq.) dicta huc adscribere minime piguit: nemo enim Protestantium disertius aut copiosius hanc sententiam adstruit & confirmat, licet in multis allis dogmatis hodie controversis communi errore saepe abripiatur cum aliis gregalibus suis.

Claudius Alberius, triuncurianus, philosophiae qvondam professor in academia lausannensi, & (2) in Aristotele (ut de eo loqvitur Zanchius epist. l. 1. p. 346.) optime versatus, sed nec male in rebus etiam theologicis, ut ex illius scriptis apparet, & idcirco Theod. Bezae & Abrah. Musculo, in colloqvio montisbelgardensi cum Lutheranis anno 1586. habito, adjunctus, acerrime defendit, sanctificationem sive renovationem nostri (qvam ille insolenter *qvalitatem patibilem* nuncupare solebat) justificationis nostrae partem alteram esse. Vide Orat. illius apodicticas Lausannae excus. A. 1587. & qvidem orat. 2. pag. 86. 87. Pag. 81.) Errare tamen eos, qvi dicunt, *justificationem esse causam, & qvasi arborem, sanctificationem autem esse effectum & qvasi fructum,*

(1) Vitas theol. germ.] Melch. Adami.

(2) In Aristotele] Immo & in Hippocrate: utrumqve enim industria sua illustrare aggressus est, sed interveniente morte perficere non potuit. Vide Causabon. epist. 59.

fructum, contendit pag. 96. 97. Hic (qvod obiter te monitum velim, lector) ille anonymus scriptor fuit (vide Polanum in cap. 9. Danielis, pag. 185.) cujus tractatum hac ipsa de re scriptum Beza in Apologia pro Justif. ex sola fide, refutare conatus est; sed qvam solide id prestiterit, judicet lector eruditus & aeqvus. Damnata qvidem fuit haec Alberii atqve aliorum qvorundam ὁμοψήφων, scilicet Jo. Bovii, & Jo. Merulae, verbi ministrorum apud Lausannenses, sententia, sicut & aliae qvaedam aliorum de praedestinatione etiam verissimae sententiae, in synodo qvadam per dominos Bernates, ex qvibusdam helveticarum ecclesiarum, & tribus genevensis ecclesiae, inter qvos Beza praecipuus fuit, pastoribus, Bernae collecta A. 1588. & theses de Justificatione & sanctificatione ab illis perscriptae, qvibus dissentientes subscribere coacti fuerunt. Vide Bezae Apol. pag. 263. 264. & Jacobi Coveti Apolog. de Justif. pag. 141. Sed hoc mirandum non est: Nihil enim fere aliud in plerisqve utriusqve partis *synodis, hoc tristissimo seculo coactis*, qvaesitum & actum, qvis non videat, qvi oculos habet ad videndum, qvam ut veteres ac veriores sententiae opprimerentur & damnarentur, & novae ac recens in ecclesiam invectae, majori parte eorum, qvi synodis istis interfuerunt, meliorem, ut plerumqve evenit, vincente, omni vi stabilirentur, & in ecclesia ac scholis solae dominarentur? Ita ut veterem illam Gregorii Nazianzeni qverimoniam de sui tem-

temporis synodis epist. 42. vel 55. ad Procop. de plerisqve etiam omnibus nostri seculi synodis renovare & repetere jure merito possimus. Sed Deus, in cujus solius manibus situm est, ecclesiae suae nunc afflictissimae malis mederi, omnium hominum, cum ecclesiastici, tum politici ordinis, corda ad meliora, qvam hactenus seqvuti sunt, consilia flectat, & saniores nobis pro immensa sua clementia concedere dignetur synodos, qvam qvas miserrima haec aetas magno suo malo vidit & experta est. In illo speremus, etiam contra spem. Ipse aliqvando, ecclesiae suae misertus, faciet. Extat qvoqve in fine Dialogorum Seb. Castalionis de Praedestinatione, Goudae excus. 1613. tractatus cujusdam anonymi, sed revera Castellionis ipsius, ut ex praefatione constat, de Justif. in qvo fuse haec eadem sententia probatur, & ad rationes, qvae contra opponi solent, licet non semper satis solide, respondetur. Pag. 82.)

Joh. Himmelius, in inepta sua farragine, qvam Calvino-papismum inscripsit c. 7. p. 60. haec citat verba Zuinglii in epist. ad Principes Germaniae: *Sanctificatio Spiritus est vera justificatio, qvae sola ad justificationem sufficit.* & haec Joachimi Curaei in Exeg. pag. 36. 37. *Sumus justi primum imputatione propter obedientiam filii Dei, derivantis in se poenam pro peccatis generis humani: sed altera pars justificationis est sanctificatio.* Nominat etiam Phil. Melanchthonem, qvi in Narratione

tione colloqvii marpurg. an. 1529. habiti recitat de Zwinglio & ejus sociis, *qvod incommode loqvuti fuerint & scripserint de hominis justif. coram Deo, & doctrinam de fide non satis inculcarint, sed ita de justificatione docuerint, qvasi sanctificatio & bona opera, qvæ fidem sequuntur, sint justificatio hominis* Sed sive bona sive mala fide haec recitat, illius certe judicio nihil omnino tribuendum est, qvi hominum doctorum & piorum sententiam, scripturis & Patrum doctrinae maxime consentaneam, erroris, immo, ut ipse putat, papisticae haereseos accusare & damnare haud veretur. Sed hic solennis est multorum *contentiosorum hujus seculi scriptorum mos*, multa, qvae ipsimet nunqvam rite expenderunt, aut a praeceptoribus suis non acceperunt, confestim ut falsa, immo & impia damnare, in viris etiam doctissimis & optimis, qvos saepiuscule a rigidis & pertinacibus zelotis dissentire ipsa cogit veritas. Homine enim imperito nunqvam qvicqvam injustius.

Fieldus, anglus, magni nominis inter suos theologus, in Append. ad l. 3. de Ecclesia, cap. 11. de Justif. pag. 290. 291. diserte affirmat, *in prima justif. peccatoris, praeter remissionem peccatorum praeteritorum, & receptionem in Dei gratiam, etiam inclusi donationem Spiritus S. seu sanctificantis & renovantis gratiae*, qva apti seu habiles ad peccata in posterum vitanda, & opera justitiae praestanda reddimur, atqve hac de re inter omnes utriusqve partis theologos convenire, & ad Colloq. ratisb. anno 1541. (de qvo supra dictum) provocat.

Hoc etiam, & non alio sensu intelligendum, qvod Protestantes communiter urgent, verbum *justificandi*, Pag. 83.) in negotio justificationis nostrae coram, Deo esse verbum forense. Vide notam ad oram pag. 291. Idem etiam in fine cap. illius asserit, *nos formaliter justificari per remissionem peccatorum, gratiosam Dei acceptationem, & donationem justitiae inhaerentis.* R. Montacutius in libro, qvem contra qvendam romanensem, controversiarum hodiernarum abbreviatorem, edidit anno 1624. art. 18. de Justificatione per solam fidem, affirmavit, *justificationem primario in peccatorum remissione, & secundario in gratiæ infusione positam esse.* Vide pag. 141. & 143. Idem tamen in libro contra Puritanos edito an. 1625. & inscripto, *Appello Caesarem*, propter illorum clamores, de *justificatione tantum late*, non autem stricte accepta, hoc sese intellexisse asseverat, pag. 172. & seq. Sed qvam constanter, viderit ipse. Vide etiam Franc. Whiteum in Explan. fidei orthod. pag. 18. & 19. Archiepiscopus spalat. de Rep. eccles. lib. 7. cap. 11. n. 217. asserit, *tum scripturas, tum Patres docere, utroqve modo justitiam dari, scil. tum imputative, tum inhaesive*, & duplici modo peccata nostra aboleri, nempe 1. per ipsorum tectionem, seu non imputationem, qvod volunt Protestantes communiter, (ubi tamen nota, dicta qvaedam patrum, ut Augustini de Grat. Christi contra Pelag. cap. 47. de Spir. & lit. cap. 9. & * epist. 85. ad Consentium, perperam

* Ep. 85. ad Consentium] Qvae tantum est fragmentum ep. 202.

peram ab illo videri intelligi de imputatione justitiae Christi nobis facta per modum causae formalis; qvasi nobis illa sit veluti commodata a Christo, ut illa tanqvam veste induti placeamus Deo patri: neqve enim unqvam S. Augustinus imputationem justitiae Christi hunc in modum intellexit) 2. per veram deletionem, seu emundationem & dilutionem maculae peccati, ita ut nihil ipsius in anima maneat; proinde utriqve parti, *missis illis, qvae*, ut ille loqvitur, *sunt pura qvaedam metaphysicalia, ad salutem nihil necessaria*, studium pacis vehementer svadet & commendat. Qvaedam maxime probamus, qvaedam minus.

G. Cassander in Consult. art. 4. pag. 917. *De ipsa*, inqvit, *justitia, qva justificamur, magna hactenus certamina extiterunt, aliis in sola Christi justitia nobis imputata; aliis in justitia novae vitae nobis communicata, justificationis formam ponentibus;* Pag. 84.) *etiamsi postea a doctissimis viris observatum sit, ex apostolica doctrina, & patrum traditione, utramqve justitiam in justificationis ratione conjungi debere.* Et paulo post multo explicatius: *Verum hic rursum necesse est, ut ii, qvi Protestantes vocantur, reliqvis Catholicis in eo consentiant, qvi dicunt, hanc justificationem, seu justitiam, qva justificamur, non in sola remissione peccatorum, sed etiam in renovatione interioris hominis esse positam.* Qvae lege apud auctorem ipsum, & veritatis & concordiae ecclesiasticae amantissimum: ubi etiam vide, qvomodo vir hic eruditissimus (ut hoc obiter dicam) intelligat juxta scripturas & pa-

tres, Christi justitiam nobis imputari : *Et quidem*, inqvit, de justitia, *i. e. merito & satisfactione Christi*, nobis imputata, *h. e. nobis, ac si propria esset, attributa, scripturae satis aperte loqvuntur :* per eam enim justitiam, *i. e. meritum & intercessionem sanguinis Christi*, peccata nobis remittuntur, *id est, non imputantur.* Hoc observatum volo, propter nuperum qvendam scriptorem, qvi inter alios Romanenses, existimantes, justitiam Christi per modum etiam causae formalis nostrae justificationis nobis imputari, Cassandrum etiam recenset, hoc loco citato. Sed manum de tabula.

CAPUT. VI.

Qvo objectionibus qvibusdam occurritur, & haec disqvisitio concluditur.

I. OBjicitur, juxta hanc sententiam *duas formales justificationis nostrae causas statui*; qvod absurdum videtur. Respondemus solide, missis vanis Bellarmini aliorumqve Romanensium effugiis, ad Concilii trid. can. 7. *unicam tantum esse causam formalem justificationis nostrae, justitiam sc. nobis infusam*, falso, neqve etiam constanter satis pronunciantis, auctoritatem statuminandam, & sartam tectam conservandam excogitatis, respondemus, inqvam, *justificationem esse ens unum aggregatione*, & ex duobus compositum, qvae necessaria conjunctione & coordinatione unum tantum

tantum sunt: Pag. 85.) proinde nihil esse absurdi, si in rebus etiam diversis illius essentiam constituamus. Suarez, jesuita non ignobilis, multum sudans & misere sese torqvens in explicanda & defendenda unica illa a Concilio trident. definita causa formali justificationis, de Gratia l. 7. cap. 11. n. 24. *Ad primum inconveniens*, inqvit, *concedo, intervenire in justificatione impii duos effectus gratiae qvasi partiales; unum positivum, & alium privativum. Ex utroqve autem coalescit integra justitia & sanctitas, a qva homo habet, ut sit & nominetur simpliciter iustus & sanctus. Neqve est inconveniens, in una iustificatione includi plures gratias qvasi partiales, cum ipsa iustitia integra in qvadam collectione consistat, & qvot sunt virtutes, ex qvibus consurgit, tot sint gratiae positivae partiales.* Verba haec multo melius responsioni nostræ firmandae accommodari possunt. Sed multi, etiam rigidiores Protestantes, duas statuunt justificationis nostrae partes, (ac proinde causam justif. formalem duplicem) *remissionem peccatorum*, & *justitiae Christi imputationem*, & diversos his partibus effectus attribuunt, ut ex illorum scriptis constat. Vide Bezam, Zanchium, Polanum, Synopsin purioris theol. disp. de Justif. pag. 436. th. 8. aliosqve plurimos. Protestantes alii, qvi *remissionem peccatorum & imputationem iustitiae*, immo *imputationem etiam iustitiae Christi*, id est, qvam Christus sua obedientia nobis acqvisivit, (nam de imputatione justitiae Christi, an sc. & qvatenus admittenda sit, inter-

Protestantes ipsos contenditur, ut supra hac de re diximus. Vide praeter alios tunc citatos, Vorstium in Antibellarm. pag. 608. ubi, *Licet*, inqvit, *alii imputationem iustitiae Christi, h. e. mortε & passione Christi comparatae, ab hac peccatorum remissione, tanqvam rem diversam, interdum distinguant, tamen plerique doctores* (evangelici) *id non faciunt, & qui faciunt, improprie loqvuntur, qvatenus una cum formali causa proximam efficientem, seu meritoriam, coniungunt.* Vide etiam p. 611.) *non re, sed tantum τῷ λόγῳ differre* existimant, ratione sc. terminorum, a qvo & ad qvem, ut, Chamierus de Justif. lib. 22. cap. 15. n. 21. Pareus, Vorstius, Joh. Gerhardus L. de Justif. n. 197. 198. aliiqve plurimi, licet in illos hoc argumentum retorqveri non possit, ut in alios; falso tamen Pag. 86.) justificationem sola peccatorum remissione, seu imputatione justitiae definiunt, sicut abunde demonstratum est. *Fides justificans*, juxta plerorumqve Protestantium sententiam, notitiam & assensum in intellectu, & simul fiduciam in voluntate includit, unde eam non esse habitum unum numero simplicem absolute, sed aggregatione tantum, confiteri coguntur. Vide praeter alios Synopsin purioris theol. disp. 31. th. 16. *Formam peccati originalis* Protestantes permulti, ut de Romanensibus nihil dicam, constituunt in imputatione primi peccati Adami, & in justitiae originalis carentia, atqve etiam in positiva qvadam prava inclinatione vel proclivitate ad omne malum; qvae

tria

tria multum inter se differunt. *Formalem rationem sacramenti* Protestantes omnes doctiores cum Romanensibus constituunt, non solum in significando, sed etiam in sanctificando, instrumentaliter scilicet. At significare & sanctificare res sunt diversorum praedicamentorum; illa relationis, haec actionis. Protestantes, qvi communiter *Christum secundum utramqve naturam mediatorem esse* contendunt, conseqventer docent & docere coguntur, formalem rationem mediationis illius non tantum in merendo, sed etiam in donando Spiritum S. positam esse: qvæ tamen actiones sunt toto genere differentes; sed necessario, juxta illorum sententiam, conjunctae, ad munus mediatorium perficiendum.

II. Objicitur, *scripturam justificationem a sanctificatione aliqvando distingvere*, Rom. 6. 22. 1. Cor. 1, 30. & rursus cap. 6. v. 11. Apocal. 22. 11. Resp. cum A. Vega de Justif. lib. 15. cap. 5. An propter unum aut alterum locum, in qvibus justificatio a sanctificatione distingvitur, contra communem scripturae sensum omnibus fere in locis, & Patrum consensum, verbum & rationem totam justificationis ad solam peccatorum remissionem restringere, aeqvum est? Sed singulos, age, qvi objiciuntur, locos paucis excutiamus. Rom. 6. 22. dicitur: *Nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo.* Haec, inqviunt, est justificatio nostra. Porro: *Habetis fructum vestrum in sanctificationem.* Haec, ajunt, sanctificatio nostra, est justificationis fructus. Sic vir qvidam, alioqvi

doctissimus, locum hunc apostoli intelligit, tract. qvodam de Justif. Sic & cum illo alii. Sed nae omnes hi male locum intelligunt: Nam *liberatio a peccato* hoc loco non significat liberationem a solo peccati reatu, in qva illi totam justificationis rationem constituunt, Pag. 87.) sed liberationem etiam a dominio peccati, cui Romani antea serviebant; sicut clarissime patet ex verbis praecedentibus 19. & 20. & verbis immediate sequentibus *servi autem facti Deo*, seu mancipati Deo, vel, ut prius dixit, *servi facti justitiae*. In hisce autem, *habetis fructum vestrum in sanctificationem*, hebraismus, & hic sensus est: ipsam sanctificationem sive sanctimoniam, vitaeqve munditiam, ejusqve continuationem & incrementum, velut fructum, ex illa servitute Dei & justitiae capitis seu haberis. Ad 1. Cor. 1. 30. ubi *Christus* dicitur *esse nobis factus a Deo sapientia & justitia & sanctificatio*, respondetur, apostolum vel rem eandem diversis ibi justitiae & sanctificationis verbis significare, (qvod S. scriptores saepe sine tautologia facere consveverunt, ut neminem latet) ad rem ipsam plenius & disertius exprimendam; vel, si distinctae significantur res, qvemadmodum qvidam veteres & recentiores interpretes exponunt, intelligere eum *justitiae* nomine remissionem peccatorum, & per *sanctificationem* id, qvod communiter sic appellatur. Eqvidem Chrysostomus non satis plene & clare hanc in sententiam loqvitur, neqve etiam Theodoreti, sectatoris Chrysostomi, & Theophylacti, ejusdem

dem abbreviatoris, atqve Oecumenii verba satis sunt expressa, at Bernardi expressissima serm. 22. in Cant. illud tamen inde tantum colligi potest, hoc loco *justitiae* verbo non totum justificationis nostrae beneficium intelligi, sed nomen totius, praecipuae ejusdem parti, altera non exclusa, sed diserte expressa, κατ' ἐξοχήν tribui; qvod non raro aliis etiam in rebus in scriptura fieri solet. Ad locum tertium 1. Cor. 6. 11. respondemus, vel rem eandem diversis *ablutionis*, *sanctificationis*, & *justificationis* verbis, ad majorem emphasin, & beneficii per Christum accepti amplificationem, significari & efferri; qvemadmodum & supra pag. 63, 64. ex ipsis Protestantibus, Zanchio, & Bullingero, observavimus; vel, si distingvenda sunt ista, distinctionem tantum partium & totius admittendam esse, ut sensus sit: Ab his omnibus vitiorum sordibus abluti atqve mundati estis baptismo, per qvem omnia vobis peccata remissa sunt. *At ne* (inqvit Estius in h. l.) *in sola ablutione, i. e. peccatorum remissione consistere putaretur justitia christiana, addit alterum gradum, vel partem*: Sed sanctificati estis, *i. e. puritatem consecuti, ita ut jam vere & coram Deo sancti sitis. Denique summam beneficii accepti, uno verbo, qvod utramqve includit partem, exprimendo*, ait, sed justificati estis, *& subjungit*, in nomine D. N. J. C. i. e. *per meritum ejus*, & in spiritu Dei nostri i. e. *virtute Spiritus S. a Deo nostro procedentis, & nobis per Christum communicati.* Pag. 88.) Ad locum Apoc. 22. 11. resp. verba, *Qui justus est*, non signi-

ficare, qvi tantum per remissionem peccatorum justificatus est, sed, qvi nemini nocet, & unicuiqve reddit, qvod suum est, ut recte notat in hunc locum Fr. Ribera : *justificetur adhuc*, i. e. hic agendo pergat & proficiat : *& qvi sanctus est*, i.e. purus & sine sordibus, *sanctificetur adhuc*, i. e. sic pergat, &c. Nam apostolus hoc loco *justum* opponit τῷ ἀδικῆσαι, *ei, qvi injuste agit*, vel alterum injuria afficit, & *sanctum* τῷ ῥυπῶσαι, *sordescenti*, vel qvi in sordibus est, nulli sc. nisi sibi ipse nocens, ut clarissime patet ex textu, & ut, praeter Riberam aliosqve multos, agnoscit Piscator. Ita, ut turpiter erret Pareus, qvando l. 2. de Justificatione contra Bellarm. cap. 3. pag. 398. 399. inqvit: Qvi justus est, justificetur adhuc, i. e. *in justitia fidei perseveret. De infusione nempe vel de incremento habitualis justitiae non potest intelligi sine manifesta tautologia membri sequentis*: Qvi sanctus est, sanctificetur adhuc.

III. Ex cap. 4. 7. ad Rom. freqventissime objicitur, apostolum ex Davide justificationem, seu τὸν μακαρισμὸν, i. e. *beatitudinem, vel beatificationem peccatoris, in sola remissione peccatorum* collocare. Sed respondemus: Nae illud magni momenti non est. Nam & illi Protestantes, qvi justificationem non sola peccatorum remissione, sed etiam imputatione justitiae Christi constare contendunt, negant, verbis his, qvae apostolus ex Davide citat, totam justificationis rationem plene exprimi. Beza in Qvaest. & Resp. qv.

Atqvi

Atqui David collocat beatificationem in peccatorum remissione. Cur igitur adjicis etiam Christi impletionis legis imputationem? R. *Quid si tibi*, inqvit, *objiciam illa*, Beati, qvi sunt mundo corde; Beati, qvi sunt inculpati in via, *& caetera ejusmodi, an hinc colligeres, excludi peccatorum remissionem? Neqvaqvam, opinor. Sic* interdum nomine justificationis intelligitur etiam sanctificatio; *qvoniam haec duo prorsus cohaerent.* Pag. 89.) *Quidni igitur illud qvoqve responderim, unius peccatorum remissionis interdum mentionem fieri, non ut excludantur aliae beatificationis partes, sed qvod tacite cum illa comprehendantur?* Videatur & Synopsis theol. purioris, disp. de Justif. th. 8. Sic & nos respondemus, non seqvi ex verbis Davidis ab apostolo citatis, beatitudinem seu justitiam hominis in sola peccatorum remissione, seu justitiae imputatione consistere, cum alibi idem psalmista beatos pronunciet immaculatos in via, qvi ambulant in lege Dei, qviqve custodiunt judicium, & faciunt justitiam. Ps. 1. 1. & 119. 1 & 106. 3. Et hoc ipso ps. 32. post verba ab apostolo citata, *Beatus homo, cui non imputat Deus iniqvitatem*, v. 2. addit David, *Nec in spiritu ejus dolus est*, i. e. homo recti cordis est, ut dicitur ultimis illius psalmi verbis. Iraqve nomine *remissionis peccatorum*, tota hominis sanctificatio seu renovatio comprehensa debet intelligi. Nam propter arctissimam utriusqve partis conjunctionem, qvia nunqvam fit remissio peccatorum sine interna mentis sanctificatione, una alteram saepe synecdochice

dochice complectitur, & remissio qvidem peccatorum, κατ' ἐξοχὴν saepe, cum in scriptura, tum in Patribus nominatur. *Hic est omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Jes. 27. 9. vel 11. *Ecce agnus Dei, qvi tollit peccatum mundi.* Joh. 1. 29. *Hic servabit populum suum a peccatis eorum.* Matth. 1. 21. Sic & 2. Cor. 5. 21. & in compluribus aliis scripturae locis. Bernhard. serm. 22. in Cantic. *Factus est nobis sapientia, justitia,* &c. Sapientia inqvit, *in praedicatione,* justitia *in absolutione peccatorum.* Et infra: *Delicta juventutis meae, & ignorantias meas ne memineris, & justus sum.* Et serm. 23. in Cant. *Sufficit mihi ad omnem justitiam, solum habere propitium, cui soli peccavi.* Et paulo post: *Non peccare, Dei justitia est; hominis justitia, indulgentia Dei.* Et rursus: *Justitia Dei est, non peccare; justitia hominis est, non imputari peccatum.* Et epist. 190. ad Innocentium papam, p. 229. *Vbi reconciliatio, ibi remissio peccatorum. Et qvid ipsa, nisi justificatio?* Ecce, pius Bernhardus sentit, κατ' ἐξοχὴν *justificationis* verbum, cum in scriptura tum in Patrum scriptis, remissioni peccatorum saepius tribui, secutus clarissima Augustini verba lib. 19. de Civit. Dei cap. 27: *Ipsa qvoqve nostra justitia, qvamvis vera sit, propter veri boni finem, ad qvem refertur, tamen tanta est in hac vita, ut potius peccatorum remissione constet, qvam perfectione virtutum.* Pag. 90.) Qvibus verbis haec duo sanctissimus & doctissimus ille pater docet: 1. Justitiam nostram constare, i. e. justos nos esse, cum remissione peccatorum, tum perfectione virtu-

virtutum, qvalis scil. statui hujus vitae convenit: 2. Sed longe remissione peccatorum perfectioni virtutum praeferendam. Prius illud sensisse Augustinum hoc loco, ut & plurimis in aliis, ingenue agnoscit Chamierus de Justif. l. 21. c. 19. n. 7. 8. *Non excludi virtutes, nos agnoscimus; qvi scimus, & alias testati sumus, Augustinum uno* justificationis *nomine utramqve partem comprehendere, i. e. tum qvam nos proprie justificationem dicimus, tum sanctificationem. Et hactenus non* ψευδολογεῖ *jesuita.* Sed male Pareus de Justif. l. 2. c. 13. p. 540-541. *Glossa adversarii,* inqvit, *de justitia divisa in remissionem peccatorum & perfectionem virtutis, haud dubie est falsa. Manifestum enim est, Augustinum remissionem peccatorum & perfectionem virtutis, non ut partes unius justitiae componere, sed ut res disparatas opponere.* Sed vix major Augustini verbis a qvoqvam vis inferri potuit. Posterius Bellarminus ipse fateri cogitur de Justif. lib. 2. c. 13. scribens: *Illud* potius *hoc loco non excludit perfectionem virtutum, sed praeponit remissionem peccati, ut sensus sit,* justitiam nostram, *qvae partim in remissione peccati, partim in perfectione virtutum sita est,* magis illa, qvam hac constare. Et qvidem duplici assignata ratione, cur id dicat Augustinus: *Qvia peccata in baptismo perfecte delentur & purgantur, ut nihil omnino remaneat, qvod habet rationem culpae; virtutes autem infusae, ita suo qvodam modo perfectae sunt, ut qvotidie magis ac magis perfici debeant. 2. Qvoniam remissio peccati semel facta, non eget nova infusione virtutum. At virtus semel infusa, eget qvotidie nova remissio-*

remissione peccati, non lethalis, qvod cum justitia simul esse non potest, sed venialis. Eadem legere est apud Leonard. Coqvaeum, in suo Comment. ad locum Augustini citatum, ex Bellarmino verbatim exscripta. Videtur tamen Bellarminus illo eodem l. 2. de Justif. c. 6. sibi contradicere, qvando sic inqvit: *Hic* (Rom. 4. 25.) *apostolus* Pag. 91.) *nomen* justificationis *potius tribuit renovationi internae, qvam remissioni peccatorum, ac per hoc docet, justificationem non modo non constare sola remissione peccatorum, sed neqve praecipue ea constare.* Mentem B. Augustini hoc in loco optime vir doctissimus & optimus Lud. Vives in Comment. sic expressit, inqviens: *Magna nempe ex parte sumus boni; non qvod bene vivimus, sed qvod commissorum scelerum nobis fit a Deo gratia.* Joh. Hessel. super Matt. 6. 12. *Hujus vitae justitia praecipue* (ut ait Augustinus de C. D. l. 19. c. 27.) *in remissione peccatorum consistit.* Vide eundem in explicatione Symboli apostolici p. 37. *Hac ergo* (scil. remissione peccatorum) *tanqvam praecipue expressa, subintellexerunt apostoli, &c.*

IV. Ex multis scripturae & Patrum testimoniis objicitur, *inhaerentem nostram justitiam in hac vita imperfectam esse,* & multis permixtam peccatis, ac proinde divinum judicium sustinere non posse, nec nos per illam formaliter justos in Dei judicio censeri. Resp. Loca, qvae contra adducuntur, fere omnia ad justitiam actualem, seu operum nostrorum potius spectare, qvam ad *justitiam a Deo donatam seu habitualem, qvae non est nostrum,*

sed

sed Dei opus, (licet in nobis receptum) qvi simul peccata remittit, & dona fidei, spei & charitatis infundit. Vnde & infantes nuper baptizati, vere coram Deo justi sunt, licet nihil operis fecerint. Idcirco nos hanc disputationem de imperfectione justitiae nostrae, in seqventia rejicimus, ubi de justitia operum, Deo juvante, pluribus differemus. Qvod si etiam imperfectio illa, qvae in ipsis donis Spiritus S. nobis in justificatione communicatis inest, qvamdiu nos hic vivimus, & illa in nobis augeri possunt, atqve etiam debent, proprie peccatum est, (Augustinus enim certe *vitium & peccatum* non veretur appellare, * epist. 29. ad Hieron. *Plenissima charitas, qvae jam non potest augeri, qvam diu hic homo vivit, est in nemine; qvamdiu autem augeri potest, profecto illud, qvod minus est, qvam debet, ex vitio est: ex qvo vitio non est, qvi faciat bonum, & non peccet.* Et lib. de Perfect. justitiae cap. 15. *Peccatum*, inqvit, *est, cum vel non est charitas, qvae esse debet, vel minor, qvam debet.* Sed an largo tantum modo peccatum appellet, ut Romanenses communiter, atqve etiam Protestantes qvidam doctissimi volunt, aliis etiam ad suam sententiam confirmandam ex ipso Augustino locis prolatis; an vero etiam proprie, ut alii sentiunt, pag. 172. dicemus) Pag. 92.) sententia tamen, qvam nos astruximus, nihil inde laeditur, qvi cum donatione justitiae semper remissionem peccatorum conjunximus, atqve non per illam solam, sed etiam

* Epist. 29.] pag. 115. edit. Reinhart.

etiam per hanc, immo *per hanc potius*, ut jam dixit Augustinus, *formaliter nos justos coram Deo nominari & esse*, contendimus.

Multa sunt, de qvibus etiam inter Romanenses ipsos de causa formali justificationis nostrae disputatur, (ut, *An per habitus virtutum infusos* justificemur, ut volunt permulti? vel, *an perpetua Dei motio & operatio in nobis* sit illud, qvo justificamur? *an* vero horum neutrum praecise, sed ipsa *mentis & voluntatis rectitudo*, ex utrisqve resultans, sit formalis nostra justitia? & deniqve, *an justitia, qva formaliter justificamur, sola habitualis sit, an actualis*, i. e. opera vere justa?) & qvaedam alia, de qvibus videantur Staplet. de Justificatione l. 5. c. 8. Bellarm. de Justif. l. 2. c. 15. & 16. Suarez, Vasqvez, aliiqve id genus scriptores plurimi, viri certe doctissimi, sed in dogmatibus fidei, qvae simplicitatis plena sunt, eamqve maxime amant, discutiendis saepe nimio plus subtiles, ne dicam audaces. Proinde illis aliisqve omnibus, ab instituti ratione alienis, missis, huic libro hunc terminum ponentes, ad alia inter partes controversa transeamus. Deus veritatis & pacis coeptis adspiret.

Ad

Ad Librum Bellarmini Tertium, *de Justificatione*, Qvo lites de incertitudine, mutabilitate, & inaeqvalitate justitiae considerantur.

Pag. 93.)

CAPUT. I.

De certitudine & incertitudine gratiae seu justitiae praesentis.

VTinam pleriqve utriusqve litigantium partis magis satagerent per bona opera suam vocationem & electionem certam & firmam facere, sicut monet B. Petrus 2. ep. 1. 10. qvam de certitudine utriusqve, mensura & gradu, ad fovendum triste schisma hodiernum, nimis anxie & contentiose disputarent. Sed hoc infelici rixarum, & contentionum admodum ferace, pietatis autem & justitiae sterili seculo, pleriqve magis amant inaniter & inutiliter altercari, qvam utiliter & fructuose operari. Mart. Eisengrenius, academiae ingolstadiensis qvondam procancellarius, in vestibulo libri sui apologet. pro Concil. trid. de certitudine gratiae (cujus tamen hac de re sententiam multo mitiorem esse, qvom multorum aliorum gregalium, judicant Protestantes) affirmat, ex hoc unico articulo, qvamvis minutus a plerisqve re-

putari qveat, universum papatum & lutheranismum dependere. Pag. 94.) M. Lutherus in cap. 41. Gen. *Etiamsi*, inqvit, *nihil praeterea peccatum fuisset in doctrina pontificia, qvam qvod docuerunt, nos debere vagari & fluctuare ambigentes & dubios de remissione peccatorum, gratia & salute nostra, justas tamen haberemus causas, cur ab ecclesia infideli nos sejungeremus.* Vide Chemnit. in Exam. concil. trid. de Fide justif. p. 165. aliosqve fere utriusqve partis innumeros. Sed nos omnia, seposito omni partium studio, tanqvam in Dei ipsius conspectu, paucis discutiamus.

Nonqvaeritur de certitudine finalis perseverantiae, ac proinde non de certitudine electionis nostrae, qva de re infra, *sed de certitudine gratiae seu justitiae praesentis*; permulti enim Protestantes, ut p. 112. dicemus, illa negata, hanc tamen constanter tuentur. Neqve qvaeritur, an *possit* homo fidelis certo, immo certitudine fidei statuere, sibi remissa esse peccata sua, *si modo eidem certo atqve eadem praedicta certitudine constet de vera & seria sua pœnitentia*: qvis enim sanae mentis hoc neget? Vide Bellarm. de Justif. lib. 3. c. 2. p. 344. *Non enim hypothetice, sed absolute, hodie inter plerosqve utriusqve partis de certitudine justitiae controversia magna contentione disputatur*, ut inqvit ille ibidem. Neqve etiam qvaeritur, an omnis omnino *propria & peculiaris applicatio*, qva qvis fidelis ita apprehendat generales verbi divini promissiones, ut sibi etiam certo confidat vel speret remissa esse peccata, illicita sit?

ta sit? Neqve enim Romanenses ipsi negant, (vide Bellarm. loc. cit.) certam fiduciam in Deo collocandam esse, & certo confidendum, post actam legitime pœnitentiam, & sacramentum baptismi vel absolutionis rite perceptum, remissa esse peccata, ut proinde male Chamierus de Fide lib. 13. affirmet, Bellarminum (cui adjungit Costerum) videri sibi impugnare cum omnem applicationem propriam, tum etiam certitudinem ejus applicationis, negare autem plerosqve alios Romanenses tantum applicationis certitudinem, non vero omnem omnino applicationem peculiarem. Qvod enim scribit, *Bellarminum* lib. 1. de Justif. c. 8. *negare prorsus, fidei justificantis objectum esse specialem misericordiam*, id totum ad applicationis certitudinem spectat: Pag. 95.) disputatio enim tota est, non de applicatione, sed de applicationis certitudine, ejusdemqve mensura & gradu.

Communior Romanensium hac de re sententia negat certitudinem fidei divinae, justo, de sua justificatione, citra speciale revelationis privilegium, libenter tamen admittit ex vivae fidei sensu, seu charitatis & bonorum operum experimento, certitudinem aliqvam minoris & inferioris gradus oriri, qvae *conjecturalis & probabilis* nominari possit, & qvae, licet non omnem formidinem pellat, tamen omnem tollat anxietatem & haesitationem, & ipsam etiam dubitationem, si dubitatio sumatur pro mera animi fluctuatione sine ullo assensu, qvae sola apud philosophos

nomen *dubitationis* proprie obtinet. Ideoqve qvando de aliqva aliqvi Romanenses dubitatione loqvuntur, non aliud intelligunt, qvam qvandam formidinem, qvae in omni assensu, etiam certo, qvi non sit infallibilis aut evidens, reperitur, & *late dubitatio* vocatur. Vide Bellarm. lib. 3. de Justif. c. 3. p. 349. Negant igitur, qvia docent, *fideles non habere certitudinem fidei de sua iustificatione*, inde seqvi, *iubere se fideles semper dubitare*, (vid. p. 99. 112.) & anxie haesitare de sua cum Deo reconciliatione, qvemadmodum rigidiores Protestantes illis impingunt, qvia datur aliqvid medium inter haec extrema, scil. certitudo qvaedam moralis, ex parte intellectus, & spes ac fiducia, ex parte voluntatis, ut loqvitur Bellarm. loco citato. Recte Remonstrantes in sua nupera Apol. (licet ejusdem p. 215. profiteantur, se dubitationem pontificiam de salute propria, & conscientiarum carnificinam, ita caeterorum rigidiorum Protest. more loqventes, minime asserere) de re alia loqventes, p. 7. ajunt: *Inter dubitationem & divinam assertionem, humana certitudo media est; qvae, etsi formidinem contrarii* (cum dubitatione scil. conjunctam) *excludat, infallibilliatem tamen divinam non includit.*

Progrediuntur qvidam alii Romanenses ulterius, & certitudinem aliqvam aliam, minorem qvidem certitudine fidei divinae, conjecturali tamen majorem, qvam *certitudinem moralem* appellandam censent, admittunt. Affirmant enim (vide p. 112.) posse, immo etiam solere, praesertim

tim homines spirituales & perfectos (scil. secundum statum viae) ad eam certitudinem seu securitatem venire, ut nullam habeant de sua justificatione formidinem; *plane ad eum modum*, (verba sunt Bellarm. de Justif. l. 3. c. 11. p. 364.) *quo credimus sine ulla haesitatione & formidine deceptionis, Romam fuisse & esse, & Caesarem in Italia aliquando regnasse.* Pag. 96.) Dom. a Soto ab hac sententia non abhorruit in Apol. contra Cathar. cap. 2. neqve etiam Greg. de Valentia disp. 8. q. 5. p. 4. tom. 2. neqve* Carthus. in 1. sent. d. 17. q. 5. & 10. referente Suarezio de Gratia lib. 9. c. 11. n. 1. Sed Andreas Vega diserte tuetur de Justif. lib. 9. c. 46. inqviens: *Mature tamen omnibus hinc inde pensatis, probabilius profecto esse crediderim*, posse aliqvos viros spirituales, *tantopere in exercitiis spiritualibus, & in familiaritate divina proficere, ut absqve ulla temeritate possint certo & absqve ulla haesitatione credere, se invenisse gratiam & remissionem peccatorum suorum apud Deum.* Hanc sententiam suam multis egregiis argumentis ibidem confirmat. Verba argumenti 9. qvo utitur, dignissima putavi adscriptu: *Familiaritas item & eximius amor, qvem Canticum canticorum indicat Deum habere in ecclesiam, atqve ei nonnunqvam ostendere, exigunt revera, ut aliqvi sint semper viri spirituales in ecclesia, qvibuscum Deus sic familiariter loqvatur, qviqve certi sint & nihil dubitent de ipsius in eos amore. Illa insuper* qvies & securitas, *qva plerique migrant de hac vita, illud* ardens desiderium, *qvo charitas, cum perfecta fuerit, clamat: Cu-*

* Carthusianus.] Nomine Dionysius.

pio dissolvi & esse cum Christo. Phil. 1. 23. *illa* laetitia, *qva permulti exultant, dum intelligentes, sibi propinqvum esse diem mortis, dicunt cum Davide* psal. 122. 1. Laetatus sum in his, qvae dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. *alacritas etiam & admiranda* constantia martyrum, & despicientia omnium tormentorum, *qvam prae se ferebant, qvid aliud sunt, qvam testimonia apertissima certitudinis moralis, qvam habebant de sua justitia & gratia apud Deum?* Et hoc probat ex testimonio S. Ambrosii in Expositione psalmi 119. 52. *Memor fui judiciorum tuorum a seculo, Domine:* nec non Hilarii, Martini, & Paulini, aliorumqve sanctorum exemplis. Deniqve sic concludit: *Licet haec argumenta non extorqveant certitudinem fidei, certe non plene multis ex illis satisfit, nisi concedamus, possibilem esse justis aliqvam certitudinem de sua gratia, alienam ab omni metu & formidine.* Pag.97.) Idem etiam ad suam sententiam roborandam multa adducit Patrum testimonia, & speciatim Augustini lib. de Bono perseverantiae, cap. 2. *Sicut ergo sanctus.* & Bernhardi serm. 69. in Cant. *Qvod si qvis.* ibidem: *Si senserim aperiri mihi,* serm. 37. *Ideo spes non confundit.* & Epist. 107. *At vero si superna.*

Hanc sententiam licet Bellarm. lib. 3. de Justif. cap. 11. p. 364. non probet, ut nec Vasqvez in 1. 2. tom. 2. disp. 200. cap. 8. neqve etiam alii rigidiores Romanenses, alii tamen illius etiam partis viri doctissimi *probabilem esse* putant, & problematice defendi posse, ut Ruardus Tapperus

Art. 9.

Art. 9. Lov. de Fide & spe, pag. 79. & 80. Pererius disp. 9. in cap. 8. ad Rom. Thomas a Jesu, recens scriptor romanae partis, de Oratione divina, lib. 4. cap. 12. cujus haec sunt verba: *Ex his constat, valde esse probabile, eos*, qvi ad hanc infallibilem unionem singulari Dei beneficio fuerint sublimati, *reddi de sua gratia & acceptatione securos.*

Idem Vega concedit, hanc *certitudinem moralem a fide divina*, bona ex parte, profluere; nam lib. 9. cap. 47. scribit: *Qvamvis fides infusa neqve inclinet nos ad assentiendum, neqve faciat nos certos, neqve moveatur a Spiritu S. ut ullum efficiat nobiscum immediate assensum, nisi eorum, qvae ante ipsius concursum, prius saltem natura, constat nobis esse a Deo revelata vel ex iis deducta, tamen* mediate *ad certitudinem moralem de nostra justitia concurrit, & ei debent perfecti bonam partem suae certitudinis moralis. Nisi enim per fidem assentirentur illi majoribus illis propositionibus de fide:* Facienti qvod in se est, Deus non denegat gratiam: Convertens se ad Deum ex toto corde, invenit & obtinet gratiam ipsius; *nunqvam certitudinem aliqvam haberent de sua gratia.* Et per fidem hoc, qvod scilicet in gratia simus, sciri posse, ait, Concilium Trid. non negare, sed tantum negare, sciri hoc posse *certitudine fidei.* lib. eod. cap. 8. Immo propter ecclesiae pacem, hanc certitudinem hac ratione *certitudinem fidei* appellari posse admittit, cap. 47. Pag. 98.) *Qvare recte dixit Joh. Baconus* certitudinem consequentem fidem.

Quod si hoc putas esse satis, ut vocetur certitudo fidei, *non admodum repugnabo, sed ut pax sit, & omnes in unum conveniamus, dabo, quod vis, & me volens victusque remittam.* In eandem sententiam Tapperus Art. 9. Lov. de Fide & spe: *Quae*, inqvit, *certitudo* (scilicet moralis) *quamvis multo sit inferior certitudine fidei, qvia tamen a sententiis scripturae pendet, ideo fides, qvae est virtus infusa, mediate ad illam inclinat, &, si accedat confidens voluntas illa, magis firmare potest assensum, sed non adeo, ut liceret pro ejus veritate, qvod scilicet in gratia sit, mortem subire. In qvo est differentia ab assensu fidei.* Hanc Tapperi sententiam diximus Ben. Pererium loc. cit. probare.

Mart. Eisengrenius (vid. p. 93.) in Tract. apologet. de Certitudine gratiae pro can. 3. sess. 6. Concil. trid. *Haec*, inqvit, *est sacri Concilii doctrina & sententia, prout Ecclesia catholica & universi christiani doctores nunqvam aliter docuerunt, tales homines si legitime ac strenue sese exerceant in bonis ac piis operibo, & jam justificati indies magis ac magis justificari satagant, tunc temum* pro certo statuere, & indubitatam fiduciam concipere posse, sibi remissa peccata, *seqve in gratia Dei constitutos.* Imo affirmat, eum, qvi suam recte examinabit conscientiam, peccatorum remissionem & gratiam Dei non solum sperare, verum etiam credere posse ac debere eo sensu, qvo verbum *Credo* communiter solet intelligi, *& ea certitudine, qva credit, bis duo esse qvatuor*; item, *totum esse majus qvalibet sui parte*; item, *qva credit ea, qvae oculis suis vidit & mani-*

manibus suis contrectavit. Liber hic approbatus fuit a Collegii theologici ingolstad. decano, ut patet ex ejus fine : in Indice tamen librorum prohibitorum atro stigmate notatur, & libris prohibitis accensetur.

Progrediuntur adhuc etiam ulterius alii Romanenses, & hominem fidelem vel posse, vel etiã debere *certitudinem fidei divinae sine peculiari revelatione* habere de propria gratia & justitia affirmant. Pro hac sententia citatur communiter inter veteres Scholasticos Alexander halensis part. 3. q. 61. membro 7. art. 3. sed multum renitente A. Vega, l. 9. c. 36. aliisqve, & Joh. Baconus carmelita in l. 3. Sent. dist. 30. q. 1. qvi diserte qvidem non dicit, cuiqvam esse certam suam gratiam certitudine fidei, sed tantum certitudine *consequente fidem.* Pag. 99.) Qvod qvomodo exponi possit, Vega supra monstravit, p. 98. Sed qvam recte, viderint Carmelitae, aliiqve, qvi sententiae huic favent. Auctor Enchiridii colonienſis in tr. de Justif. p. 139. (vid. p. 95. 433.) *Nonjubemus, ut perpetuo de justificatione & acceptatione sua dubitent homines,* &c. *Fatemur enim, verum esse, ad justificationem hominis omnino requiri, ut homo certo credat non tantum generaliter, qvod propter Christum vere pœnitentibus remittantur peccata, sed & qvod ipsimet homini credenti remissa sint propter Christum, per fidem.* Multa in hanc sententiam ibidem legere est p. 138. 140. & 141. Consulat diligens lector auctorem ipsum. Bellarmino proinde l. 3. de Justif. cap. 3. *liber is hac in re, ut in multis*

aliis, censura ecclesiastica dignus esse videtur: certe, inqvit, *in modo loqvendi doctrinam Melanchthonis & Buceri valde redolet.* Sed multo modestior fuit Georg. Cassander in sua Consultatione art. 4. de Justif. *Qvod vero additur in Confess.* (scil. augusta-na) Cum credunt, se in gratiam recipi & pec-cata remitti propter Christum, *merito ut impium rejici non debet, cum eruditissimorum virorum ex iis, qvi Catholici nomen retinent, sententiae & scriptis con-sentiat, ut patet ex Enchir. chr. religionis in Concil. provinciali colonienſi an. 1536. edito; qvi liber ab omnibus eruditioribus thologis, etiam per Italiam & Galliam, summopere fuit collaudatus, ut qvi summam sententiae veterum de christiana religione, ex qvorum scriptis qvasi conformatus est, pulcherrime referat:* deinde verba a nobis allegata recitat. Idem ta-men Cassander hoc eodem loco, hujus auctoris (ut & aliorum qvorundam Romanensium proxi-me citandorum, & non Protestantinm tantum) sententiam improbat, *qvod scil. hanc certitudi-nem fidei, natura ipsam justificationem & remissio-nem peccatorum praecedere* dicat: *Nam*, inqvit, *donum est Spiritus S. qvod justificatis infunditur, qvo de remissione peccatorum, & gratuita Dei Patris erga se benevolentia certi redduntur.* Autores Antidi-dagm. colon. tit. de Justif. idem insinuare viden-tur: dicunt enim, nos justificari per fidem, qva absqve dubitatione firmiter confidimus, nobis, qvi veram peccatorum poenitentiam habemus, peccta nostra propter Christum esse remissa, & de eo oportere intrinsecus per fidem, Spiritus

sancti

sancti testimonio certificatos nos esse, & justitia inhaerente, tanqvam qvodam exprimento, certificari, nobis remissionem peccatorum esse factam. Vide Vegam l. 9. c. 7. Pag. 100.) Autores libelli Ratisbonae Imperatori oblati A. 1541. art. 5. de Justif. hominis: *Docendum est, ut, qvi vere poenitent, semper fide certissima statuant, se propter mediatorem Christum Deo placere.* Claudius Guilliaudus, bellijocensis, in Collatione sua in Pauli Epistolas, secunda consideratione ultimi capitis 2. ad Timoth. dicit, *certos nos posse esse de nostra salute, non ex nobis, neqve ex natura nostra, aut ex operibus vel prosperis vitae successibus, sed* per fidem verbo & promissionibus Dei innixam, *qvi dicit:* Omnis, qvi audit vocem filii Dei, & credit in eum, habet vitam aeternam. Haec verba citat Vega. Sed in editione paris. 1548. ex recognitione auctoris haec omissa sunt, neqve absqve suspicione aliqva; qvandoqvidem in Indice libr. prohibitorum vetatur Collatio hujus auctoris, nisi expurgetur.

In hanc sententiam citari possent qvaedam ex Jo. Fero, praesertim in commentario loci Joan. 14. 16. *Et alium paracletum dabit vobis.* Sed de mente Feri multum inter se Dominicus a Soto & Michael Medina contendunt, ut legere est apud Sixtum senens. Biblioth. S. l. 6. annot. 210. Vide etiam Ferum in verba Johan. 17. 6. *Tui erant, & mihi eos dedisti.* & eundem Sixtum sen. lib. cit. annot. 215. Jo. Baptista Folengius, professione benedictinus, (ut Ferus franciscanus), vir insigni

pietate

pietate ac charitate praeditus, & de emendatione ecclesiae & scissura tollenda serio cogitans, (sic eum, nec immerito, laudante Jac. Aug. Thuano Histor. lib. 23.) ab hac sententia alienus non fuit, aut saltem non fuisse videtur in Comment. ad 1. Johan. 5. 4. & 13. *Nolim*, inqvit, (*sic me servet Deus*) *qvae huc usqve de certitudine habenda in fidei causa diximus, cuiqvam scandalo esse atqve admirationi. Diximus, qvae nos qvotidie experimur: ut alii hac in re afficiantur, nec qvaero, nec scribo. Ad haec, qvi verbum illud* scimus *tam frequens apud Johannem unqvam intelligere potero?* Pag. 101.) Florentinus Volusenus, scotus, catholico-romanus, de Animi tranqvillitate pag. 384. scribit: *Omnes, qvicunqve legitime christiani sunt, debent certo persvadere sibi, se gratos & esse, & perpetuo fore Deo patri, propter eum, qvem amplectuntur, Christum.* Hujusqve sententiae affirmat ibidem fuisse roffensem episcopum, & Hieronymum Hangestum, theologum parisiensem. Immo hanc sententiam multi Catholici, teste Vega, ante editum decretum de justificatione, probabilem censenbant Tridenti, & compluribus argumentis svadere illam conabantur.

Verum non tantum ante editum decretum illud, ut ait Vega, Ambr. Catharinus cum suis fautoribus Ant. Marinaro carmelita (cujus oratio ad Patres in Concil. trid. hac de re & qvibusdam aliis dominica 4. in qvadragesima 1546. habita publice extat inter Acta concilii illius excusa Venetiis 1552.) immo Carmelitanis omnibus,

bus, qvorum doctor Joh. Baconus eam tuebatur, cum Episcopis etiam qvibusdam, acerrime contra Sotum aliosqve defendit *certitudinem fidei, etiam divinae*, qvam sic neqve aliter nuncupandam esse censuit, qvia scilicet nititur iis, qvæ in Dei verbo revelata sunt & testimonio Spiritus S. Rom. 8. 16. & hanc privatam cujusqve justi fidem aeqve certam atqve indubitatam esse, ac fidem catholicam, licet non sit omnino cum ea eadem. Atqve haec sententia, utut prima facie ardua visa fuerit ipsis Catharini fautoribus, diligenter tamen post expensis rationum momentis, admirabili spectatissimorum e praesulibus consensu fuit approbata, (ut refert fide dignissimus auctor Hist. concil. trident. lib. 2. pag. 345. edit. latinae lipsi. 1699.) inclamante Soto, *nimis favorabilem esse Lutheranis*, aliis vicissim asserentibus, Lutherum non fuisse damnandum, si dixisset, *post justificationem* fidem illam seqvi, sed damnari, qvod dicat, eam esse fidem justificantem. Sed etiam post decretum editum, caeteris omnibus de propria opinione decedentibus, & simpliciter auscultantibus, ut jacet, decreto Synodi, (ut refert Sotus in Apolog. contra Catharinum cap. 2. si modo fides illi hac in re habenda sit) idem Catharinus Pag. 102.) eandem sententiam animose contra Sotum defendit, contenditqve, contra suam sententiam nihil pronunciasse Synodum trid. in Confirmatione defens. cathol. sic scribens: *Qvod ego in primo meo detexi libello, quem ad praesidentes ipsi concilio (qvorum alter,*

ter, Deo gratia, summus est pontifex, Julius tertius) *& ad ipsam Synodum destinavi, eos alloqvens his plane verbis: Addo, qvod saepius hoc protestati sint ambo praesidentes, & specialiter in hac controversia, tum in conventu patrum, tum vero in congregatione theologorum, & ambos audivimus contestantes,* non videri sibi qvaestionem hanc discussam satis ad dicisionem. *Immo ipsamet S. Synodus bis declaravit,* hujus rei definitionem tunc omittendam esse, & in aliud tempus servandam, *sicut in Actis possit apparere. Deniqve ipse titulus 9. capitis hoc manifestat abunde, qvi sic habet:* Contra inanem haereticorum fiduciam. Haec ille. Sed de concertationibus Catharini & Soti super hoc argumento, lege ipsorum Apologias & Antapologias, & de ambigua, immo *vafra & versuta illius decreti Conc. tridentini,* ad qvod uterqve provocabat, concinnatione a Patribus illis facta, ne partibus dissidentibus displicerent, vide Hist. concil. trid. lib. 2. pag. 386. Qvin immo nuper Jo. Barnesius, anglus, monachus benedictinus doctissimus ac pacis ecclesiae amantissimus, in suo Catholico-romano pacifico manuscr. tit. de Justificatione eandem sententiam defendit, inqviens: *Cum fides sit scientia salutis, & credere sit qvoddam scire, seqvitur, qvod, qvemadmodum sciens scit se scire, ita qvisqvis ad salutem credit, credit, se credere salutari fide. Ex qvo efficitur,* pie in Christum credentes, *certos esse de sua fide justificante, qva justi sunt.* Et in Paralipomenis certitudinem hanc infallibilem salutis operose Probare satagit ex Patribus, ex veteribus

ribus scholasticis & recentioribus theologis romanensibus, inprimis Cajetano, Antonio Marinaro, Claudio Guilliaudo, Hier. ab Angesta, & late ex Catharino. Atqve haec de diversis, immo adversis Romanensium super hac re sententiis.

Pag. 103.) CAPUT II.

Quo ejusdem litis aeqva consideratio ex scripturis, Patribus, Protestantibus, aliisqve viris moderatissimis continuatur & concluditur.

COmmunior Protestantium sententia est, *posse* vere fideles certa fide & divina statuere, per gratiam Spiritus S. sibi remissa esse peccata, immo *debere* etiam omnes hoc de se statuere, qvia ad eam certitudinem scripturam fideles ubiqve hortari arbitrantur. Sed male adjicit Bellarminus lib. 3. cap. 3. tanqvam *ex communi Protestantium*, qvi sic sentiant, *opinio* ne, *alioqvi nec fideles nec justos futuros*. Detur enim, qvosdam rigidiores aliqvando adeo incommode & inconsiderate loqvi, haud gravate tamen concedunt omnes alias, qvando paulo explicatius loqvuntur, *in multis etiam fidelibus & justis, certitudinem hanc* ἀμετάπτωτον *de facto non inesse*, &, in qvibus aliqvando est, *non semper* inesse, sed non raro carnis infirmitatibus interturbari; fidem enim aliqvando magnam & vividam

vividam esse, aliqvando modicam & languidam. Vt alios silentio praeteream, Remonstrantes, qvi in sententia sua Synodo dordracenae exhibita, circa articulum. 5. de Perseverantia, th. 7. vere fidelem pro tempore praesenti de justitia & salute sua certum esse posse ac debere affirmant, & hic Pontificiorum sententiam se improbare (vide Acta Remonstr. art. 5. pag. 186.) profitentur, in Declaratione suae sententiae pag. 195. sic loqvuntur: *Neqve tamen diffitemur, fieri posse, ut qvis vel errore aliqvo, vel contrariae opinionis diutina consvetudine, vel infirmitate, vel tentatione aliqva gravi correptus*, haesitet & vacillet *inter spem metumqve, qvi tamen aliqvin probissimus & innocentissimus est. Neqve id saluti ipsius ullatenus obfuturum credimus: Si qvis enim sincere & ex animo Deo obediat, sive sciat, & persuadeat sibi se obedire, & in statu proinde justitiae ac salutis versari, sive id persuadere sibi aut non possit aut non audeat, salvari tamen nihilominus poterit. Non enim scientia aut certitudo, qvod obedientiam talem praestet, qvam aeterna salus secutura est, sed obedientia ipsa ad salutem necessaria est.* Pag. 104.) Vide & Fr. Whiteum contra Fisherum jesuitam de Certitud. salutis pag. 166. Joh. Mayerum in Jacobi 2. 19. pag. 30, 31. & Dounamum de Fœdere gratiae cap. 8. pag. 102. & in Appendice pag. 218.

Multi etiam Protestantium hac ipsa fide, ac sola hac fide (ut refert Bellarminus loco citato, sed non satis bona fide, eam sententiam omnibus Protestantibus attribuens) qvam tamen semper vivam

vivam esse existimant, homines justificari volunt. Sed qvid de hac ultima multorum Protestantium sententiae parte judicandum sit, abunde dictum est lib. 1. qvo lectorem remitto.

Posse autem & debere vere fideles de praesente gratia & justitia fide divina certos esse, non solum Protestantes pleriqve docent; sed etiam nonnulli Romanenses, ut cap. praeced. fuse ostensum est. *Alteri vero* (inqvit Hist. Concil. trid. lib. 2. pag. 344.) *certitudinis patroni, ab adversariis* (Soto aliisqve) *coacti, animi sui sensum diserte exprimere, utrum crederent, hominem posse certitudinem gratiae habere, aut vero etiam hominem putarent ad id credendum teneri, & utrum fides ea divina esset an humana, tandem professi sunt, quandoqvidem fides ea exhibeatur testimonio Spir. sancti, non posse eam relinqvi hominis libertati, cum unusqvisqve teneatur credere revelationibus divinis, ac proinde fidem illam non aliter appellandam, qvam* divinam. Bellarminus etiam ipse lib. 3. de Justif. cap. 3. sect. *His erroribus*, concedit, sententiam, qvam hodie communiter tuentur Romanenses, communem tantum esse fere omnibus theologis, non igitur esse omnium theologorum sententiam. Horum suorum sodalium sententiam, licet alii Romanenses erroneam esse judicent, atqve etiam decreto Concilii trid. adversari, haereticos tamen damnare nec volunt nec audent; (vide Bellarm. loco citato, sect. *Tertia sententia*, aliosqve plurimos) in Protestantibus tamen haeresin esse volunt. Vtinam illi se adeo aeqvos Protestantibus, ut

ſuis, praeberent! Certe ſic candorem ſuum & charitatem magis probarent Deo & omnibus piis, & qvod eos προσωπολήπλας arguerent, minus hodie haberent Proteſtantes.

Sententia tamen haec plurimorum Proteſtantium, atqve nonnullorum etiam Romanenſium, de certitudine fidei divinae, qvoad hanc rem, ut libere qvod res eſt dicamus, *non ſatis tuta* eſſe videtur. Pag. 105.) Pugnat enim 1. cum multis Scripturae locis, ut fuſe oſtendunt ii, qvi hodiernas controverſias pertractant: qvos adi, lector ſtudioſe. Memineris tamen, ne erres, locos qvosdam communiter ab illis adduci, qvi nihil ad hanc rem faciunt. Verba enim illa Eccleſiaſtae 9. ℣. 1. vel 3. *Neſcit homo utrum odio vel amore dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta*, qvae argumentum palmarium plerisqve Romanenſibus praebere videntur, nihil ad hanc cauſam ſpectant: nam locus a multis utriusqve partis viris hebraice doctiſſimis multo aliter & melius ex habraeo vertitur, qvam ab interprete vulgato; & Salomonis mens non alia eſt eo loco, qvam *ex eventis externis* Dei amorem odiumve certo cognoſci non poſſe. Qvod ingenue agnoſcunt etiam qvidam Romanenſes doctiſſimi, Arias Montanus aliiqve, qvos nihil neceſſe eſt commemorare. Vnde Alph. de Caſtro, cum in prima edit. operis adverſus Haereſes lib. 7. ex hoc loco firmiſſimum argumentum duci poſſe putaſſet, ultima tamen *errorem revocavit*, & hunc Salomonis ſenſum candide agnovit eſſe: *Nemo aliqvid*

aliqvid horum (sitne electus, an non) *scire potest ex consideratione rerum externarum, sive prosperae sive adversae sint, qvia haec omnia possunt justo perinde ac peccatori contingere.* Et paulo post: *Rejecto primo illo testimonio propterea, qvod dubium est, & non convenit inter omnes de sensu illius, oportet aliunde capiamus testimonia.* Florentius Volusenus de Animi tranqvillitate pag. 388. ait: *Locum Salom. 9. referendum arbitror ad casus hujus vitae: qvod praesenti fortunae non sit confidendum, eo qvod nesciamus, qvid superventura pariat dies; certe absolute vix accipi potest, eo qvod nemo nostrum non novit, aut saltem noscere debet, se esse odio dignum.* Verba etiam illa (qvae tam solicite, immo jactanter a Bellarmino aliisqve urgentur) Ecclesiastici 5. 5. juxta veterum versionem, *De propitiato peccato noli esse sine metu*, nihil probant: aliter enim graece se habent verba, & auctoris sententia alia plane est. Vide Jansen. in locum hunc, & Hist. concil. trid. lib. 2. pag. 345. Forte etiam qvidam alii qvi citantur loci, parum habent roboris, firmiter tamen id probant multi alii, qvos, qvi judicio valet, lector facile discernere possit. Pag. 106.) De locis scripturae, qvi contra objiciuntur, legantur controversiarum tractatores & doctissimi scripturarum interpretes. Testimonium *Spiritus*, qvod affirmat apostolus Rom. 8. 16. *testimonium reddere spiritui nostro, qvod simus filii Dei*, (qvo loco maxime nituntur omnes, qvi contrariam sententiam tuentur) est qvidem per se certissimum, & sine

ulla dubitatione credendum, utpote a Spiritu S. qvi est spiritus veritatis, proveniens; nobis tamen istud testimonium non est certitudine fidei compertum, esse a Spiritu sancto: neqve enim Sp. id testatur per verbum aliqvod expressum seu per revelationem, sed tantum id probabilibus conjecturis & signis, vel summum, certitudine qvadam morali nobis est cognitum. Ejusmodi autem testimonium Spiritus sancti, qvo persvadetur viris justis, ipsos esse in gratia Dei, pro majori minorive profectu in vita spirituali, & in studio cultuqve virtutum, magis minusve clarum, datur a Spiritu S. qvi novit optime omnia moderari, & suavissime atqve accomodatissime, pro cujusqve, ut sic loqvamur, merito atqve utilitate, in tempore & oportune disponere ac dispensare. Aliqando enim Spiritus S. testimonium suum probabiliter tantum facit notum homini; aliqvando certum facit certitudine humana & morali; aliqvando etiam, licet rarissime, certitudine fidei divinae, per specialem aliqvam, videlicet ipsius, revelationem, ut recte & solide respondet Pererius disp. 8. in c. 8. ad Rom. Videantur & alii in eundem locum. Plurima *apud Patres* legere est, qvae huic sententiae repugnant. Neqve ullus ex iis locus afferri potest, qvi certitudinem fidei cuiqvam, citra specialem revelationem, efficaciter svadere possit, etsi plurimos admodum consolatorios, praesertim in Cypriano, Ambrosio, Bernardo facile invenias.

2. *Pugnat cum ratione*, (vide pag. 108. 109. 110.)

Minor

Minor enim syllogismi istius, Omnes vere credentes & poenitentiam agentes certi sunt, & qvidem certitudine fidei, de peccatorum suorum remissione & gratia Dei. Sed ego vere credo, &c. Ergo. minor, inqvam, nemini fidelium, qvantamcunqve certitudinem habeat, citra revelationem specialem (qvae non nisi pauciss imis, omnibus seculis, sapientissimo Dei consilio indulta est) aeqve certa est, atqve major, ut qvae expressum Dei verbum est. Vnicuiqve enim fidelium in scripturis commendatur magna solicitudo & cura qvotidie seipsum probandi, & magis magisqve serio examinandi, an vere & sicut oportet credat, resipiscat, &c. Concluso autem partem debiliorem semper seqvitur.

Pag.107.) 3. *Pugnat cum communi fidelium sensu & experientia.* Ecqvis enim fidelium ausit dicere, sibi tam certo constare, se esse in gratia, qvam qvod Deus sit unus & trinus, vel Christus deus & homo? De fidei articulis nefas est dubitare: dubitatio enim infidelem vel haereticum facit; mille potius mortes in eorum testimonium oppetendae sunt. Illud autem, qvod ego vel ille in gratia sit, in hoc certitudinis gradu certum non est, neqve etiam esse potest. Immo audacter provoco ad ipsorum acerrimorum hujus sententiae assertorum conscientias, an hoc fidei divinae certitudine de se ipsi in particulari credere se audeant dicere, secus nullam sibi in Dei gratia & regno partem in aeternum optare. Audacissime sane M. Bucerus, vir alioqvi doctissimus, & qvidem

dem omnium Protestantium nomine, illud in Colloq. ratisb. 2. p. 463. effutiit: *Nostra est confessio, christianum hominem non esse, qui non eadem fidei certitudine credat, & Christum esse filium Dei, & se per eum percepturum esse vitam aeternam.*

4. Sententia etiam haec pias mentes non tam solatur, qvod arbitrantur illi, qvi mordicus eam propugnant, qvam misere *saepenumero cruciat & torqvet.* Qvando enim hanc fidei certitudinem, qvae ex lege communi non est possibilis, in se ipsi non inveniunt, neqve etiam invenire possunt, nihil tamen vehementius urgere audiunt multos indoctos & imperitos animarum medicos, incredibiles inde dolores & cruciatus in optimis mentibus saepe nascuntur, ut tristis qvotidie testatur experientia. Merito igitur haec sententia non paucis nec obscuri nominis Protestantibus aliisqve improbatur, ut in seqventibus apparebit.

Jac. Arminius in declaratione sententiae suae, hac de re sic loqvitur: *Qantum ad certitudinem salutis, statuo, eum, qvi credit in Jesum Christum, tam ex actione Spiritus S. intus ipsum agentis, & fructibus fidei, qvam ex propria sua conscientia & testimonio Spiritus, una cum ea testante,* certum persvasumqve posse esse, atqve etiam reipsa certum esse, *si cor suum se non condemnet, filium se esse Dei, & in gratia Jesu Christi stare; qvin immo cum certa fiducia gratiae Dei & misericordiae in Christo, ex hac vita migrare posse, & coram tribunali gratiae comparere, citra anxium timorem, & terribilem metum;* semper tamen orare debere, *ut Dominus secum non ingrediatur in judi-*

judicium. Sed cum Dominus major sit corde nostro, & omnium conscius, homoq; se ipsum non judicet, quin immo etiam, quamvis nullius sibi ipsi conscius, in hoc tamen non justificetur, sed Deus sit, qui ipsum judicet, hanc certitudinem non audeo tanti facere, *quanti est illa certitudo, qua scimus, Deum esse, & quod Christus sit salvator mundi.* Pag.108.)

Theologi M. Britanniae in suffragio suo de qvinto articulo, th. 30. licet loqvantur de perseverantiae fidelium certitudine qvoad nos, haec habent verba, qvae non minus contra certitudinem fidei de praesenti justitia militant: *Prima debilitas oritur ex ipsa fundamentali hujus personalis fiduciae dependentia, qvae infra fidei dogmaticae certitudinem videtur subsidere, assensum qvippe nostrum afficiunt fidei catholicae articuli, ut principia immediata ac prima; fidei autem specialis veritas non inde deducitur, ut qviddam necessario consequens, sed tamen subjungitur per modum assumtionis.* Ergo illius, qvae hanc persvasionem facit, conclusionis non potest esse firmitudo major, qvam qvæ praemissarum debiliori inest. (pag.106.) *Subsumtio autem illa experimentabilibus nititur judiciis per privatam hominis conscientiam pensitatis, qvae cum nonnunqvam in dubium vocentur, an sint signa genuina,* &c. Haec illi vi veritatis coacti: nam thes. 4. de hujusmodi certitudine verae fidei, cui falsum subesse non potest, actum esse volunt. Franciscus Whiteus, episcopus nunc norwicensis, in suo de Controversiis opere contra Fisherum jesuitam de certitudine salutis p. 166. ita scribit: *Particularis cer-*

titudo remissionis peccatorum, qvam justi ex respi-scentia & fide obtinent, in assensus firmitudine minime aeqvalis est certitudini, qvam circa commune fidei objectum, videlicet de articulis de Creatione, Trinitate, &c. habent, *qvia articuli hi immediate & totaliter in S. scriptura revelati sunt, sed qvod huic vel illi pœnitenti peccata sua remissa sint, illud ex argumento pendet, cujus pars una tantum immediate Dei verbum est, altera autem collectio ex reflexione mentis supra suum actum, & diligente ac solicita suarum virtutum & actionum observatione exsurgens. Unde conclusio magis minusve secundum assumptionis conditionem, certa est.* Citat in margine Bannesium in 2. 2. q. 8. art. 2. concl. un. p. 235, cujus verba probat, & B. Medinam in 1. 2. q. 112. art. 5. ego vero brevitatis studio verba ab illo notata omitto. Pag. 109.)

Qvod proxime subjungit, *certitudinem hanc fidelium de sua praesenti justificatione vel justitia, a Protestantibus ad fidei certitudinem reduci, qvia partim innititur propositioni seu sententiae immediate divinae, partim propositioni, qvae ex ea, qvae divina est, infertur & colligitur: regulam enim, per qvam qvispiam se credere & respiscere dignoscit, esse Dei verbum, qvo fidei & respiscentiae conditio seu qvalitas explicatur*, nae id frivolum est: nam tota qvaestio est de certitudine applicationis regulae, illiusqve gradu, qvam ille jam concessit certitudini fidei divinae non esse aeqvalem. Vnde tandem agnoscit, dissensionem hac de re inter qvosdam doctos Romanenses, qvi etiam post

Conc.

Conc. trid. vixere, & Protestantes, *exiguí tantum esse momenti*, (p. III.) si modo ulla sit omnino dissensio; nominatqve in marginali A. Vegam, Tapperum, Pererium, Eisengren. & alios. R. Montacutius, episcopus nunc, nisi fallor, cicestrien-sis, in libro, qvem vocat *Appello Caesarem* c. 14. acriter contendit contra Puritanos, suos adversarios, Ecclesiam anglicanam minime docere aut tenere talem absolutam salutis certitudinem in justis, qvalem de aliis fidei objectis expresse & directe per Deum revelatis habent. Probat etiam illorum eruditorum Romanensium (qvorum Fr. Whiteus, per qvem liber approbatus, proxime meminit) sententiam p. 212. 213. Deniqve sic Puritanos ironice compellans, inqvit: *Sed vos forte ex meliori luto ficti homines*, non tantum omnia, qvae ad praesentem justitiam spectant aeqve certo cognita & perspecta habetis, *atqve, J. Christum in cœlis esse, sed & &c.* Robertus Abbotus, episcopus nuper sarisburiensis, in sua Defensione perkinsiani Catholici reformati contra Bishopum, parte I. p. 285. concedit, *vulgus fidelium, non ita certo & infallibiliter suam in particulari salutem credere, ut ab omni formidine contrarii & dubitatione liberi sint, hac ratione addita:* Qvia conclusiones, qvae ex principiis & immediatis Dei verbis ad nos ipsos de salute nostra derivantur, se ipsis ignotae sunt, *& qvicqvid habent lucis, a principiis tantum id habent; proinde non adeo firma fide vel assensu apprehendi, ut principia ipsa, hominibus forte dubitantibus,*

ne in principiorum applicatione & usu aliqvid admiserint vel admittant erroris. Pag. 110.) Qvod qvid aliud re ipsa est, lector, qvicqvid verbo vel ille vel alii etiam contradicant, qvam *certitudinem minoris, ac proinde conclusionis etiam illius supra formati syllogismi, non esse aeqvalem certitudini majoris*, qvae fide divina & firmissima creditur, qvia immediatum Dei verbum est, & communem maximaeqve fidelium partis sensum id ipsum clarissime testari? Vide etiam, lector, qvia brevitati studeo, I. Whiteum, Franciſci supra nominati fratrem, in sua Defensione viae ad veram ecclesiam cap. 16. n. 2. p. 136. & n. 4. p. 140. 141. ubi post multa admodum perplexe & intricate dicta, sententiam Vegae aliorumqve supra laudatorum admittere videtur, & hanc privatam fidelium de sua salute persuasionem esse qvidem effectum fidei vult, & mordicus defendit, *non tamen aeqve certo & firmiter hoc fide apprehendi, atqve ea, qvae immediate revelata & expresse in Dei verbo scripta sunt.*

Vorstius in suo Antibellarmino, multum a multis Protestantibus qvondam laudato, p. 613. & 647. *In hac autem parte*, inqvit, scil. de certitudine praesentis justitiae, *primum merito conqveruntur Evangelici, statum qvaestionis non satis fideliter ab adversariis explicari solere. Non enim absolutam ejusmodi certitudinem, qvalis est in historica fide, sed* fiducialem persvasionem *cum perpetua illa inqvietudine & dubitatione animi pugnantem, homini fideli attribuimus: licet hanc persuasionem multo certiorem*

tiorem esse statuamus, qvam ut conjecturalis tantum aut moralis dici debeat; qvum non ex obscuris signis, aut frivolis conjecturis, neq; ex incerta aliorum hominum attestatione, sed ex interiori animi nostri sensu, seu potius arcano Spiritus S. testimonio, & apertissimis gratiae promissionibus oriatur, eoqve conscientiam plane securam efficiat. Pro hac igitur sententia (qvae tantam propriae justitiae certitudinem homini fideli attribuit, qvanta ad conscientiam coram Deo tranqvillandam & perpetuam dubitationem excludendam sufficit) *haec fere argumenta nostri afferunt.* Haec ille, paulo mollius & melius, qvam multi alii, sententiam Protestantium explicans.

Pag. III.) Archiep. spalat. de Rep. Eccles. l. 7. c. 11. n. 223. *Fides nostra est* circa thesin & hypothetice, *h. e. dari remissionem peccatorum a Deo, si qvis vere poeniteat, eaqve agat, qvae ab illo Deus reqvirit, ut eum justificet, & in hoc neminem fidelem haesitare debere, certo scio; sicut neqve in debita fiducia debet haesitare, qvi plurimum confidat sibi dimitti peccata, etiam in hypothesi, a divina misericordia, ubi confidat etiam merito, se esse vere poenitentem, sed tamen* in hypothesi & absolute *fide posse qvenqvam aut debere credere,* sibi esse remissa peccata, *non video qvicqvam, qvod cogat. Video qvidem multa, qvae magnam ingerant probabilitatem de praesentia gratiae & justificationis, immo & moralem certitudinem per gravissimas & vehementissimas conjecturas; interim tamen non pauca qvoqve suppetunt ordinarie omnibus, (si secludas privatas, speciales ac certas revelatio-*

lationes) *ex qvibus metus qvoqve & formido propriae salutis exsurgat, non circa thesin, qvae certa est & fide notissima, sed circa hypothesin: unde enim certa fide divina mihi constat*, me esse verum poenitentem, meam esse vivam fidem & non mortuam, me nullo occulto peccato coram Deo adhuc premi? Ps.18. vel 19.13. *qvis certa fide novit*, se perseveraturū & non amplius irremediabiliter lapsurum? *qvem casus Saulis non terret & Salomonis, & similes? cur dicitur cuiqve fideli: Cum metu & tremore salutem operamini.* Phil. 2.12. Et post haec: *Sinant ergo isti* (Protestantes) *nos* (Romanenses) *objecta hac fidei certitudine*, ex morali certitudine *consolationem sumere*, & ex debito ac sancto metu cautius coram Deo ambulare; *ipsi vero modo* caveant a nimia praesumtione, & inde se oscitantiae non tradant. *Abundent in sensu suo, nec inde* (vide p. 109.) *alteri alteros damnent.* Et inferius: *Viderint ipsi interim: nos qvoqve videamus, ut salvemus Pauli dictum valde consolatorium:* Spiritus Dei testimonium reddit spiritui nostro, qvod sumus filii Dei. Rom. 8.16. *Sed ad hoc necessaria est discretio spirituum.* Haec hujus viri in controversiis hodiernis exercitatissimi, & concordiae inter partes studiosissimi, sententia fuit.

Sed ut hanc fortasse multis nimis molestam diatribam tandem concludamus, 1. *Infirmis & pavidis conscientiis*, qvae cum gravi & anxia dubitatione saepe luctantur, qvae etiam dubitatio, ex propriae infirmitatis & imperfectionis justitiae intuitu nata, virorum sanctissimorum mentes non raro exercet, utrinqve, praesertim morte immi-

imminente, ab omnibus fidelibus pastoribus *occurratur*, & tales sedulo admoneantur, ut hujusmodi dubitationibus dulcissimas evangelii promissiones fortiter opponant, & fidem atqve fiduciam sibi augeri instanter orent. Hoc Romanenses ipsi solenniter se & facere & fieri ab omnibus pastoribus jubere protestantur, & gravissimam sibi injuriam a rigidioribus Protestantibus fieri conqveruntur, qvando illi eis impingunt, *qvod doceant & jubeant* (vid. p. 95.) *homines de Dei gratia & salute semper dubitare*, ideoq; provocant ad sua ipsorum scripta, & ad qvotidianam praxin. Pag. 112.) Vide Cassandri Consult. art. 4. de Justif. p. 913. 915. *Neqve etiam illa summi gradus certitudo seu fidei divinae plerophoria nimis importune urgeatur, nec a fidelibus qvasi praecise necessaria exigatur*, (utinam moralem illam certitudinem, de qva pag. 95. dictum, asseqvi possent omnes!) 1. ne pavidae conscientiae inde magis paveant. 2. ne timor Dei, etiam filialis, piorum animis excutiatur, aut saltem minuatur, & carnis securitas alatur, beneqve operandi studium remittatur. Vide Cassandrum pag. 906. Solicite studeant omnes utriusqve partis, suam de praesenti justitia & Dei gratia persvasionem, qvantacunq; illa sit, *per bona opera magis magisq; certam & firmam facere*, ut monet apostolus Petrus 2. ep. 1. 10. *Qvantum* enim *crescis in gratia, tantum & in fiducia dilataris*, inqvit Bernh. serm. 3. in Cantica. Deniqve a nimis curiosa & scrupulosa de hujus certitudinis gradu & mensura *disputatione*, maxime autem ab omni temera-

meraria & audaci cum aliorum *dissentientium damnatione* conjuncta *definitione*, utriusqve partis theologi abstineant. Atqve haec de hac controversia satis sint.

CAPUT. III.

De certitudine praedestinationis & finalis in fide & justitia perseverantiae: & simul, an fides & justitia semel habita amitti possint?

NIhil certius, qvam certitudinem praedestinationis sive electionis ad gloriam, sine certitudine finalis perseverantiae, ab homine vere fideli haberi non posse, ut omnibus constat. Cum autem de hac absoluta certitudo hic nec habeatur, neqve etiam sine speciali revelatione haberi possit, ut jam dicturi sumus, certe necessario inde efficitur, *neqve etiam illius certitudinem absolutam, & fidei, haberi posse.*

Sententia M. Buceri in Colloq. ratisb. de qva etiam p.166. nonnihil dictum, Pag. 113.) *christianum hominem non esse, qvi non eadem fidei certitudine credat*, &c. aliorumqve multorum & magni nominis Protestantium, sed in hac causa plus aeqvo rigidorum, nec cum clarissimis scripturae testimoniis, nec cum Patrum sententiis congruit. Consulantur, qvi controversias hodiernas fusius tractant. Vttamen aliqvid dicamus, qvid clarius illis B. Augustini lib. de Correptione & gratia

gratia cap. 13. *Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero praedestinatorum se esse praesumat, quia id occultari opus est in hoc loco, ubi cavenda est elatio?* Et de Bono perseverantiae l. 2. cap. 13. *Ad quam vocationem*, &c. ut & 22. & lib. 11. de Civ. Dei c. 12. *Licet sancti de suae perseverantiae praemio certi sint, de ipsa tamen perseverantia sua reperiuntur incerti. Quis enim hominum se in actione, profectuque justitiae perseveraturum usque in finem sciat, nisi aliqua revelatione ab illo fiat certus, qui de hac re juste latentique judicio non omnes instruit, sed neminem fallit?* Et in plurimis aliis Augustini locis eadem legere est. Vide & Prosperum in Resp. ad obj. vincentian. resp. ad duodecimam, & auctorem de vocatione gentium lib. 2. c. ultimo. Et, ut alios antiquiores omittam, Bernard. serm. 1. de Septuages. ait: p. 22. *Quis potest dicere, ego de electis sum? Certitudinem utique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur. Propter hoc data sunt signa quaedam & indicia manifesta salutis, ut indubitabile sit, eum esse de numero electorum, in quo ea signa permanserint. Propter hoc, inquam*, quos praescivit Deus, & praedestinavit conformes fieri imagini filii sui, *ut, quibus certitudinem negat causa solicitudinis, vel fiduciam praestet gratia consolationis. Hoc enim est, unde semper soliciti*, & in timore & tremore humiliemur necesse est sub potenti manu Dei, *quoniam quales simus, nosse possumus vel ex parte; quales autem futuri simus, id nosse penitus nobis impossibile est. Itaque*

qui

qui stat, videat ne cadat: & in forma, quae salutis indicium est, & argumentum praedestinationis, perseveret atque proficiat. Vide eundem epist. 107. Hunc autorem in controversia de Justif. Protestantes, etiam rigidiores, inprimis laudare solent. Quae autem ad haec a contra sentientibus responderi solent, nimis frivola sunt, & a Patrum mente omnino aliena, immo plane contraria. Audeo provocare ad judicium cujuslibet lectoris, in qvo vel uncia est judicii liberi & non affectui mancipati.

Pag. 114.) De finali fidelium perseverantia plurimi, etiam doctissimi Protestantes contra alios gregales suos sic statuunt, qvod vere fideles, si in timore & cum pia solicitudine pergant salutem operari, de continuo divinae gratiae auxilio in ista operatione, & ex eodem de sua finali in fide & gratia perseverantia certi esse possint ac debeant, nisiipsi sibi desint: penes Deum certe, qvo minus perseverent, non staturum; sed *absolutam certitudinem* fidelibus, se officio suo in posterum nunqvam defuturos, sed in fide viva & per charitatem efficaci, ut fideles decet, in hac militiae christianae schola semper perseveraturos, uspiam in scirpturis promissam esse negant. Immo nec necessarium nec utile fuisse, ut promitteretur, e contrario ut non promitteretur, utilissimum affirmant. Hanc sententiam tuentur, ut constat, Lutherani omnes, & qvi in Foederato Belgio Remonstrantes vocantur, aliiqve & alibi doctissimi Protestantes, ut jam dicemus. Maxi-

ma

ma enim animorum & calamorum contentione de hac qvaestione inter Protestantes etiam ipsos semper certatum fuit, atqve etiamnum certatur. Existimant enim Protestantes ante nominati, fidem justificantem & gratiam regenerantem non esse electorum propriam, sed aliis qvoqve multis vocatis, immo omnibus infantibus baptizatis, non κατὰ δόκησιν tantum, nec solum sacramento tenus, qvemadmodum diversum sentientes respondent, sed vere etiam contingere; qvi tamen a fide & gratia justificante excidere possunt, immo non raro excidere solent, cum totaliter, tum finaliter. Mitissime & mollissime G. J. Vossius, Patrum, qvi de aliqvorum fidelium & justorum defectione loqvuntur, sententiam exponens, ita inqvit in praefatione Hist. de controversiis pelagianis: *Vnde consequitur, non aliud eos* (Patres scilicet) *voluisse, qvam* primordia *qvidem* verae fidei & christianae spei ac charitatis communia esse electis ac reprobis, *& qvamdiu electus in initiis istis, &, ut ita dicam, inter atria adhuc haeret, de electione sui certum non esse, cum non desint, qvi ab eo fidei gradu resiliant, nec redeant; decidant, nec resurgant.* Aliqvanto plenius Augustinus de Corrept. & grat. cap. 13. *Credendum est, qvosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usqve in finem in fide, qvae per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliqvandiu fideliter & juste vivere, & postea cadere: neqve de hac vita, priusqvam hoc eis contingat, auferri.* Atqve hanc suam sententiam plurimis S. scripturae locis, Patrum testimoniis,

Augustini etiam ipsius, &, qvi eum secutus est, Prosperi, qvi praedestinationem absolutam defenderunt, variis etiam rationibus confirmant. Pag.115.) Existimant etiam, ipsos electos justificatos, lapsos in gravia & atrocia peccata & crimina conscientiam vastantia, ut adulterium, homicidium, idololatriam, abnegationem Christi, a fide viva & justificante posse ad tempus deficere, & re ipsa interdum deficere qvodammodo, & fere totaliter, licet non finaliter. *Dixi qvodammodo & fere totaliter*; qvia sic se intelligi volunt, etiam qvi hanc sententiam acerrime propugnant, Rich. Thomsonus, anglus, in diatriba de Amissione gratiae & justificat. cap. 9. pag. 48. & 49. ait: *Cum dicimus, electum justificatum excidere a fide & justificatione, non ita intelligendi sumus, qvasi statuamus*, ipsum fidei habitum, aut omnes fidei effectus simul auferri. Et paulo post: *Nemo sane nostrorum sic insanivit unqvam. Exempla enim ecclesiarum initio Apocal. plane contrarium evincunt*, Apoc. 3. 2. Esto vigilans, & confirma caetera, qvae moritura erant. *Et 1. Joh. 3. 9. diserte dicitur*, semen Dei in illis manere, ideoqve non posse peccare, *scil. ad mortem, i. e. finaliter, ut post veteres aliqvot, etiam nostrorum qvidam recte exposuerunt: Spiritus S. enim certo excitaturus est semen Dei ad salutarem poenitentiam, cui illud sevit:* Est, *inqvit Cyprianus epist. 52.* in illis, qvod poenitentia seqvente revalescat. *Non itaqve hoc est, qvod docemus, sed dicimus*, fidem qvoad actum illum vivum, qvo justificat, delinqvere, & justificationem interrumpi,

dones

donec homo lapsus, per poenitentiam ad gratiae thronum confugiens veniam & pacem impetret. In eandem sententiam eruditissimus Vossius Hist. pelag. lib. 6. thes. 13. pag. 596. *Cum vero* justificantem fidem deficere posse, & reipsa interdum deficere *Patres docent, intelligunt hoc* ratione actuum, *qui e potentia sive habitu fidei emanant: nam potentiam hanc, quam dicere possumus* semen fidei actualis, *haud plane tolli, saltem in electis, minime diffitentur, sed otiosam fidei aut charitatis potentiã,* fidei *aut* charitatis *nomine haud dignantur eo, quod talis non sufficiat ad salutem. Unde optime Mart. Cellarius, sive Borrhaus lib. de Operibus Dei:* Fidei virtus non jacet iners, non langvet, non friget, sed negotiosa est, fervet ac calet, & omnes venas cordis, calore lucis suae penetrat. *Et Gregor. homil. 30. habitâ die festo pentecostes:* Nunqvam est Dei amor otiosus: operatur enim magna, si est; si vero operari renuit, amor non est. Pag. 116.) Digna proinde sunt illo eqvidem Thomsoni loco citato verba, circa finem capitis: *Est autem hoc loco notanda & diligenter attendenda* summa Dei in electos suos benignitas & misericordia, qvod ex eorum animis habitum hunc fidei effluere nunqvam sinit. *Cum enim in fidei actum non, nisi mediante & cooperante cum Spiritus sancti gratia,* (male R. Abbotus in sua Animadversione in hanc Thomsoni diatribam cap. 9. pag. 239. legit, typographi errore non observato, *cooperante cum Spiritu sancto gratia*, & ex eo in auctorem inaniter insurgit) *voluntate nostra, prorumpamus, qvo svavius, promptius,*

ptius, citius mens interne sese exerat, & in Deum feratur, ejusdem Spiritus beneficio & initio datus est habitus ille, & postea diligenter in cordibus electorum conservatur, ut, si qvando labantur, & a Deo recedant, facilius revocentur ad poenitentiam; *qvod in Davide & Petro manifestissime videre est,* qvorum ille inaudita tantum concione Nathanis, hic galli cantu aut potius suavissimo Christi aspectu ad poenitentiâ conversus est. Idem legere est apud Vossium, l. supra citato pag. 597. scribentem: *Qvod vero dicebamus,* potentiam sive habitum fidei non plane extingui, etiam cum fides renuit operari, eoqve salvifica noneſt, *id mire ob oculos ponit immensam Dei bonitatem. &c.* Imo contendit idem Vossius, *multos Patrum agnovisse qvendam fidei ac pietatis gradum,* ad qvem ubi qvis adscenderit, excidat nunqvam, atqve etiam de aeterna sui electione sit certus; (illius verba sunt in epist. ad lectorem, Hist. pelagianae praemissa) de qvo tamen multi alii vehementer dubitant, an citra specialem revelationem id fieri possit: fuse interim ille id multis Patrum sententiis adductis confirmare nititur l. 6. thes. 13. pag. 606. *Talium* fides, inqviens, confirmata *dicitur seu* roborata, *sive, ut vulgo appellant,* radicata; *qvalis non solum Apostolorum erat, postqvam miraculose Spiritum sanctum acceperant, sed & olim multorum sanctorum fuit, & nunc est, in qvibus fidei donum paulatim precibus ac crebris actibus piis ita est auctum, ut tandem fidelem reddiderit stabilem ac insuperabilem.*

Negant

Pag. 117.) Negant autem omnes omnino cum Protestantes, tum Romanenses, qvamcunqve de praedestinatione sententiam tueantur, *electorum fidem & justitiam*, utcunqve ad tempus deficiat seu amittatur, *finaliter amitti posse*, ut constat. Siqvidem impossibile est, praedestinatum seu electum posse a gratia finaliter excidere, & ex electo reprobum fieri: manifestam enim contradictionem implicat. Hanc sententiam de fidei & gratiae justificantis amissibilitate, ratione praedicta, defendunt, ut dixi, omnes Lutherani, qvorum innumeri paene tractatus & disputationes hac de re extant. Inter & post alios nuper An. 1620. oppositit Barth. Battus, S. theol. professor in acad. gryphisvaldensi, librum super hoc argumento libello Sebast. Benefeeldi, S. theol. professoris in acad. oxoniensi: (lege, lector, si ita tibi visum fuerit) Ph. Melanchthon, *communis Germaniae praeceptor* olim a Protestantibus habitus & appellatus, cum suis seqvacibus, viris doctissimis, & in multis moderatissimis, & Remonstrantes omnes in Belgio Fœderato sic nuncupati, qvi plurima hac de re scripta ediderunt. Hugo Grotius, vir omni & varia eruditione praeditus, in Pietate Ordinum Hollandiae, pag. 24. 25. & in Disqvisitione, An pelagiana sint ea dogmata, qvae nunc sub eo nomine traducuntur? Paris. excusa A. 1622. pag. 123. & seqq. aliqvot. Ger. Jo. Vossius, vir in Patrum lectione versatissimus, ex iisdem idem fuse demonstrat Hist. pelag. lib. 6. thesi 11, 12, & 13. im-

mo in confirmatione theseos 12. pag. 587. haec habet verba: *Communem fuisse* antiqvitatis sententiam, *qvam diximus, soli hodie negare possunt, qvi caetera fortasse viri sunt non ineruditi, sed in antiqvitate tamen plane sunt hospites, vel animum habent unius & alterius sententiis ita mancipatum, ut eorum oculis videre malint, qvam suis, cumqve iis errare praeoptent, qvam cum aliis bene sentire.* Ex Patribus idem prolixe ostendit J. Corvinus Antibogermanni parte 2. cap. 18. & 19. & ex multorum Protestantium scriptis cap. 21. Videatur etiam Petrus Baro, gallus, S. theol. qvondam prof. in acad. cantabrigiensi doctissimus, aliiqve cum illo sentientes contra Whitakerum, & huic ὁμοψηφους, ut ex assertionibus lambethanis constat, de qvibus historicam narrationem apud Corvinum lib. supra citato cap. 24. pag. 566. & seqq. Pag. 118.) vide, multo certiorem illa, qvam Antonius Thysius nonnullis scriptis anglicanis a se nuper editis praefixit. In Colloqvio hamptoniensi an. 1603. coram Jacobo VI. M. Brit. Rege, Joh. Overallus, theologus eximius, tunc temporis decanus aedis paulinae, & episcopus nuper norwicensis, aperte defendit, qvod & saepe antea in academia cantabrigiensi contra rigidiores adstruxerat: *Justificatum, si in peccata graviora incidat, antequam pœnitentiam agat,* qvoad praesentem conditionem in statu esse damnationis, *hoc tamen adjiciens, qvod vocati & justificati secundum propositum divinae electionis, licet in gravia peccata incidere possint, & reipsa interdum incidant, atqve*

que sic in praesentem statum irae & damnationis, nunqvam tamen excidant, aut totaliter ab omnibus Dei donis, *ita ut omnis gratiae etiam semen in illis plane tollatur*, aut finaliter a justificatione, *sed qvod semper per Dei spiritum mature ad fidem vivam & pœnitentiam renoventur, atqve sic ab illis peccatis, eorumqve, in qvae lapsi fuerant, reatu justificentur.* Addit Gul. Barlous, qvi ejus conventus historiam scripsit, *contrariam sententiam*, qvae statuit, semel justificatum, etiamsi in graviora peccata labatur, justificatum tamen manere, anteqvam de iisdem pœnitentiam agat, *Regis ipsius ore gravissime reprehensam & damnatam fuisse*, vide Hist. conventus p. 41. &c.

Rich. Thomsonus, vir multis literarum nominibus non immerito commendatus, testante etiam adversario, de qvo jam dicemus, diatribam de Amissione & intermissione gratiae & justificationis scripsit, excus. Lugduni Bat. A. 1618. in qvam mox emisit Rob. Abbotus, episcopus nuper Sarisburiensis, vir etiam doctissimus, Animadversionem brevem: sed de illius soliditate judicet aeqvus lector. Qvalia enim sunt ista, obsecro, qvae scribit in fine cap. 22? *Verissimum est, mansisse Davidem in morte, i. e. in reatu mortis, qvousqve mansit in homicidio, nec habuisse vitam aeternam in se manentem, qvia fidei, per qvam manet in nobis vita aeterna, virtutem & actum infregerat, & excidisse quidem a justificatione qvoad effectum, non qvoad rem, privandum qvoqve reipsa, nisi qvod cœlesti generatione conservatus & fideli pœnitentia restitutus*

tutus est. Et qvod cap. 24. Davidem integro fere anno, qvo nondum resipuerat, affirmat, *non secundum hoc peccatum justificatum, & tamen simpliciter qvoad personam justificatum*, futurum tamen ab hac justificatione recidivum, nisi ab hoc qvoqve peccato justificatus fuisset: Pag. 119.) Davidem enim perituram fuisse, (qvod etiam ante illum dixit Beza in Colloq. mompelg. parte 2. p. 74.) si ante pœnitentiam mortuus fuisset pag. 215. Qvam asystata haec sint, vel saltem aenigmatica, qvis non videt? Multa alia hujusmodi perplexissima & intricatissima dicta, ex R. Abboti libro desumta, legere est in Suffragio theologorum britannorum de articulo 5. thesi 3. 4. 5. 6. Qvod enim aiunt, *effectum justificationis interveniente particulari tali peccato ad tempus suspendi, statum tamen justificationis non intercidi*, nae id omnino frivolum est; siqvidem, licet omnium peccatorum praecedentium veniam Deus peccatori pœnitenti indulserit, si tamen is in reatum peccati alicujus gravioris & conscientiam vastantis postea lapsus fuerit, nec actu resipuerit, omnis illa primum concessa remissio ad salutem aeternam conseqvendam nihil prorsus confert: *sufficit* enim *vel unum peccatum atrox admissum & cognitum, ad hominem, qvem nondum ejus serio pœnitet, a regno cœlorum excludendum.* R. Montacutius in lib. qvem de qvibusdam controversis articulis contra romanensem anonymum scripsit, cap. 20. & in suo *Appello Caesarem* parte 1. cap. 4. multa affert, huic sententiae firmandae, & acri-

& acriter contra Puritanos contendit, hanc fuisse communem Patrum sententiam, doctissimosqve in Ecclesia anglicana theologos eidem semper assensos, atqve etiamnum assentiri. Hunc librum, ut constat, approbavit Fr. Whiteus, episcopus nunc norwicensis. Videatur etiam Th. Jacksonus de Fide justificante sect. 2. cap. 8. edit. 1. p. 257.

Doctissimus Casaubonus eandem probavit sententiâ, ut patet ex illius epist. ad Petrum Bertium scripta an. 1611. qvam lege in principio bertiani libri super hoc argumento scripti, cui tit. Hymen Desertor. *Tua*, inqvit, *qvaestio*, (haec scilicet, de qva nunc agitur) *pendet ex alia, vel aliis potius, de qvibus video, nostros contraria docere antiqvis Patribus.* Ridicule faciunt, qvi hoc negant. Ibidem etiam librum R. Thomsoni, viri, ut inqvit, doctissimi & sibi amicissimi, ejusdem argumenti cum bertiano, nominat & laudat. Qvae ex P. Martyris commentario in epist. ad Rom. cap. 7. 15. & cap. 8. 9. citari possent, breviatis causa omitto. Pag. 120.) Illa etiam, qvae Wolfgangus Musculus hac de re habet in Locis comm. tit. de Peccato pag. 40. & tit. de Remiss. peccatorum, pag. 63. praetereo. Ipse per se lector visat loca signata. Mitto etiam illa, qvae legere est tom. 1. Operum Z. Vrsini loco de Peccato, edit. heidelberg. pag. 613. 614. 615. ubi *peccatum regnans* i. e. ut explicat, errorem contra articulos fidei fundamentales, aut peccatum contra conscientiam, excludens ex corde fiduciam remissionis peccatorum, &

obnoxium faciens peccantem morti aeternae, nisi in hac vita fiat conversio, *in ipsos etiam electos aliqvando cadere affirmat*, & fuse probat, atqve ad contraria obiectamenta respondet cap. 8. Pareus super hac controversia acriter cum Bellarm. dimicans lib. 3. de Justif. cap. 14. saepe respondet, Protestantes non negare, *fidem in lapsibus sanctorum*, ut Davidis, &c. *amitti qvoad actum, manere tamen semper qvoad habitum*, seu, ut vocant, qvoad semen fidei. Sed an otiosus fidei habitus vel semen in electis lapsis manens, justificet & ad salutem sufficiat, nec ne, dicat idem Pareus eopse loco, pag. 872. Nam contra Bellarminum differens hac de re, de Amiss. gratiae lib. 1. cap. 7. pag. 74. haec habet verba: *Vt rectius intelligat lector, qvatenus fides justificet, maneat vel amittatur lapsibus sanctorum, dico, fidem esse habitum, cujus actus proprius est, ex misericordia Dei accipere remissionem peccatorum, propter Christum.* Justificat *igitur* fides, non qva habitus, *habitualiter*, sed qva actus, *actualiter remissionem peccatorum accipiens. In sanctis lapsis manet, nec omnino evanescit fides, qva habitus. Nullus enim habitus uno vel altero actu contrario penitus amittitur, qvod nullus sophista negaverit. Non manet vero, sed* evanescit, qva actus accipiens justitiam evangelii: *sancti enim lapsi donec per resipiscentiam se ad Dei misericordiam erigant, non spiritus, sed carnis actu exercent.* Tunc igitur fides in lapsis habitualiter tantum manens, proprie justificans dici, aut eos justificare non potest. Haec ille ex doctrina sui praeceptoris Vrsini hauserat.

Sed

Pag. 121.) Sed ut hanc controversiam tandem concludamus, Archiep. spalat. de Rep. Eccl. lib. 7. cap. 11. postqvam ostendit n. 225. & aliqvot seqventibus ex multis scripturae locis, Patrum testimoniis, variis etiam rationibus a Bellarmino adductis (qvibus tamen ipse qvaedam alia adjicit) & optime, ut inqvit, excogitatis, fidei & gratiae justificantis amissibilitatem, n. 231. 232. 233. ne diversum sentientes nimium offenderet, subjicit, sed admodum frigide, neqve etiam sibi aut veritati satis consentanee, oppositam opinionem modernorum multorum habere sua fundamenta non contemnenda; proinde se non oppugnare. Deniqve sic concludit: *Non possum tamen hoc loco non monere, qvod saepius adverti & observavi*, nimios interdum divinae gratiae exaltatores, ut pelagianismum effugiant, in ipsissimum pelagianismum incidere, aut saltem ei non parum appropinqvare. *Liberi arbitrii usum aut tollunt, aut vinculis gratiae undeqvaqve arctant, ita ut electi jam, ne ad peccandum qvidem mortaliter, suo possint prolabi arbitrio. Atqve hoc ipsum Pelagiani contendebant, posse hominem cum divinae gratiae auxilio, omnino nunqvam peccare. In qvo tanqvam gravis erroris ab Hieron. lib. 1. adv. Pelag. pluribus arguuntur. Peccant ergo etiam filii, sed respiscunt, veniam certam obtenturi: sed qvia nemo scit, se esse filium praedestinatum, cum timore & tremore qvisqve debet suam salutem operari.*

Atqve haec de hac qvaestione sufficiant, ad qvam

qvam tamen tollendam vel saltem minuendam hoc paucis adjectum volo. Admittant, qvi in hac causa rigidiores sunt, *etiam multos reprobos*, seu, ut scholae loqvuntur, praescitos, *ad tempus vere credere & justificari, postea tamen a sua fide & justitia*, vel, si ita vis, *fidei & justitiae initiis, penitus & in perpetuum excidere.* Qvod certe verissimum esse, plurima clarissima S. scripturae & Patrum testimonia, atq; etiam multae rationes efficacissimae (de qvibus omnibus alii consulantur) evincunt. Et qvae ad haec responderi solent, inanes tantum sunt argumentorum solidissimorum elusiones, & futiles evasiones. Pag. 122.) Et qvod ad electos justificatos, in gravia peccata lapsos, attinet, si *negant*, illos vel ad tempus aliqvod a fide & gratia justificante *totaliter* deficere, diserte profiteantur, qvod doctiores non negant, se hoc dictum velle, *propter potentiam sive habitum fidei*: qvae potentia in electis haud unqvam plane tollitur, sed ex immensa & impromerita Dei bonitate semper in illis relinqvitur fidei qvasi semen, unde per externum Dei verbum & internam Spiritus sancti cooperationem, salutaris fidei actus facile postea eliciatur; fateri se alioqvi, non otiosum fidei habitum, sed actum fidei vivae illos justificare. Qvi autem *affirmant*, plane & *totaliter* fidem & gratiam justificantem in illis ad tempus tolli, profiteantur itidem, qvod doctiores faciunt, hoc se intelligere tantum *ratione actuum salutarium*, qvi e potentia sive habitu fidei emanant; potentiam enim hanc in electis haud un-

unqvam omnino extingvi agnoscere se, sed otiosam & inefficacem, pro praesenti statu fidei aut charitatis, potentiam, *fidei* aut *charitatis* nomine minime dignari eo, qvod talis ad justitiam & salutem conseqvendam non sufficiat. *Finaliter* autem *electos deficere non posse*, consentiun tomnes, qvi electione describunt vel a priori i. e. ab absoluto qvodam Dei decreto, vel a posteriori, i. e. a finali in fide gratia & perseverantia. Qvare semper in ecclesia dissidentes fuere sententiae, sed non hostiles, & ab omni christiana charitate alienae, ut hodie. Hac moderatione adhibita, lis haec, qvae nunc adeo fervet, & tanta animorum contentione agitatur, si non plane tolli, saltem minui facile poterit. Qva de re judicet lector eruditus, & rerum harum intelligens. Videatur etiam H. Zanchius, in hac causa alioqvi rigidissimus, Epist. l. 2. epist. ad Dav. Chaillettum pag. 85. impress. hanovianae.

CAPUT. IV.

De Inaeqvalitate justitiae fidelium.

DOcent qvidem multi Protestantes, una & eadem Christi justitia fide apprehensa atqve a Deo imputata, omnes vere fideles formaliter, vel qvasi formaliter, ut loqvuntur, coram Deo justificari: Pag. 123.) docent multo plures per fidem, spem, dilectionem, aliasqve virtutes neminem justificari, sed sanctificari tantum credentes & justificatos. Sed de utro-

utroqve errore satis superqve antea nobis dictum est. Nulli tamen omnino Protestantes, fatente ipsomet Bellarmino lib. 3. de Justif. cap. 16. dicunt, *omnes justos inter se pares esse*, neqve esse unum alio majorem, qvod attinet ad ejusmodi virtutes. Qvam enim absurdum esset dogma istud! Potuisset igitur Bellarm. a tam operosa rei minime negatae probatione abstinere, *posse* scilicet *justos in justitia inhaerente crescere*, & unum eatenus alio justiorem esse, licet, ut saepicule dictum antea, perperam permulti Protestantes justitiam inhaerentem non a justificato qvidem, sed tamen ab ipsa justificationis ratione formali procul removeant, *& justitiam* non justificantem, sed *sanctificantem* appellent.

Qvod qvidam Protestantes justitiae inhaerentis inaeqvalitatem haud inficiantes, sed novitatis nimio plus amantes, excipiunt contra rationem Bellarmini l. c. sect. *Denique idem probant*, & sect. *Qvinto pugnant*. aliorumqve huic sententiae firmandae, ductam ab imparitate praemiorum in cœlo, non satis firmam esse, ut P. Martyr in Comment. in 15. cap. 1. ad Cor. qvi etsi protestetur, se nihil certi circa hanc qvaestionem, *an dentur varii in vita aeterna gloriae gradus?* definire, ita tamen eam tractat, ut facile appareat, eum in sententiam negativam propendere. Sic & Schönfeldius, theologus marpurg. & J. Camero, S. theol. in acad. salmurienſi nuper professor, praelect. tom. 2. pag. 325. & multis seq. Immo & Pareus lib. 3. de Justif. cap. 16. pag. 917.

licet

licet affirmantem partem se qvidem facilius, ut probabiliorem, admittere profiteatur, sententiam tamen P. Martyris, id in dubium vocantis, non improbat, sicut oportuit, sed liberum cuiqve hic esse debere judicium, nimis audacter affirmat. Hanc sententiam communiter rejiciunt caeteri omnes Protestantes, nec immerito: adversatur enim sacris literis, qvae, ut alia plurima mittam loca, saepe testantur, Christum in die judicii omnibus pro qvalitate ac qvantitate operum suorum praemia justa pœnasqve condignas assignaturum; pugnat etiam cum Patrum communi consensu, qvod nec ipsi problematici disputatores negare audent: fatetur enim ingenue P. Martyr loco supra citato, qvod Patres omnes praemiorum Pag.124.) discrimina statuerint, & hic error ante multa secula in Joviniano damnatus fuerit; (vide Hieron. lib. 2. contra Jovin.) pugnat etiam cum recta ratione. Sed de tota hac re alii multo fusius agentes consulantur.

Pag. 125.)

Ad librum IV. Bellarmini,

Qvo de Justitia Operum agitur.

CAPUT I.

De Operum bonorum necessitate ad salutem, & qvaestionibus coincidentibus.

Nega-

NEgari nec potest nec debet, multa de operum necessitate ad salutem, a Luthero, illiusqve seqvacibus rigidioribus, admodum incommode atqve etiam inconsiderate dicta, qvae qvocunqve demum sensu sive respectu dicta vel scripta fuerint, nos pravo aliorum more non excusamus, nedum defendimus; immo reprehensione digna inprimis esse judicamus illa atqve istiusmodi alia. Qvae Bellarminus hoc libro IV. de Justif. cap. 1. ex Petro Canisio refert, ex illorum libris excerpta, commemorare non libet; æterna enim silentii nube illa sepeliri, qvam in apertum proferri, multo satius est, & Deo piisqve omnibus gratius. Sed in hoc manifestam sibi injuriam a Romanensibus fieri, conqveruntur omnes saniores Protestantes, qvod *paucorum errata*, male & calumniose omnibus theologis Reformatis ab illis impingantur.

In Colloq. altenburg. A. 1568. in hoc convenerunt theologi flaciani & electorales; *Bona opera justificatis & salvandis esse necessaria*, sed utrum ista propositio, Pag. 126.) *Opera sunt necessaria ad salutem*; simpliciter esset rejicienda, nec ulla ratione in ecclesia toleranda, disceptatum fuit. Electorales, adversariis suis multo doctiores & saniores, dicebant, necessaria esse ad salutem, non qvidem necessitate efficientiae, (non aliam tamen *efficientiam*, qvam proprie *meritoriam* intellexisse sive exclusisse illos, ex variis Actorum locis mihi admodum probabile videtur)

detur) ſed neceſſitate praeſentiae, ac proinde propoſitionem praedictam illo ſenſu, (vide Acta p. 430.) qvo a Pontificiis traditur, bona videlicet opera noſtra cauſam eſſe ſeu meritum juſtitiae & ſalutis, deteſtari ſe. Et moto de hac forma loqvendi certamine periculoſo & ſcandali pleno, (ſcil. tempore germanici Interim) nunqvam ſe illa forma uſos eſſe, ac ne nunc qvidem tueri illam velle, nec deinceps ea uti decreviſſe, (in qvo ex nimio pacis ſtudio doctiſſimi hi viri plus aeqvo adverſariis ſuis ceſſerunt) ſimpliciter tamen ac ſine determinatione ulla, ſe damnare hanc formam, ut per ſe ac ſimpliciter falſam & impiam, non poſſe. Flaciani autem licet non negarent, Bona opera eſſe juſtificatis neceſſaria neceſſitate praeſentiae, multas ob cauſas, qvod Bellarminus etiam agnoſcit, tamen propter ſcandalum & erroris periculum, contendebant, propoſitionem praedictam, *Bona opera ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem eſſe*, non eſſe in eccleſia tolerandam. Hanc Flacianorum ſententiam Lutherani hodie communiter tuentur. Vide lib. Concordiae p. 698. Chemnicium Loc. theol. parte 3. de Operibus renatorum, q. 7. I. Gerhard. L. de Bonis operibus, num. 45. caeterosqve fere omnes. Pareus etiam (cum Jo. Davenantio, epiſc. ſarisb. Diſput. de Juſtitia actuali c. 31. p. 400 aliisqve permultis) lib. de Juſtif. contra Bellarm. c. 1. *Qua in parte* (inqvit) *facile nos eis* (Flacianis ſcil.) *ſubſcribimus.* Et paulo poſt, eadem p. 831. *Non qvod dicere non liceat*, opera neceſſaria eſſe ad ſalutem, *nempe non*

impediendam, non vero ad ſalutem efficiendam, ſed qvia nolumus ambigue loqvendo ſcandalum ponere. Qvin immo idem Pareusde Amiſſ. gratiae & ſtatu peccati l. 5. c. 1. affirmare non veretur, Flacianorum dogmata de Providentia, Praedeſtinatione, Gratia, Libero arbitrio, Bonis operibus, Adiaphoris, Statutis, & nonnulla alia, ſaniora fuiſſe, qvam adverſae partis, ſed modum ea tradendi atqve tuendi plane turbulentum & furioſum. Deus bone, qvam moroſa, & ab omni moderatione Pag.127.a.) aliena ſunt plerorumqve, qvi hodie controverſias tractant, theologorum ingenia & judicia! Nulli enim fere unqvam theologi Proteſtantes Flacio & Flacianis aut pertinaciores aut turbulentiores fuere. Sed de Phil. Melanchthonis ſingulari eruditione & moderatione in plerisqve, qvae hodie controvertuntur, fidei capitibus, (qvam etiam diſcipulorum multi ſeqvuti ſunt) cui non conſtat? Ne gravere, lector, apud hiſtoricum nobiliſſimum & candidiſſimum, I. A. Thuanum, ſingulare hujus viri elogium legere, Hiſt. lib. 26. p. 809.

Sed pleriqve fere alii Proteſtantes hodie concedunt & ſolicite urgent bonorum operum neceſſitatem, etiam ad ſalutem; plurimi qvoq́, non *neceſſitatem* tantum praeſentiae, ſed & *efficientiae* admittunt, ſi nomine efficientiae non aliqvod proprie dictum meritum, aut propria vis ac dignitas ipſorum operum in ſalute comparanda intelligatur, ſed tantum cauſalitas ſive efficientia qvaedam *ſecundaria* minoris ac inferioris ordinis

&

& gradus, & divinae gratiae ac fidei semper *subordinata*. Existimant enim, bona opera in justificatis & salvandis necessario exigi, non tantum ut signa & effecta verae & vivae fidei, sed etiam ut viam qvandam salutis seu causam, sine qva non, aut conditionē, qva non praestita, a nemine adulto, & cui tempus bene operandi concessum, salus aeterna obtineri possit: immo, ut nihil non largiantur, qvod ipsa veritas fateri cogit, esse causam salutis suo modo & loco adjuvantem & efficientem, non tantum *ad salutem non impediendam*, seu retinendam & conservandam, atqve etiam *consummandam*, qvod dicunt qvidam, licet non satis plene, sed & ad eam *consequendam*, sed citra omne omnino meritum proprie sic dictum. Ita, ut Bellarminum tam operosa, immo etiam odiosa rei minime controversae probatione omnino supersedere potuisse & debuisse, judicent omnes doctiores & saniores Protestantes. Qvaecunqve enim qvibusdam imperitis rerum controversarum tractatoribus temere & inconsiderate aliqvando exciderint, cogitare tamen debuit Bellarminus, (atqve cum eo etiam alii Romanenses) rem sibi fuisse non cum Simonianis, Gnosticis, Eunomianis, & ejusmodi hominum monstris, Christi gratiam in lasciviam vertentibus, sed cum hominibus cum timore & tremore, pro modulo lucis & gratiae concessae, salutem suam operari satagentibus. Sed proh dolor *plerique, qvi hodie ad scribendum de controversiis fidei accedunt*, nihil fere aliud afferunt, praeter judicium

affectui mancipatum, & affectum perturbatissimum.

Pag. 128.a.) Licet haec qvaestio de necessitate operum secundum efficientiam, ex parte pertineat ad lib. 5. in qvo de bonorum operum meritis, Deo juvante, differetur, qvia tamen a Bellarm. cap. 7. 8. & 9. hujus libri, & iis, qvi ad Bellarmini argumenta respondent, de ea disputatur, non erit abs re, nec ab instituto nostro alienum, in praesenti paucis eam discutere.

Plurima S. Scripturae loca, qvorum qvaedam a Bellarmino adducuntur, sed qvibus innumera prope alia adjici possunt, ut Heb. 10. 36. 1. Timoth. 2. 15. Phil. 2. 12. 2. Cor. 7. 10. & cap. 4. 17. *Momentanea levitas tribulationis nostrae, excellenter magnum pondus gloriae* κατεργάζεται operatur *in nobis*, Rom. 8. 13. & 17. c. 10. 9. Matth. 25. 34. 35. *Possidete regnum cœlorum, esurivi enim*: & ibidem, juxta vulgatum interpretem, vers. 21. *Qvia in paucis fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Jac. 1. 25. & 2. 14. Gal. 6. 8. *Qvi seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.* Apoc. 7. 14. 15. *Hi sunt, qvi venerunt ex magna tribulatione, &c.* ideo (διὰ τοῦτο) *sunt ante thronum Dei*, clarissime demonstrant, in adultis opera bona ad salutem *relationem* habere, non *ordinis* tantum, (ut frigide cum aliis respondet Pareus ad cap. 7. hujus libri p. 1029.) qvalem habet medium ad finem, antecedens ad conseqvens, conditio, sine qva non, ad effectum, cujus conditionis praesentia qvidem non efficit, absentia vero potest impedire salutem;

tem; sed etiam relationem *causalem*, qvalis est relatio causae suo modo & loco efficientis, vel adjuvantis, ad effectum. Similiter Pareo respondet Davenantius in Praelect. de Justitia actuali, cap. 32.

Eadem semper fuit sententia Patrum, qvorum plerosqve etiam vocabulo *meriti* ad hanc efficientiam significandam usos constat, licet non eo sensu, qvo hodie a multis Romanensibus intelligitur & usurpatur, ut postea dicemus. Qvod autem ex Bernhardo de Gratia & lib. arbitr. communiter objicitur, *Bona opera esse viam regni, non causam regnandi*, nae illud valde debile est: negat enim tantum Bernhardus, opera esse causam proprie sive ex condigno meritoriam regni cœlestis, ceu patet ex ipsis ejus verbis: *Alioqvi si proprie appellentur ea, qvae dicimus nostra merita, spei qvaedam sunt seminaria, charitatis incentiva, occultae praedestinationis indicia, futurae felicitatis praesagia, via sunt regni, non tamen causa regnandi.* Pag. 127. b.) Vbi affirmat, *esse viam*, ac proinde aliqvo modo causam regni; nam via, qvando in ea ambulatur, sive potius ambulatio in via, (*sicut in bonis operibus incedere seu ambulare* dicimur Ephes. 2. 10.) revera est causa perveniendi ad metam. Non igitur satis considerate loqvuntur ii Protestantes, qvi opera relationem habere ad salutem *medii seu viae* concedunt, negant tamen, relationem ullam *causae* habere, nisi illius, sine qva non: qvae proprie causa non est. Omne enim medium respectu

propositi finis, omnisqve via respectu metae, ad qvam tendit, in ipsa praxi sive actuali rerum usu, rationem causae obtinet, ut nemini non constare potest.

Suffragantur etiam plurimi doctissimi & maximi nominis Protestantes. M. Bucerus in Colloq. ratisbon. 2. p. 94. *Cujus igitur rei dicit Dominus, hoc loco,* (Matth. 25. 34.) *causam esse sanctorum bona opera? Cum causali enim conjunctione subjiciuntur,* Esurivi enim. &c. *plenae perceptionis & fruitionis hujus regni, non juris in hoc regnum.* Nota tamen obiter, lector, hanc Buceri distinctionem minus solidam esse, nisi de principali juris causa intelligatur. Et paulo post: *Deus itaqve bona suorum opera causas facit & augendae, indiesqve perficiendae salutis, tandemqve plene etiam perfruendae.* Et p. 569. Causas *autem* esse aliqvo modo mercedis aeternae etiam bona sanctorum opera, *qvis nostrûm unqvam inficiatus est? Non enim hac de re, sed de eo pugnamus, unde vim habeant.* Et in cap. 2. ad Rom. in conciliatione horum, *Deus reddet unicuique secundum facta*, saepe repetit, bona opera causas esse beneficiorum Dei & salutis aeternae, nec id negari posse, cum Deus id passim in script. testetur, sed non primas, neqve per se, verum secundarias causas, & id etiam non nisi ex ultronea benevolentia Dei. p. 99. 100. 101. & seq. aliqvot. J. Calvinus * lib. 3. Institut. cap. 14. sect. 21. *Istis nihil obstat, qvo minus opera Dominus tanqvam causas inferiores amplectatur. Sed unde id? Nempe qvos sua miseri-*

* Lib. 3. Instit. c. 14. sect. 21.] Vel c. 10. n. 48.

misericordia, aeternae vitae haereditati destinavit, eos ordinaria sua dispensatione per bona opera inducit in ejus possessionem. Quod in ordine dispensationis praecedit, posterioris causam *nominat. Hac ratione ab operibus interdum vitam aeternam deducit, non quod illis referenda sit accepta, sed quia, quos elegit, justificat, ut demum glorificet. Priorem gratiam, quae gradus est ad sequentem, causam quodammodo facit.* Subjungit qvidem ibidem, istis scripturarum locutionibus *seriem magis notari, qvam causam;* Pag. 128. b.) qvibus tamen verbis causae rationem simpliciter non negat: loqvitur enim comparate tantum, neqve etiam satis ad mentem Spiritus S. in Scriptura loqventis. Hieron. Zanchius l. 5. de Natura Dei cap. 2. *Non simpliciter negamus,* bona opera esse causam salutis, *nempe* instrumentalem potius, qvam efficientem, (*intellige principalem efficientem: secus enim sibi ipse aperte contradiceret*) ut causam, qvam vocant sine qva non. Et postea: *Bona opera causa sunt instrumentalis possessionis vitae aeternae, per haec enim, tanqvam per media & legitimam viam ducet nos Deus in possessionem vitae aeternae.* Piscator freqventissime & disertissime in 25. Matth. ad verba, *Esurivi enim,* &c. *Deinde esto, notari hic* causam; *inde tamen non sequitur, notari meritum seu causam meritoriam: etenim causae nomen latius patet, qvam ad meritum. Et sane bona opera respectu vitae aeternae* habent rationem causae efficientis, *non ut merita, sed ut via seu ambulatio, qva ad vitam aeternam pervenitur, ex ordinatione Dei.*

Simili res haec declarari potest, ut, si cui donetur thesaurus in cacumine montis reconditus, sed hac lege, ut, si potiri eo velit, montem conscendat, illumque effodiat. Hic certe conscensus montis, & effossio thesauri, rationem habent causae efficientis respectu possessionis ac fruitionis thesauri; at non habent rationem meriti, quippe quum thesaurus ille fuerit donatus. Eadem fere verba legere est apud anglum illum, qui supplementum adjecit Commentario perkinsiano in cap. 6. 7. ep. ad Gal. Sic etiam Piscator in cap. 1. ad Eph. vers. 4. *Haec autem ipsa nostri sanctificatio,* (qua sancte vivimus) *actio Dei est, qua nos, inter alias, ad salutem adducit, ac proinde rationem aliquam* causae efficientis *habet.* Vide eundem in cap. 6. ad Rom. v. 23. & in Exegesi aphorismorum p. 336. 337.

Propter haec ante citata Calvini, Zanchii, Piscatoris, & caeterorum dicta, magnas hodie *excitant tragoedias theologi Lutherani,* & vociferantur, Calvinianos in hac doctrina cum Pontificiis consentire, & contra veritatem conspirare. Vide J. Gerhard. L. de Bon. operib. num. 45. & Joh. Himmelium in suo Calvino-Papismo parte 1. cap. 7. aliosque. Sed saepius dictum, hosce scriptores in plerisque hodie controversiis magna judicii infirmitate laborare, utut in paucis quibusdam aliis rectius sapiant. Pag. 129.) Matthias Martinius in Notis in Methodum suam S. theol. cap. 5. pag. 436. *Ad vitam aeternam bona opera aliquid conferre, est planissimum, neque propterea illico causa meritoria aliqua hic statuitur. Nam vocabulum*

cau-

causae *latius patet, quam* meriti. G. J. Vossius in Thesibus theologicis excus. 1628. de Bonis operibus, qvaest. 1. thesi 1. pag. 57. & de Bonorum operum meritis, thesi 10. pag. 79. & 80. J. Arminius in Articulis perpendendis de Bonis operibus n. 3. Vorstius in Antibellarm. pag. 628. in Antipistor. parte 2. pag. 126. *Vt igitur deinceps calumniari desinat* (Pistorius,) *aperte fatemur, bona opera non tantum ut viam qvandam antecedere ipsam salutem, tanqvam metam nobis propositam, sed etiam causam esse salutis, suo modo adjuvantem vel efficientem.* Vide etiam eundem in Examine libelli J. Piscatoris de Praedest. Goudae excus. an. 1618. p. 150. 151. *Qvae efficacem nostri vocationem seu fidem & conversionem nostram consequuntur, aliqvam in nobis salutis causam habent, non qvidem meritoriam, (absit) sed tamen infimi ordinis aliqvam. Id qvod serio hic notandum est, maxime propter eos, qvi, ut merita salutis contra Pontificios fortius scilicet elidant, ne causas qvidem ejus ullas in nobis reperiri posse contendunt.* Alstedius Theol. polemicae parte 4. An bona opera sint necessaria? *Si Bellarminus nomine* efficientiae, *non intelligit aliqvod meritum, aut propriam vim & dignitatem ipsorum operum in comparanda salute, phrasis ista potest admitti; bona siqvidem opera* faciunt ad consequendam vitam aeternam, *sed non merendo* p. 496. Remonstrantes in sua Apologia c. 22. p. 237. Fr. Whiteus in Opere contra Fisherum supra nominato p. 514. affirmat, bona opera esse *instrumentalem*, sed non meritoriam salutis *causam*, atqve sic etiam intelli-

git illud Bernhardidictum, cujus p. 128. a. mentio facta. Vide etiam pag. 517. 520. & 546. ubi bona opera in relatione ad regnum cœlorum, *causae* admittit esse *dispositivas, adjuvantes & impetrantes*, non autem meritorias. R. Rollocus de Vocatione efficaci, cap. 3. pag. 28. *Sunt quidem, fateor, ad vitam aeternam opera regenerationis necessaria, sed non tanquam merita aut causae meritoriae, verum* tanquam media, *per quae progrediendum est.* Pag. 130.) Causae *quidem etiam dici possunt* suo quodam modo & loco: *placent enim Deo in Christo, eumque suo quodam modo movent.*

Plures alios in re certissima & apertissima plane supervacaneum est nominare. Vide tamen, lector, qvi rigidissimorum scriptorum dictis maxime delectaris, viri ipso rigore fere rigidioris G. Amesii Medullam S. theologiae lib. 2. cap. 1. thes. 30. *Obedientia*, inqvit, *nostra, licet non sit principalis aut meritoria causa vitae aeternae, est tamen* causa aliqvo modo administrans, adjuvans & promovens *versus possessionem hujus vitae.* Lege & thes. 31. aliosqve id genus plurimos, qvorum sententiis chartas hasce meas commaculari ægre patior. Vide qvoqve Davenantium, episc. sarisb. de Justitia actuali, cap. 32. pag. 406. circa finem, licet sibi non semper hac in re satis constet. Conclusionem itaqve illam, qvam ponit Bellarm. l. 4. de Justif. in fine cap. 9. *Necessaria esse ad salutem opera bona, non solum ratione praesentiae, sed etiam alicujus efficientiae, & non minus opera, quam fidem ad salutem suo modo referri*, ut verissimam admit-

admittunt plurimi, etiam doctissimi, Protestantes ut jam vidimus; & disputationem hanc inter partes plane inanem & inutilem, immo, magnam partem, meram esse *logomachiam*, nos existimamus. Quod ad alia quaedam nunc consideranda attinet, ne haec praesens diatriba in immensum excrescat, in caput sequens rejicimus.

Pag. 131.) ## CAPUT II.

An Christus dominus noster, vere legislator fuerit, & evangelium proprie ejus lex sit, & vocari debeat? & alia nonnulla.

IN disputatione Bellarmini de falsa & vera libertate christiana, magnam partem otiosa, immo & calumniosa, ut Protestantes conqveruntur, perperam, immo periculose etiam, negant rigidiores qvidam Protestantes, rectius tamen forte sententientes, qvam loqventes, (vide cap. 5. atqve etiam 2.) Christum mediatorem & redemtorem nostrum, verum etiam fuisse legislatorem, & evangelium esse qvandam legem, vere & proprie sic dictam, & non lata tantum vocis significatione, Hebraeisqve familiari, qvibus vox תורה *lex* late doctrinam significat, qvo significato tantum Christum esse legislatorem, i. e. *doctorem*, & evangelium esse legem, i. e. *doctrinam*, in scripturae locis vulgo citatis appellari affirmant. Vide Lutheranos, & Pareum ad cap. 5. Bellarm. p. 1007.

p. 1007. Christus enim mediator, & qva mediator noster, fuit non tantum *doctor & phropheta* noster, & qvidem summus, qvem audire i. e. cujus doctrinae & praeceptis per omnia obedire tenemur, Devt. 18. 19. Act. 3. 22. & 7. 37. Heb. 2. 1. 2. 3. & c. 3. v. 5, 6, 7. sed etiam *dominus* seu *rex*, qvi nomine Patris sui, a qvo missus fuit, ut non suam, sed ipsius voluntatem nobis annunciaret, varias nobis leges tulit, & praecepta dedit, praeter illa vetera & mosaica, evangelii etiam propria, qvibus obseqvium velut subditi praestare tenemur, etiam additis promissis & minis. Psal. 2. 6. Es. 33. 22. Mat. 5. 2. & seqq. Lucae 1. 33. Apocal. 1. 5. & 19. 16. Proverb. 8. 15. Gal. 6. 2. 1. Cor. 9. 21. Rom. 3. 26. Matth. 28. 20. Joh. 14. 21. & 15. 10. & seq. Idem etiam ultimo die *judex* futurus eorum omnium, qvi vel evangelio paruerunt, vel parere recusarunt, ut S. scriptura passim testatur. Certe *magna & prophetici & regii muneris parte atqve honore Christum privant & spoliant*, qvi ipsum, qva mediator est, verum legislatorem fuisse, & veras nobis leges tulisse, vel incaute, vel nimis forte audacter negant.

Pag. 132.) Praecepta de *fide in Christum*, & *resipiscentia*, novae seu evangelicae legis propria esse, non audent diffiteri plurimi, etiam rigidissimi Protestantes; (vide Pareum ad cap. 3. hujus libri pag. 985. aliosqve) ut nec praecepta de suscipiendo *baptismo* & *eucharistia*, ut omnibus constat. Circa *polygamiam* etiam, & *divortium extra casum adulterii*, alias tulit nobis leges Chri-

Christus, qvam Moses, sicut ex Matth. 2. 1. c. 5. 13. c. 19. 3. & 1. Cor. 7. 10. evidentissime apparet. Imperfectus enim veteris testamenti status ita ferebat, ut piis sub illo viventibus, tanqvam pueris, qvaedam indulgerentur, qvae postea sub novo degentibus, tanqvam adultioribus, prohibenda essent.

Eadem etiam communis fuit Patrum sententia, ut constat: pleriqve enim omnes fere, maximo consensu, Christum a versu 21. cap. 5. Matthaei usqve ad finem capitis, existimarunt, non tantum falsas scribarum ac pharisaeorum traditiones, & veterum legum interpretationes correxisse, (sicut Protestantes communiter arbitrantur, & qvidam etiam Romanensium. Vide Maldon. in loc. cit. Matthaei. In qvibus Bellarminus ipse cap. 3. libri 4. de Justificat. sect. *Qvod attinet*, qvi tamen ibidem sect. *Deinde*, Christum affirmat, non tantum pharisaeorum corruptelam & depravationem legis de repudio emendasse, sed & legem ipsam de libello repudii, qvam scilicet Moses tulerat, penitus hic abrogasse. Et paulo ante, sect. *Morales leges: In hoc*, inqvit, *praestat evangelium legi*, scil. morali, *qvod qvaedam graviora, qvae a Judaeis propter infirmitatem ipsorum, in lege non exigebantur, a Christianis in evangelio exiguntur, ut patet de libello repudii & polygamia.* An Bellarminus satis hic sibi constet, judicet aeqvus lector.) sed etiam legem ipsam veterem, sive adjunctis iis, qvae ad perfectionem evangelicam desiderabantur, partim praeceptis, partim

partim consiliis, perfeciſſe, non qvod lex in ſuo genere perfecta non fuerit, ſed qvod minus perfecta, qvam evangelium; paedagogum enim fuiſſe Judaeis, tanqvam pueris ruditer erudiendis adhibitum, donec melior magiſter Chriſtus firmioribus jam ingeniis perfectiora proponeret, ut loqvitur Maldonatus in cap. 5. Matth. qvi acerrime hanc ſententiam propugnat; cui etiam favet Nicolaus Serarius, jeſuita, in ſuo Trihaereſio lib. 2. cap. 8. ipſis Maldonati verbis & rationibus bene multis verbatim repetitis. Pag. 133.) Vide etiam Adamum Conzen, jeſuitam, in cap. 5. Matth. pag. 82. *Mihi*, inqvit, *certiſsimum videtur, qvaedam ex veteri lege Chriſtum tollere, & nova eorum loco reponere, qvaedam vero a phariſaeorum corruptelis vindicare ac recte interpretari, & ſua declaratione mentem legislatoris oſtendere.* Itaqve, qvi unam tantum reſponſionem adferunt, a vero ſenſu aberrant. *Qvod eo magis miror, qvod jam olim inter Auguſtinum & Fauſtum manichaeum tribus libris diſputata ſit illa qvaeſtio.* Media igitur via hic incedit jeſuita iſte, nec fortaſſe omnino male. Vide etiam Eraſmum in idem cap. Matth. & inter Proteſtantes Hug. Grotium, virum juris & divini & humani peritiſſimum, de Jure belli & pacis, lib. 1. cap. 2. §. 6. n. 3. *Sed ne illos qvidem ſeqvar*, inqvit, *qui aliud ſibi ſumunt non exiguum*, Chriſtum *ſcilicet* in tradendis praeceptis, qvae extant Matth. 5. & deinceps, interpretem tantum agere legis per Moſem datae: *aliud enim ſonant verba toties repetita*, Audiſtis, dictum fuiſſe veteri-

veteribus: ego vero dico vobis. *Quae oppositio, sed & syriaca, & aliae versiones ostendunt, illud* veteribus *significare* ad veteres, *non, a veteribus:* (nota contra Bezam in locum, aliosqve) *ut* vobis, *est, ad vos, non, a vobis.* Veteres *autem illi non alii fuerunt, quam* qvi Mosis tempore vivebant; *nam quae ut veteribus dicta recitantur, non legis peritorum sunt, sed Mosis, aut verbo tenus aut sensu.* Et ibid. n. 5. *Sciendum est, virtutes, quae a Christianis exiguntur, etiam Hebraeis aut commendari aut praecipi, sed non praecipi in eo gradu ac latitudine, quo Christianis. Utroque autem hoc sensu* (lege, obsecro, locum ipsum integrum apud auctorem) *Christus sua praecepta opponit veteribus. Unde liquet, verba ejus non continere nudam interpretationem.* Vide & Vorst. in Catalogo errorum Sibrandi, errore 87. & in Schol. alex. pag. 240. 241. Remonstrantes in Apol. sua cap. 12. pag. 138. licet qvaestionem de expositione mandatorum a Christo facta Matth. 5. *An sit per novorum praeceptorum additionem, an vero tantum per interpretationem legis mosaicae?* necessariam esse non judicent, agnoscunt tamen, *constantem & communem veterum paene omnium sententiam fuisse,* Christum nova qvaedam & perfectiora praecepta, legis mosaicae praeceptis addidisse. Citant ex Maldonato plurima Patrum loca (qvae lege apud Patres ipsos) &, *Signum hujus rei manifestum est,* inqviunt, *qvod interpretes non pauci,* evangelici *qvi vocantur, autores veteres non leviter taxent & culpent eo nomine, qvod sententias isti de praecepto-*

rum

rum novorum additione per Christum facta patrocinati fuerint. Pag. 134.) Et rursus cap. 15. p. 151. *Ista omnia*, inqviunt, *qvae nunc in novo testamento a Christo clare propositа sunt*, in vetere testamento etiam, sive *sub lege, licet obscure*, proposita fuisse, aut potius sententia legis contineri, *falsissimum est. Nam primo certum est, praeceptum legis qvartum de praecisa diei septimi sanctificatione, nunc sub novo testamento, per Christum sive Apostolos ejus clare abrogatum esse. Secundo certum est, praeceptum 7.* Non mœchaberis, *sub lege non adeo late se extendisse, ut primo polygamiam etiam vetitam esse ea lege censeri deberet; secundo ut divortium ob nullam aliam causam, qvam ob adulterium, comprehenderet. At hoc pacto nunc praeceptum istud accipiendum esse, non obscure fatentur paene omnes Christiani. Denique certum est, multa olim permissa fuisse sub vetere testamento, qvae tum sine peccato aut violatione legis divinae fieri poterant, qvae nunc vetita sunt, & sine certo salutis aeternae periculo fieri non possunt.* Haec illi, qvi tamen, ut dictum est, qvaestionem hanc, *An mandata Christi sive novi testamenti perfectiora sint mandatis legis seu veteris testamenti?* non tantum necessariam non esse & inutilem, sed etiam, qvia qvaestio haec magnis animis inter Christianos agitatur, periculosam & noxiam videri debere affirmant. Conradus Rittershusius, IC. doctissimus, ad illud Salviani lib. 1. contra avaritiam, *Aliud vetere, aliud nova lege praeceptum*, hunc in modum commentatur: *Novam legem vocat doctrinam evangelii, qvae*

multo

multo majoris est perfectionis, quam doctrina legis. Id manifesto apparet ex concionibus Christi in monte habitis, Matth. 5. 21. 22, 27, 28, 31, 32, 33, 34, 38, 39, 43. 44. *ubi saepissime haec habetur antithesis*, Audistis, qvia dictum est antiqvis: Ego autem dico vobis. *Fluxit autem haec appellatio* novae legis *ex Jerem. c. 31. vers. 31.* & seqq. Haec Rittershusius p. 454. Qvod rigidiores Protestantes affirmant, *polygamiam & divortium extra casum adulterii, lege morali non fuisse concessa, sed legibus tantum forensibus, & Mosem, ut politicum magistratum, majoris mali vitandi causa, utrumqve hoc contra moralem Dei legem permisisse*, falsum est. Christus enim, qvi res forenses nunqvam attingere voluit, Matth. 22. 18. & seqq. Luc. 12. 13, 14. sed rectoribus politicis eas ordinandas reliqvit, hisce de rebus tamen veras nobis legis tulit * Matth. 5. & 19. & 1. Cor. 7. Pag. 135.) Adde, qvod (ut alia, qvae secum trahit haec sententia, incommoda transeam) hinc manifeste seqveretur, sanctos veteris testamenti, toties, scientes, (nisi forte communi, eaqve fortassis crassa ignorantia laborasse illos omnes affirmare malis) contra legem moralem peccasse, h. e. moechatos fuisse, qvoties polygamiae aut divortii libertate, a Mose, lege forensi, ut ipsi asserunt, concessa, usi sunt. Vide, praeter plurimos alios, H. Grotium de Jure belli & pacis l. 2. c. 5. §. 9. & Vorst. in Schol. alex. loc. supra citato. Sed hisce de rebus alias fortasse, Deo juvante, fusius disseremus.

O Chri-

* Matth. 5. & 19. & 1. Cor. 7.] Vide p. 132.

Christum redemtorem, vere etiam legislatorem fuisse, & evangelium legem esse proprie sic dictam, cum Patribus affirmant multi, etiam doctissimi, Protestantes. Ph. Melanchthon, & illius seqvaces, in doctrina de Propria evangelii essentia vel definitione, & de Discrimine legis & evangelii, evangelio tantum, & non lege, recipiscentiam & fidem in Christum praecipi, semper docuerunt. Vide praeter alios innumeros Hemmingium in Syntagmate, A. tit. *Evangelium*, Victor. Strigelium in Loc. theol. de Discrimine legis & evangelii p. 224. immo etiam Chemnitium ipsum, licet alioqvi satis rigidum, in Loc. de Justif. tractat. de Vsitata definitione evangelii n. 5. p. 570. edit. francofurt. 1608. Qvod si tibi hîc atqve alibi vacillare videatur, de illius inconstantia non laboro, qvi rigidioribus Lutheranis semper se & sua accommodare studuit, ut omnibus doctis constat. Lanc. Andreas, episcopus nuper wintonien sis, vir doctissimus & gravissimus, gravissime concione 17. de Christi nativitate, super verbis ps. *Narrabo legem* p. 162. sententiam eorum, qvi evangelium pro lege vere & proprie sic dicta non habent, taxat & refellit. Rich. Fieldus, cujus supra aliqvoties nobis mentio facta, de Eccl. l. 5. c. 21. circa finem, Jac. Arminius in Disp. theol. publicis, th. seu disput. 14. n. 19. & privatis, th. 37. n. 5. & 7. & Remonstrantes in nupera sua illa Apol. c. 13. pag. 143. ubi sententiam hanc, *Nullum praeceptum evangelio proprie tradi, Legis esse praecipere, Sola promissa ad evan-*

evangelium, qva tale, pertinere, valde periculosam & noxiam esse affirmant, & multis rationibus clarissime ostendunt.

Pag. 136.) J. Scharpius, scriptor alioqvi rigidissimus, in Cursu suo theologico: *Errant*, inqvit, *primo Flaciani, qvi in evangelio nullum praeceptum esse volunt, cum manifeste praecipiatur, ut credamus, & pœnitentiam agamus*; fides autem est tantum ex evangelio, ut & pœnitentia. Vide titulum de Evangel. col. 654. & in Thesibus theol. nuper Edinburgi editis n. 27. *Libertas christiana nec nos omnino a lege morali, nec sub novo testamento ab omni lege evangelica liberat, ac si Christus mediator tantum, & non legislator esset.* Vorstius in Antibell. p. 628. & in Schol. alex. contra Sibrandum, pag. 239. Audi, obsecro, Dan. Chamierum de operum necessitate lib. 15. cap. 4. n. 7. *Admittimus*, inqvit, *Christum esse legislatorem, sed negamus seqvi: Christus est legislator, ergo evangelium est lex vere & proprie.* Et qvare, obsecro? *Qvia*, inqvit, *evangelium tantum obedientiam exigit & peccata remittit, cujus causa potest aliqvo modo* lex *dici, sed evangelium nulla punit peccata, nullas comminatur pœnas.* Ibid. n. 4. 5. 6. 10. Nihil a vero alienius dici potuit. An non Christus legislator in sua *lege nova & evangelica*, sicut & scripturae & Patres passim loqvuntur, *obedientiam suis mandatis debitam exigit, addita sanctione per praemia amplissima & pœnas gravissimas*, qvaeqve statui legis evangelicae maxime proprie conveniunt? Evangelium enim obedientibus summa

& praestantissima qvaeqve bona promittit; unde etiam, ut a parte nobiliori & potiori, *nomen* evangelii *impositum est, ad significandum potissimum apostolicae praedicationis officium*, inqvit Bellarminus l. 4. de Justif. cap. 2. sect. *At si res ita se habet.* Idem tamen, qva lex evangelica est, ex propria & sua natura, & non ex lege Mosis tantum, ad qvam propria novae legis mandata omnino non spectant, pœnas comminatur maxime tremendas. Vide Luc. 13. 3. Joh. 3. 5. & 36. 1. Cor. 11. 27. & 29. atqve alia innumera scripturae loca. Qvid? qvod ipsa ratio dictet, eandem esse legem contrariorum, & eandem regulam recti & curvi mensuram.

Pag. 137.) Agnoscit etiam Pareus, in hoc argumento cum rigidus, tum lubricus, *evangelium habere qvaedam mandata propria de fide in Christum, de & resipiscentia, qvae lex proprie dicta non habeat*, ad cap. 3. lib. 4. pag. 985. & de Baptismo & Euchar. ad cap. 5. lib. ejusdem pag. 109. ubi, qvam misere tergiversetur, tuis vide oculis, lector. *Evangelium etiam proprio ac stricto sensu, habere promissiones salutis, sub sola conditione* fidei, *& comminationes mortis* (qvod tamen jam negavit Chamierus) *sub sola conditione* incredulitatis, Marci. 16. 16. Joh. 8. 24. (licet utrumqve hoc *de sola conditione*, manifeste falsum sit) sed cum hoc discrimine, qvod licet utraeqve sint evangelii propriae, promissiones tamen per se, comminationes tantum per accidens evangelio proprie dicto conveniant. Atqvi qvanqvam admodum improprie & cata-

catachrestice loqvatur Pareus, hoc non solius evangelicae legis proprium est, sed illi cum omnibus aliis legibus commune, obedientibus per se, ut ait, praemia polliceri, & transgressoribus per accidens pœnas comminari. Pudet autem referre, qvae scribit idem Pareus ad cap. 5. p. 1009. *Si vero mox, qvi aliqvid praecipit*, legislator *dicendus est, omnes parentes, paedagogi, praeceptores, doctores, magistri, opifices, rustici, legumlatores erunt. Nemo enim horum est, qvi non multa suis praecipiat.* Deus bone, qvam rapit transversos homines, alioqvi nec ineruditos, nec Dei non timentes, insana contradicendi libido! Deniqve adde archiep. spalat. de Republ. eccles. lib. 7. cap. 11. n. 234. scribentem: *Hic* operum *nomine intelligere debemus mandatorum divinorum observantiam, eorum videlicet, qvae naturalia dicuntur, & continentur indecalogo legis, qvae sunt praesertim a Christo approbata & confirmata; eorum pariter*, qvae ipse Christus toti ecclesiae Matth. 5. praescripsit, *ut est baptismi susceptio, monogamia, & si qvae talia sunt, qvae dicuntur de jure divino positivo.*

In explicando autem discrimine legis & evangelii, seu veteris & novi testamenti, ut in qvibusdam aliis, nonnulli rigidiores Protestantes errant, qvando *fœdus cum Patriarchis olim factum*, qvodqve sancivit Deus promissionibus de Christo, idemqve substantia est cum novo testamento seu fœdere evangelico, Pag. 138.) *confundere solent cum fœdere legali & vetere testamento, qvod diu postea in monte Sinai pepigit Deus cum populo car-*

lo carnali, plane contra S. scripturas, Rom. 4. 13. & seq. Gal. 3. 14,15,16,17. & 4. 1,2,3. &c. Heb. 8. 6. Jerem. 31. 31. & contra Patrum mentem. Vide August. lib. 2. contra adversarium legis & Prophetarum cap. 8. & l. 3. ad Bonifacium contra duas epistolas Pelag. cap. 4. & Calvinum Instit. lib. 2. cap. 11. sect. 4. sibi ipsum forte contradicentem. *Quod si malis*, inqvit, (malo utiqve ego, & qvotqvot cum scriptura loqvi amant) *ita accipe*: Vetus *fuisse videlicet* testamentum, *qvod umbratili & inefficaci ceremoniarum observatione involutum tradebatur, ideoqve temporarium fuisse, qvia veluti in suspenso erat, donec firma & substantiali confirmatione subniteretur. Tum vero demum* Novum aeternumqve *factum fuisse, postqvam Christi sangvine consecratum stabilitumqve fuit.* Et sect. 10. *Quod autem ipsas promissiones*, scil. ante legem editas, *sub veteris testamenti nomine censendas Augustinus negavit*, (lib. 3. ad Bonif. cap. 4.) *optime in eo sensit, siqvidem ad illas Jeremiae & Pauli sententias respiciebat, ubi vetus testamentum a verbo gratiae & misericordiae discernitur.* Affirmat qvidem Calvinus ibidem, Augustini sententiam a sua non dissidere, sed fallitur: loqvitur enim Augustinus hac de re multo distinctius, qvam Calvinus, & S. literis congruentius, in qvibus vetus testamentum nunqvam pro fœdere gratiae usurpatur. Vide etiam Synopsin purioris theologiae loco mox infra citando.

Sed qvia minutiora prolixe persequi non fert animus, vide praeter adversae partis theologos pluri-

plurimos, theologos etiam lutheranos hac in re paulo saniores, P. Melanchthonem cum suis in doctrina de Discrimine veteris & novi testamenti, J. Armin. in Disp. theol. public. thesi 3. de Legis & evangelii comparatione, & in privatis thesi 51. de Ecclesia veteris testamenti seu sub promissione, P. Cunaeum l. 3. de Republ. eccles. Hebraeor. cap. 9. C. Vorstium in Notis ad disp. 8. de Deo thesin 25. p. 409. Joh. Cameronis de Triplici Dei cum homine fœdere theses, operum tom. 3. thes. 68. In ipsa etiam Synopsi pur. theol. disp. 23. de Veteri & Novo Test. thesi 5. 6. 7. 12. non nihil candoris animadvertere licet; qvanqvam postea disputator communi errore abreptus, a vero deflectat. Pag. 139.) Certe, ut huic considerationi finem imponam, *confusio, promissionis seu fœderis gratuiti cum Patriarchis facti & veteris testamenti seu fœderis legalis*, qvod Deus diu postea in monte Sinai pepigit cum populo carnali, plurimis scripturae locis apertissime repugnat, & non unius hodie erroris causa est. Vide, qvaeso, tota hac de re Corn. Schultingium Variarum lectionum & animadvers. in Calvini Instit. tom. 2. p. 453. & aliqvot seq.

Verissimum etiam, & scripturis ac Patribus maxime consentaneum est, (qvicqvid contra sentiant & dicant rigidiores qvidam Protestantes) proprie & directe *vetus testamentum bona carnalia ac temporalia*, sed in figura & symbolice, sub carnalium rerum typis, promittere spiritualia ac aeterna. Vide Bellarm. cap. 3. lib. 4. de Justif.

Sed qvia res haec clariſſima eſt, & innumeris tum ſcripturae, tum Patrum teſtimoniis, ſi neceſſe eſſet, confirmari poſſet, nos prolixiori ſuper ea diſputatione abſtinebimus. Vide, inter recentiores Proteſtantes, Gerh. J. Voſſii Reſp. ad Ravenſperg. cap. 23. &, Hiſt. pelag. lib. 3. parte 2. pag. 343.

CAPUT III.

De poſſibilitate praeſtationis legis Dei in hac vita.

LEgem Dei conſideratam rigide & κατ' ἀκρίβειαν, ut omnis etiam haud plene voluntarius concupiſcentiae motus, & titillatio, omnisqve omnino vel minima cum levi aſſenſu deflexio a charitate erga Deum & proximum mandata, &, uno verbo, qvicqvid minus eſt, qvam omnimoda ſpiritualis vitae perfectio, Pag. 140.) pro ſtatu viae, exigit, in cenſum veniat illorum, qvae adverſus legem Dei committuntur, ab ullo ſanctorum, non dico per ſolas naturae vires, (qvae impia & ante multa ſecula damnata fuit Pelagii haereſis) ſed nec per illam gratiae menſuram, qvam Deus ſanctiſſimis etiam in hac vita admetitur, vel per omnem vitam, vel etiam longo ejus tempore, actu impleri, vel etiam impleri poſſe, recte negant Proteſtantes omnes ſaniores. Hoc enim clariſſime docent ſcripturae. Vide Pſal. 143. 2. Eccleſ. 7. 20.

Pro-

Proverb. 20, 9, 1. Reg. 8. 46. Jacobi 3. 2. 1. Joh. 1. 8. Oratio etiam dominica justissimis qvibusqve non veraciter minus, qvam humiliter, qvotidie dicenda, apertissime demonstrat, egere nos qvotidiana peccatorum remissione, dum dicimus: *Dimitte nobis debita nostra.* Communis fidelium omnium experientia in qvotidianis delictis, & tristissimi qvorundam aliqvando lapsus idem comprobant. Idem etiam innumeris fere Patrum dictis probari posset, nisi qvod Rom. ipsi ultro concedant, ut infra dicemus, neminem sanctorum in tota vita mortali, immo, ut qvidam moderatiores volunt, nec per longum vitae tempus, posse omnia peccata, etiam leviora, vulgo *venialia* appellata, vitare. Vide prolixum Patrum catalogum apud Suarezium de Gratia lib. 9. cap. 8. n. 20. & 21. & Vossium in sua Historia pelag. lib. 5. p. 460.

De B. Augustini & qvorundam aliorum, sed paucorum, Patrum sententia super hac re, multum inter doctiores theologos contenditur. Ille enim acerrimus alioqvi Pelagii oppugnator, pacis tamen ecclesiae studiosissimus, & homo in sustinendo judicio mirae prudentiae, (ut de eo loqvitur Maldonatus) in cap. 16. Lucae ℣. 22. differens, *ubi fuerit sinus Abrahae*, cum Pelagio de potentia per gratiam Christi absqve peccato vivendi contendere nolebat, utut neminem, qvi id feciisset, ostendi posse putaret. Vide lib. 2. de Peccatorum meritis & remissione, cap. 6. lib. de

Natura & gratia contra Pelag. cap. 50. & 60. de Spiritu & litera cap. 1. & lib. de Sancta Virginitate cap. 50. Immo libro de Natura & gratia cap. 42. a potentia ad actum progreſſus, diſerte affirmat, *ſe non velle acriter contendere, an ſit aliqvis*, qvi ad eam juſtitiae perfectionem hic perveniat, ut ſit ſine peccato, Pag. 141.) *qvanqvam non eſſe, ſibi verius videatur.* Vide, praeter citata loca, de Geſtis Concilii palaeſtini cap. 7. & 11. de Peccato orig. lib. 2. cap. 11. & epiſtolam 95. ab Epiſcopis qvinqve africanis, qvorum unus Auguſtinus, ad Innocentium papam miſſam, in qva haud procul a fine fatentur, *eſſe viros catholicos, quibus non videretur a veritate alienum, eſſe, qvi per gratiam legem Dei ſine peccato praeſtare valeant in hac vita, atqvo hos, ſi errent, tolerabilius* ſane *errare* dicunt, *qvam Pelagium*, qvi id viribus liberi arbitrii fieri ajebat. *Nec diabolicam impietatem, ſed errorem humanum eſſe, elaboranda & optanda affirmare, etiamſi is, qvod affirmat, non poſſit oſtendere. Id enim*, inqviunt, *credit fieri poſſe, qvod certe laudabile eſt velle. Nobis autem ſufficit, qvod nullus in Eccleſia Dei fidelium reperitur in qvolibet profectu, excellentia, atqve juſtitia, qvi ſibi, audeat dicere, non neceſſariam precationem orationis dominicae*, Dimitte nobis debita noſtra, *& dicat, ſe non habere peccatum, qvamvis jam ſine qverela vivat.* Vide etiam Gelaſium in diſput. contra Pelag. qvae habetur tom. 1. Epiſt. pontif. poſt epiſt. 5. ejusdem Gelaſii. *Sin vero qvispiam*, inqvit, *non posſibilitate facultatis humanae, ſed per divinam gratiam hoc aſſerat in hac vita*

vita quibuslibet sanctis posse *conferri*, *bene quidem facit*, (nam Dei dono cuncta possibilia sunt) *talia confidenter opinari & sperare fideliter.* Et deinde haec subjicit: *Sed utrum aliqui tales extiterint, qui usquam ad hanc perfectionem vitae praesentis accederent, sicut nusquam evidenter adstruitur, sic nos facile firmare vel infirmare non convenit.*

Augustini hac de re sententiam rigidiores Protestantes (inter quos P. Molin. in Anat. Armin. cap. 49. & Davenantius de Justitia actuali cap. 51.) non satis recte explicant, cum affirmant, Augustinum, quando concedit, hominem posse esse sine peccato, ac legem Dei perfecte implere per Dei gratiam, hoc tantum velle, *Deum posse, si etiam vellet*, alicui istam gratiam in hoc seculo praestare, *neminem tamen inveniri*, cui eam praestet. Augustinus enim locis multis citatis non tantum simpliciter affirmat, *hominem posse esse sine peccato per gratiam, sive, si voluntas ejus non desit, ope divina adjuvante*, ut loquitur de Spir. & lit. cap. 1. sed etiam, licet ei probabilius videatur, *neminem esse sine peccato*; tamen *se nolle id cum contentione negare profitetur.* Pag.142.) Augustini sententiam explicat meliori fide Pareus in c. 12. hujus libri p. 1084. & 1087. scribens: *Fallitur Bellarminus cum ad quaestionem:* An possit homo vivere absque peccato? *scribit libri 4. de Justif. cap. 12.* Augustinum semper respondisse negando: *contrarium enim ex plurimis Augustini locis signatis clarissime apparet.* Affirmat A. Vega fidenter, paene certam veritatem visam fuisse Augustino, quod ho-

homo justus tota vita absqve omni peccato, etiam veniali, per gratiam perseverare possit, (qvam sententiam ipse etiam mordicus tuetur, ut infra dicemus) & qvinqve illos Episcopos africanos, qvi in sua ad Innocentium papam ante memorata epistola sententiam hanc, si error sit, *errorem tolerabilem* esse dicunt, non veretur taxare, iisqve opponere Augustini, ut illis multo doctioris, auctoritatem, l. 14. c. 22. p. 716. *Et qvamvis*, inqvit, *qvinqve illi episcopi, qvi videntur fuisse praecipui in Concil. milevitano, in epist. qvam ad Innocent. papam scripserunt de Pelagii erroribus*, tolerabilem & humanum errorem dicant esse, neqve impium existimandum, qvod jam tum qvidam asserebant, posse hominem post suam justificationem perseverare tota vita absqve peccato, per adjutorium gratiae & Spiritus Dei, *tamen Augustinus, qvi multo fuit illis doctior, non humanum errorem, sed paene certam veritatem hoc putavit.* Sed vir doctissimus non advertit, Augustinum ipsum unum fuisse illorum qvinqve episcoporum, qvi hanc epistolam scripserunt: Episcoporum enim nomina in epistolae inscriptione leguntur Aurelius, Alipius, Augustinus, Evodius & Possidius. Suarez de Gratia l. 9. c. 8. n. 22. existimat, Augustinum locis citatis, ut & Hieronymum dialogo 1. contra Pelag. qvando dicunt, *posse justos hîc vitare omnia peccata, etiam venialia, licet non hoc faciant*, loqvi vel de potestate physica, seu ad singula, vel de potestate cum gratia non communi tantum, sed singulari. Vossius in Hist. pelag. l. 5. p. 495.

p. 495. censet, Augustinum aliosqve cum illo africanos Patres, qvando dicunt, posse aliqvem per dei gratiam hic sine peccato vivere, & legem Dei implere, *considerare legem non rigide, sed* κατ' ἐπιείκειαν, *& pro viribus gratiae*, qvas habemus in hac vita, & illud solum *peccati* nomine intelligere, qvod vulgi judicio peccatum censetur; qvomodo sine peccato vivunt, qvi *sine qverela vivere* dicuntur in scripturis. Pag.143.) Jac. Arminius affirmat, Augustinum hoc sensisse, qvod homo in hoc seculo, gratia Christi, sine peccato esse possit. *Sed ego*, inqvit in Declaratione suae sententiae de hoc capite pag. 208. 209. *nunqvam dixi, qvod fidelis* praecepta Dei in hac vita perfecte servare possit, *sed neqve id negavi unqvam; verum totum in medio semper reliqvi, contentus illis, qvae Augustinus hac de re dicit.* Et ibid. pag. 307. 308. *Huic Augustini sententiae non repugno, de tota autem re non contendo: puto enim, tempus felicius & utilius impendi precibus ad impetrandum, qvod nobis deest, & monitis seriis, ut qvisqve proficere & ad metam perfectionis contendere conetur, qvam hujusmodi disputationibus.* Sed qvicqvid hac de re Augustinus aliis in locis scriptorum suorum senserit, vel eruditis sensisse videatur, nobis sententia qvinqve Episcoporum africanorum, qvi in Concilio milevit. praecipui proculdubio fuerunt, & e qvibus unus, ut jam dictum fuit, Augustinus ipse, in epist. illa ad Innocentium papam, maxime probatur, errare & falli, qvi dicant, *etiam in hac vita esse homines sine peccato*; sed errare humanitus, & falli

tolera-

tolerabiliter, qvia *etsi non invenitur homo in hac vita sine peccato*, id tamen, ut dicunt, *fieri potest per adjutorium gratiae & Spiritus Dei*. Haec enim communior fuit Patrum sententia, & pro qva nonnulla etiam ex variis Augustini scriptis citari possent. Nihil enim certi habebat sanctissimus ille pater, qvod hac de re in contrarium pronunciare posset, vel auderet. Vnde nec mirum est, aliqva, etiam in speciem saltem pugnantia, in illius scriptis dicta inveniri. Sed qvia hoc abunde ab aliis viris doctissimis, ut supra dixi, praestitum est, nos hoc labore supersedentes pergimus.

Fatentur etiam, ut supra dixi, ipsi trident. Patres Concilii, sess. 6. can. 23. *Neminem justificatum posse in tota vita peccata omnia etiam venalia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, qvemadmodum*, inqviunt, *de b. virgine tenet Ecclesia*. Sed, qvod hodie Romanenses communi consensu tenent, *b. virginem* ex speciali Dei privilegio *ab omni actuali peccato semper immunem fuisse*, (nam de immunitate, *ab originali peccato* jamdiu acriter belligerarunt, hodieqve etiam belligerant multi magni nominis viri romanae partis, ut omnibus constat. Legatur inter alia, legatio Philippi III. & IV. Regum Hispaniarum ad Paulum V. & Greg. XV. de definienda controversia immaculatae conceptionis b. virginis, nuper excusa Antuerpiae in fol. Pag. 144.) cujus summam legere est in A. Kesleri, theol. luther. Resp. de Bello ubiqvistico ad Laur. Forerum, jesuitam. Nec tamen sententia aliqva definitiva super hac controversia, ad hoc bellum

bellum finiendum, a Pontifice romano, etiam inſtantiſſime ſolicitato, unqvam obtineri potuit) ut ut veterum qvosdam id ſenſiſſe negari non poteſt, plurimi tamen eorum aliter ſenſerunt. Hieronomus contra Pelag. ad Cteſiphontem, & P. Oroſius Apolog. de L. A. nulli mortalium hanc ſanctitatis perfectionem absqve peccato ſemper vivendi conveniſſe, praeterqvam Chriſto, diſerte affirmant. Vide Chryſ. in pſ. 14. ad verba verſ. 13. *Non eſt qvi faciat bonum*, & in cap. 2. Joh. homil. 21. Orig. homil. 17. in Lucam ad verba c. 2. 35. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*; ſcriptorem Qvaeſt. veteris & novi teſtamenti, inter opera Auguſtini q. 73. Theophil. Euthymium, aliosqve, Et Maldonatum in cap. 2. Lucae ad verba ſupra citata, *Et tuam ipſius animam*, item in cap. 2. Joh. ad verba verſ. 4. *Qvid mihi & tibi eſt, mulier? nondum venit hora mea: Vbi*, inqvit, *inter veteres auctores paucos admodum invenio, qvi non aut aperte dicant aut obſcure ſignificent, aliqvam culpam aut errorem certe fuiſſe, qvod filium ad faciendum miraculum incitaverit, ſi non ob aliud, certe qvia intempeſtive & ante tempus id fecit.* Vide Chamierum de Peccato orig. lib. 5. tom. 3. cap. 13. n. 2. ubi ſingularem illius moderationem hac in re non poſſum non laudare. *Probabitur*, inqvit, *virginem peccaſſe aliqvando, e ſcripturis, iisqve non noſtro arbitrio interpretatis, ſed veterum Patrum obſervationibus illuſtratis, utplane conſtet, liberiores fuiſſe Chriſtianorum ſententias in cenſenda virgine, neqve perſvaſum, impium eſſe, qvi nonnihil naevorum in ea, ut in formoſis-*

formosissimo corpore, observaret, quod jam Papistarum pars maxima induxit in animum. Id autem eo fiet illustrius, quo certius erit, in quibusdam nos virgini esse aequiores, quam veterum nonnullos, *qui ejus peccatis imputarunt nonnulla, in quibus nos non habent assentientes.* Lege totum caput diligenter. Dicit quidem Augustinus tom. 7. lib. de Natura & gratia cap. 36. *Excepta sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem*; sed nihil certius, quam eum *de solis peccatis actualibus* ibi loqui, ut omnes loci circumstantiae ostendunt: & de immunitate ab his loquitur tantum *dubitanter, & more suo*, sanctissimus pater, nihil in alterutram partem definiens. Pag. 145.) Vide Dom. a Soto de Natura & gr. l. 3. cap. 4. pag. 209. *Neque tamen*, inquit, *affirmans*, b. virginem a peccatis omnibus actualibus immunem fuisse, *sed nolens facere de illa mentionem, propter honorem Domini.* Sed Romanenses hodie ab Augustini modestia longe recesserunt, qui tanquam certissimam veritatem hoc asserunt, & conciliaribus canonibus inserunt, ut jam vidimus. Pie certe credimus, *b. virginem ab omni peccato actuali graviori immunem fuisse, in pauciora etiam venialia, quam quisquam alius sanctorum, incidisse*; sed absque ullo certo & perspicuo script. fundamento, & constanti veteris ecclesiae consensu, eam ab omni omnino peccato actuali liberare non audemus. Immo plus satis audacem esse romanam Ecclesiam affirmamus;

mus, qvae hodie id, ut certum & de fide, statuit, crediqve imperat.

Contendit qvidem, ut supra innui, multis argumentis A. Vega lib. 19. cap. 21. *posse justos, per Dei gratiam, per totam vitam omnia peccata venialia vitare*, non tantum singula seu divisive, sed etiam collective; intelligit autem per gratiam, *communem, sine speciali privilegio*, ut recte Suarez observat, illius mentem explicans, *alias*, ut Suar. inqvit, *frustra laboraret.* de Gr. lib. 9. cap. 8. n. 13. Sed haec illius sententia, ut de scriptura & Patribus nihil nunc dicam, plerisqve Romanensium improbatur, cum definitione etiam Concilii trident. supra dicta iisdem non satis congruere videtur, qvicqvid ille contra sudet cap. ult. illius libri. Vide Suarez. l. c. Audi & Vegam ipsum cap. 21. dicentem: *Qvoniam autem hoc novum & durum plerisqve videbitur, sicut & mihi saepe visum est, adnitar &c.* Immo communiter sentiunt Romanenses, *nullum sanctorum vitare posse omnia venialia peccata per longum vitae tempus.* Suarez l. c. n. 26. *Ex qvibus*, inqvit, *colligitur, neminem vitasse seu vitare posse omnia venialia peccata per longum tempus, etiamsi non sit totius vitae. Hoc*, ait porro, *non est tam certum, sicut de toto tempore vitae; nihilominus tamen haec illatio est communiter recepta, & mihi videtur consequenti ratione omnino tenenda.* Sed alias incertas & temerarias, immo periculosas & pernitiosas de temporis mora longiori vel breviori (qvoad actualem omnis omnino peccati vitationem, vel etiam vitandi potentiam) scholarum

larum qvaestiones & decisiones missas facio; & qvisqvis cum timore & tremore salutem suam operari satagit, idem facito.

Pag.146.) Sed cum nemo sanctorum nec tota vita, neqve etiam longo vitae tempore, peccata omnia & singula, etiam venialia, vitare possit, ut jam dictum est, perperam Bellarminus, & cum eo alii Romanensium multi, *legem Dei* κατ' ἀκρίβειαν, *qvasi simpliciter atqve absolute, hic servari posse* contendunt, eo qvod *peccata venialia, sine qvibus non vivimus, non sunt peccata simpliciter*, ut inqvit Bellarminus lib. 4. de Justificatione cap. 14. *sed imperfecte & secundum qvid, neqve sunt contra legem, sed praeter legem, ut S. Thomas recte docet.* Verum sententia haec omnino a vero dissentanea est: peccata enim venialia vel omnino non sunt peccata, vel recte legi Dei contraria sunt, cum omne peccatum sit ἀνομία, vel legis transgressio 1. Joh. 3. 4. Neqve enim intelligi qvidem peccatum potest, qvod non sit alicujus legis violatio: *peccatum est dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei*, Augustin. contra Faustum lib. 22. cap. 27. *Omne peccatum contra mandatum Dei praesumitur*, Bernard. de Praecepto & dispensatione cap. 14. Inter ipsos etiam Romanenses idem censet Vega (confitente ipso Bellarm. l. c. sect. *Respondeo*) lib. 14. cap. 13. scribens: *Distinguunt & alii* (intelligit autem Thomam 1. 2. q. 88. art. 1. & 2. & sectatores ipsius, ut in margine notat) *peccata venialia a mortalibus, qvod haec contra mandata sunt, illa vero leves qvaedam culpae duntaxat,*

xat, praeter ipſa commiſſae. Verum hanc ſententiam permulti Scholaſtici impugnant, & contra mandata illa eſſe affirmant, eorumqve ſententia communior nunc videtur in ſcholis. Vide & propoſitionem primam, qvam paulo infra ponit: *Et decet, ubiqve ut noſtros ſermones & ſcripturis & ſanctorum Patrum verbis attemperemus.* Qvae apud auctorem ipſum lege. Qvibus tamen paulo poſt ſubjungit qvaedam animadverſione digna. Adde Vaſqvez. in 1.2. diſp. 212. cap. 2. n. 5. Eſtius in 2. Sent. diſt. 35. ſect. 2. fuſe probat, tum ratione, tum auctoritate, venialia peccata eſſe contra legem Dei. Immo Joh. Bapt. Desbois, Bellarmini breviator, cap. 14. hujus libri, hanc Bellarmini diſtinctionem non probavit. Vide marginem, ubi ad illa verba, *Et ſi dicantur peccata, venialia ſcilicet, contra legem*, haec habet: *Si enim vere peccata ſunt, qvomodo non contra legem aliqvam? cum peccatum ſit praevaricatio legis.* Et in contextu: Pag.147.) *Nam ſive veniale peccatum ſit ſupra legem* (ſcribendum fuit, *praeter legem*) *ſive contra, nunqvam juſtus, dum venialiter peccat, legem dicetur implere.* Aliis nunc citandis ſupersedeo; exactior enim huius rei conſideratio alterius eſt loci. Loqvendo igitur de abſoluta legis, etiam ſecundum illius rigorem, impletione, non ſunt *duae diverſae qvaeſtiones*, ut affirmat Bellarm. cap. 12. ſect. *At Kemnitius*, utrum praecepta ſervari poſſint, &, utrum poſſit homo vivere absqve peccato, ſed una eademqve. *Neqve unqvam aliter ſenſit Auguſtinus*, in omnibus ſuis contra Pelagium ſcriptis, ut neminem in iisdem verſatum latere poteſt.

Legem tamen consideratam non rigide, sed κατ' ἐπιείκειαν, seu *pro modulo nostro, & viribus, quas in hac vita habemus,* κατὰ μέτρον δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ, ut inqvit apost. ad Eph. 4. 7. & qvoad eum legis praestationis gradum, qvem Deus fœdere evangelico a nobis praecise reqvirit, ut promissae remissionis peccatorum & salutis aeternae participes fiamus, *impleri posse,* negari non potest, neqve etiam debet. Qvicqvid enim Deus alias juxta rigorem a nobis postulare potest, tamen ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν, in Christo, fœdere gratiae nihil postulat, nisi secundum ἐπιείκειαν, & vires, qvas dedit, postulato semper proportionatas. Neqve enim adeo praecise nobiscum agere vult, ut damnare velit, si vel in minimum delictum aliqvod incidamus, vel non in summo perfectionis gradu Deum amemus, sed pro paterna sua bonitate & indulgentia, omnia infirmitatis delicta condonare paratus est, & crimina etiam gravia, si modo seria pœnitentia, & propositum studiumqve ea vitandi non leve, non desultorium, non inaccuratum, sed qvale ipsi Deo probatur, interveniat, ut recte Remonstr. Apol. cap. 17. pag. 158. dicunt: *Hoc totum, qvantum est, gratiae Christi acceptum referimus.*

Hoc clarissime docent scripturae Matth. 11. vers. 30. *Jugum meum suave est, & onus meum leve,* 1. Joh. 5. 3. Pag. 148.) *Haec est charitas Dei, ut mandata ejus servemus, & praecepta ejus gravia non sunt,* Luc. 1. 6. & alia innumera script. loca, qvae

qvae non tantum de potentia, sed etiam de actu legem modo praedicto praestandi, loqvuntur.

De Patrum sententia dubitari non potest, qvi Deum justum & bonum, *simpliciter impossibilia nobis praecepisse* sub pœna damnationis aeternae, constanter negant. Singulorum testimonia hic congerere, ut brevitati consulamus, & qvia res ipsa omnibus, qvi in Patrum scriptis non sunt plane hospites, certissima & clarissima est, non libet. Nos etiam hoc labore levarunt plurimi alii viri doctissimi, non tantum romanae partis, sed etiam Protestantium. Inter alios Gerh. Joh. Vossius Hist. pelag. lib. 5. parte 1. antith. 6. pag. 497. qvi etiam, qvod Bernardus serm. 2. in vigilia natalis Domini, & supra Cantica serm. 50. atqve ante Bernardum Augustinus etiam ipse dixit lib. de Sp. & lit. cap. 36. *Hoc in illa vita complebimus.* & de Actis cum Fœlice manich. lib. 2. c. 11. *Data est enim lex superbis hominibus, &c. Deum impossibilia plena praestitu in hac vita praecepisse,* cum eo, qvod reliqvi Patres, atq; ipse in primis Augustinus contra affirmant, *posse per gratiam legem hic impleri*, haud difficulter conciliari posse, ostendit duplici legis, duplici item virium nostrarum consideratione adhibita. Nota tamen obiter, lector studiose, in hac antithesi pag. 487. (vel 500.) circa finem, sermonem illum 191. de Tempore, qvi ut Augustini citatur, & qvo Hieronymi sententia lib. 1. adversus Pelag. mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus tantum in communi servari posse, ut blasphema & exe-

crabilis damnatur, Augustini non esse, ut putavit Vossius cum aliis, sed libellum qvendam Pelagii, ut observat R. Vsserius in Gottesschalci Historia nuper edita cap. 1. pag. 13. Pro communi Patrum sententia accipe verba Concilii 2. arausic. can. ult. *Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, qvod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, qvae ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, implere.* Vbi adimpletionem intellige non rigidam & exactam, ut saepius monui, sed *pro modo justitiae, qvae huic competit vitae*, ut loqvitur August. lib. de Sp. & lit. cap. 36. Appellant * alii, nec incommode, *perfectionem partium*, qvae statui viae congruit, & *imperfecta qvaedam perfectio* est, (ut loqvitur Pag.149.) Hier. lib. 1. adversus Pelag. *Haec est hominis vera sapientia, imperfectum se nosse ; atqve, ut ita loqvar, cunctorum in carne justorum imperfecta perfectio est*) alteram autem, qvae post hanc vitam erit, *perfectionem graduum.*

Ratione etiam idem efficacissime probatur. Hoc ipso enim potissimum lex seu vetus testamentum ab evangelio seu novo testamento discriminatur, qvod *lex venerit sola*, rigide imperans & exigens ; *evangelium autem non solum*, sed cum gratia, ac proinde juvans, & vires submini-strans idoneas ac sufficientes pro statu viae, ad officia qvaecunqve illo praescripta exeqvenda. Vide Ezech. 36. 26. 27. Jer. 31. 33. Heb. 8. 10. Joh. 1. 17. atqve

* Alii] Vt Gerh. C. C. p. 1528. Fabricius System. theol. 363.

17. atqve alia plurima. Vide & Augustinum compluribus in locis, sed praecipue toto lib. de Sp. & lit. Immo in hoc consentiunt theologi omnes cum veteres tum recentiores, qvi recte, qvae dicunt, expendunt, evangelium sive legem gratiæ, nihil supra vires, qvae a Christo conceduntur, tanqvam ad salutem aeternam assequendam simpliciter necessarium exigere. Et negare, *perfecte hominem, legem Dei sic consideratam implere posse, secundum vires, qvas accepit*, contradictionem plane implicat: hoc enim qvid aliud est, qvam negare, hominem posse, qvod tamen posse affirmatur, sive non posse, & posse?

CAPUT IV.

In qvo doctrina capite praecedenti tradita, fusius ex variorum Protestantium aliorumqve scriptis confirmatur.

IDem docent multi Protestantes doctissimi, aliiqve viri moderatissimi. Ger. Joh. Vossius, saepe jam nobis ante laudatus, Hist. pelag. lib. 5. parte 1. antitith. 5. pag. 482. vel 495. *Patres*, inqvit, (Augustinus scil. & alii africani) *qvi ajunt*, posse aliqvem eo usqve, pervenire, ut servet totam legem, Deumqve ex tota anima & omnibus viribus diligat, *hi considerant legem non rigide, sed κατ' ἐπιείκειαν, pro viribus, qvas habemus in hac vita.* Pag. 150.) *Hoc pacto ex omni-*

bus viribus nostris possumus obedire Deo, quia manifesta esset ἀντιλογία, non posse nos aliquid pro viribus praestare; vel etiam cum sine peccato eos vivere dicunt, illud solum peccati nomine intelligunt, quod vulgi judicio peccatum censetur, quomodo sine peccato vivunt, qui sine querela vivere dicuntur in scripturis. At Patres, qui contra docent, nec sanctissimos, longo tempore obedire posse legi divinae, hi legem considerant κατ' ἀκρίβειαν, ut etiam in peccatorum veniat censum omnis concupiscentiae titillatio, cum levi assensu, & quicquid minus est, quam omnimoda spiritualis vitae perfectio requirit. J. Arminius in Declaratione pag. 320. ad qvaest. propositam: *An fideles sub gratia novi testamenti possunt in hac vita legem Dei perfecte servare?* sic respondet: *Si Deus rigide velit in summo perfectionis gradu legem suam observari, non posse hominem legem Dei perfecte praestare; si vero postulet secundum ἐπιείκειαν tantum, vires collatae sunt postulato proportionatae, quod dicendum est, cum evangelico faedere postulet, posse perfectae servari*; atqve in margine huic qvaestioni hoc ex adverso opponit anterotema: *An Deus a consortibus novi testamenti postulet, ne caro adversus spiritum concupiscat, tanqvam officium gratiae foederis istius respondens, nec ne?*

Remonstr. in Resp. ad Epist. Ministr. Walachrian. pag. 88. 89. *Credunt Remonstrantes*, ab homine perfecte legem Dei & ad amussim praestari in hac vita non posse, nec qvenqvam mortalium praestitisse unqvam, *disqviri tamen patiun-*

tiuntur, an, qvam in evangelico fœdere obedientiam exigit Deus, non secundum justitiae suae rigorem, sed secundum ἐπιείκειαν, eam non possit homo praestare, instructus sufficientibus Sp. sancti viribus. *In cujus problematis affirmativam partem, nonnulli nostrûm propendent.* Iidem Apolog. c. II. p. 130. 131. perfectionem istius praecepti, *Diliges Deum toto corde, tota anima*, qvatenus nobis fœdere gratiae mandatur, Pag. 151.) negant *esse perfectionem arithmeticam* aut *legalem*, sive numeris & gradibus omnibus absolutam, qvae naevos, imperfectiones, imbecillitates omnes praecise excludat, sed *ethicam*, sive moralem tantum esse, aut potius *evangelicam*, qvae ex aeqvo & bono aestimatur, & qvae coram exacto Dei judicio stare non possit, si per exactum Dei judicium rigidissimum judicium intelligatur; nam si judicium intelligatur, qvod ad gratiosi fœderis regulam accurate exactum est, qvodqve juxta eam Deus exigere ac ferre vult, *tum*, inqviunt, *alia ratio est: hoc enim judicium proprie exactum judicium non est.* Et cap. 15. pag. 152. circa finem: *Hac in re* observatio praeceptorum evangelica differt a legali, *qvod haec plena, rigida, & praecisa esse debeat, &, si unum modo interveniat peccatum, nec remissioni nec pœnitentiae locus sit; illa vero, ut plena, praecisa & rigida sit observatio, non requirat, dummodo adsit voluntas, nihil unqvam faciendi contra ullum legis seu praeceptum seu interdictum, & in melius semper proficiendi. Si enim fiat, ut is, in qvo voluntas ista est, incidat in grave ali-*

quod peccatum, interveniente pœnitentia, peccatum istud non imputatur a Deo, & praecedens mandatorum divinorum observatio, propter Christum habetur pro observatione, quæ Deo accepta & grata est. Vi de etiam c. 17. pag. 157. 158.

J. Corvinus in Antimolinaeo. cap. 34. sect. 8. *Diserte*, inqvit, *dico*, (in Antitileno sc. pag. 492.) *me fateri*, neminem esse etiam ex iis, qvi maxime sunt regeniti, qvi ea perfectione legem Dei impleat, aut etiam implere possit, ut ex ea secundum fœdus primum legale, vitam possit accipere: *tantummodo dico*, regenitos per Spiritum Christi, vitam ita posse secundum legem instituere, *ut ad eum obedientiae gradum perveniant, qvem Deus ab illis requirit, ut promissae remissionis peccatorum fiant participes.* Vide etiam c. 35. sect. 2. P. Baro de Praestantia divinae legis lib. 1. cap. 13. pag. 37. 38. idem docet. R. Thomsonus in Diatriba sua cap. 7. haud procul a fine: *Sed*, inqvies, *etiam peccatum omnino vitare jubemur, ergone possumus? Sane lex hujusmodi perfectionem a nobis exigit:* sed evangelii doctrina conatu & bono proposito contenta est. *Et tamen qvis dubitat, hominem in gratia* (pag. 152.) posse se τῆς ἄνωθεν προηγμένης ῥοπῆς, *ut loqvitur Pelusiota*, ab omni graviori peccato & crimine abstinere? *qvamdiu scil. intentus est animus, qvamdiu chorda nullo vitio laxatur in cithara.* Hieron. lib. 2. contra Pelag. & August. serm. 56. de tempore: *Sicut sine minutis peccatis nemo unqvam fuit, aut esse poterit, ita sine capitalibus criminibus, dante & auxi-*

auxiliante Deo, omnimodis esse possumus & debemus.

R. Fieldus in Append. ad lib. 3. de Ecclesia cap. 11. de Justificatione p. 298. doctrinam Stapletoni super hac re de Justif. l. 6. seqventibus propositionibus comprehensam approbat. Propositiones dignae sunt observatu, ideoqve huc adscribere minime piget. Prima: *Renovati & justificati in Christo, gratiam Spiritus sancti accipiunt, qva legem impleant.* Qvam propositionem Stapletonus fuse confirmat c. 2. Secunda: *Hac tamen impletio legis non intelligitur necessario & praecise in omnibus mandatis legis, toto tempore & cursu vitae humanae; sed ille censetur implere legem, satisfacere legi, & in conspectu Dei justus habetur, qui voluntatem & affectum habens implendi, universa legis praecepta eatenus implet, qvatenus humana fragilitas, in reliqviis naturae corruptae, per gratiam adjuta, implere in hac vita vel potest, vel solet.* Hanc propositionem egregie confirmat cap. 3. ex scriptura & Patribus. Tertia: *Omnimoda mandatorum impletio, etsi talis in hac vita ad veram justitiam non reqviritur, ut omni prorsus peccato careat, tamen talis ac tanta est, ut gravibus illis, & letiferis peccatis omnino carere possit, ac debeat, utcunqve levioribus illis & venialibus non careat.* Hanc propositionem copiose probat ibidem. c. 5. Qvarta: *Justitia hujus vitae evangelica, etsi non careat omni prorsus peccato, ideoque ex hac parte perfecta non sit, tamen suo modo perfecta est, qvia id semper agit, ut careat peccato, proficien-*

ficiendo de die in diem. Lege, obsecro, diligenter c. 6. qvo idem uberrime confirmatur. Qvinta: *Justitia bonorum operum in fide, est vera coram Deo justitia, utcunque mixta peccatis & imperfecta, tum quoad universa mandata implenda, tum quoad modum implendi,* Pag.153.) *vereque & plene legi Dei satisfacit, non solum quia* qvam proxime accedit ad plenam & perfectam justitiam, *aut quia* gravioribus saltem criminibus caret, *aut etiam quia id agit proficiendo de die in diem, ut* omni prorsus peccato careat, *& plene satisfaciat, sed adhuc praterea, quia quicquid deest ad plenam & perfectam adimpletionem, mandata prætermittendo, & venialiter frequenter peccando, sive propter imperfectionem, in modo & ratione implendi,* id totum Christi misericordia & gratia indulget atqve ignoscit, *facitque indulgendo, ut perinde simus coram Deo justi, ac si universa ad amussim mandata, eademque perfectissime fecissemus.* Haec propositio, inqvit Stapletonus cap. 8. ut est cognitu digniſſima, & consolatione pleniſſima, ita ab adversariis hodie non negatur qvidem, sed perperam tamen intelligitur. Hanc, inqvam, doctrinam Stapletoni praedictis propositionibus expressam, affirmat Fieldus, neminem Protestantium improbare posse. Conqveritur qvidem ibidem de fraudibus qvibusdam a Stapletono, eodem capite, Protestantibus impactis, circa hanc propositionem; sed qvia ad praesentem controversiam non pertinent, de qvibusdam etiam eorum supra abunde dictum, nunc silentio praeterimus. Tho-

Thomas Mortonus in Appellatione Protest. lib. 5. cap. 12. hac de re agens sect. 3. propositionem illam secundam Stapletoni supra memoratam laudat, & sect. 4. in qvaest. expedienda, hac ipsa distinctione de *observatione legis rigida, & secundum ἐπιείκειαν evangelicam*, uti cogitur, ne scripturis & Patribus apertissime contradiceret. Similiter distinguit Fr. Whiteus contra Fisherum, jesuitam, pag. 524. & 533.

R. Hookerus de Ecclesiastica politia lib. 5. sect. 48. pag. 285. *Certe qvamvis hic immunes esse non possumus ab omni peccato collective, ita ut nulla illius pars in nobis inveniatur*, distributive *tamen, omnia, magna saltem & gravia actualia peccata, sicut se offerunt, unum post aliud, evitari & possunt & debent, ita ut hoc sensu ab omni peccato liberari impossibile non sit.* Et cum huic assertioni, ut & aliis nonnullis, Puritani in putida qvadam ad illum data epistola contradixissent, respondit pro illo Gul. Covellus; (vide Apolog. art. 9.) sed non satis solide. Pag. 154.) Vid. L. Andreas, episc. wintonienſis, in concione super Deut. cap. 23. 9. pag. 190. super Heb. 13. 20. pag. 586. & super Joh. 14, 15. pag. 621, 622. Vorstius in Apologia pro Eccles. orthodoxis disput. 1. pag. 61. scribit: *Impossibilis est nobis* (legis praestatio) *aliqvatenus, etiam sub gratia constitutis, nempe qvatenus hic & praestatio perfectissima, & gratia communis sive ordinaria intellegitur; sed* possibilis *tamen eadem lex est per Dei gratiam, idqve duplici modo, nempe qvatenus neqve respectu communis gratiae, exqvisita perfe-*

ctio

ctio requiritur, neque respectu hujus perfectionis, gratia singularis sive extraordinaria excluditur. Et in Antibell. p. 632. *Evangelici fatentur, praecepta Dei renatis non modo* possibilia, *sed & suo modo* facilia *observatu esse, si modo duae istae conditiones addantur, videlicet primo, non ex propriis suis viribus, sed* ex Dei gratia, *illos haec praestare posse. Et secundo, quicquid defectus in ipsorum obedientia reperitur, id* gratiose a Deo condonari. (Vtrumque admittunt Romanenses) *Alioqui si de nostris ipsorum viribus, deque summe perfecta illa & perpetua morum integritate, quam lex Dei severe requirit, ex professo agatur, non immerito & facilitas ac possibilitas ista negatur. Vbi nota, non quamlibet perfectionem, sed eam tantum,* quae supremi ordinis & numeris omnibus absoluta, (*quae vulgo* perfectio graduum *appellatur*) *renatis in hac vita non simpliciter, sed plerumque & ordinarie denegari*; (Sed, ut hoc obiter dicam, cui, obsecro, mortalium hanc supremi ordinis perfectionem concessam esse certo constat?) *quum alioqui* perfectio partium, *item ea perfectionis species, quae* sinceritas vel integritas *alio nomine vocatur, iisdem* ultro concedatur ab omnibus Evangelicis. Et pag. 633. *Dicimus, omnia Bellarmini argumenta eatenus a nobis admitti, quatenus supra dicta duplex cautio in iis habetur.*

Idem acriter defendit Seb. Castellio tract. inter Opuscula, An possit homo per Spiritum sanctum perfecte obedire legi Dei? atque etiam auctor tractatus de Justificatione in Opusculorum fine

fine (qvi fuit Castellio ipse, ut ex praefatione constat) nisi forte in sententia hac defendenda modum uterqve excedat, qvod faciunt nonnulli hodie fanatici, integris libris contendentes, *hominem exacte legem Dei praestare in terris, saltem posse.* Pag. 155.) Videatur & R. Montacutius in lib. saepe ante memorato contra nuperum controvers. abbreviatorem, articulo 17. p. 122. &c.

Archiep. spalatensis de Republ. eccles. lib. 7. cap. 11. n. 235. scribit: *Ante omnia* impossibile videtur, ut sanus intellectus qviete percipiat, qvo pacto Deus det hominibus leges de se impossibiles, *aut in toto, aut etiam in parte, ita tamen ut ex ea parte, qua impossibile sit eas impleri, culpa & peccatum conjiciatur in hominem, eas plene & perfecte non adimplentem. Deinde in contrarium lego, &c.* Vbi ex plurimis script. locis probat, legis Dei necessariam observationem non esse impossibilem. Et n. 236. *Non videtur igitur dubitandum,* praecepta omnia sigillatim ex ea parte impleri posse, ex qva a Deo proponuntur ut obligativa, sub periculo & pœna damnationis aeternae, *circa crimina nimirum, non circa peccata minora. Qvod si humanae imbecillitati sit impossibilis aliqva particula, seu conditio, & circumstantia perfectae adimpletionis,* eam dicam, aut non esse sub praecepto, *ac propterea, si non adimpleatur, vix ullum esse homini grave peccatum,* aut saltem non imputari. *Et de hac non imputatione intellige Augustinum, ubi ait Retract. l. 1. c. 19.* Omnia man-

mandata facta deputantur, qvando qvicqvid non fit, ignoſcitur. Poſtea ſic pergit archiepiſcopus: *Praeceptum itaqve diligendi Deum ſuper omnia, qvatenus homines obligat, ſatis adimplebitur, ſi homo praeferat Deum omnibus, qvae habet in hoc mundo, etiam vitae propriae, &c. qvod juſti omnes per gratiam praeſtare poſſunt.* Et paulo inferius: *Senſus praecepti,* Non concupiſces, *hic eſſe poteſt: Non concupiſces actu externo, ne fureris, ne occidas, ne mœcheris; ſed nec ſolo aſſenſu voluntatis interno, ne feraris in furtum, homicidium. Atqve hoc* non aſſentiri, *per gratiam poſſibile eſt.* Et n. 240. 241. 242. ad ſcripturae loca, qvae vulgo pro impoſſibilitate praeſtationis legis citantur, fuſe reſpondet, numero autem 239. *ſententiam Romanenſium cum ſententia Proteſtantium facile conciliari poſſe* affirmat, *ſi* nempe *res, qvas utrinqve aſſerimus, non verba, qvibus eas aſſerimus, ponderemus.* Adſcribam auctoris verba, qvia obſervatu digna ſunt: *Nos* (Romanenſes) *volumus, teneri homines ſervare praecepta divina, qvantum cum divina gratia fieri poteſt, & hoc tantum ſub praeceptum cadere;* Pag.156.) *qva vero ex parte non poſſumus ea ſingula ſervare perfecte, dicimus, id non eſſe ſub praecepto, & ita neqve nos peccare in illa imperfectione neceſſaria.* Proteſtantes *dicunt, praecepta ex ea parte, qua poſſibilia ſunt, omnino eſſe ſervanda; ex ea vero parte, qva ſunt impoſſibilia, volunt adhuc, ea transgredi, eſſe peccatum, qvia etiam ex hac parte obligativa eſſe cenſent; ſed tamen hoc peccatum, Chriſti legis obedientia tegi, & nobis non impu-*

imputari. In re ergo ipſa convenimus: idem enim mihi beneficium eſt, ſi in me actio aliqva non ſit ullum peccatum, atqve ſi ſit peccatum, ſed non imputetur. Lege & n. 249. 250.

Atqve haec de hac controverſia ſufficiant, in qva, qvicqvid theologi partium ſtudioſi ultro citroqve diſputent, hoc certum eſt, *Deum lege ſeu fœdere gratiae nihil a nobis praeciſe poſtulare, qvod non per vires collatas eatenus ſaltem praeſtare poſſimus*, ut Deus ipſe clementer & gratioſe propter Chriſtum in hac praeſtatione & obedientia tandem acqvieſcat. *Deus omnia dat*, (inqvit Davenantius, ſcriptor certe non indoctus, ſed in qvibusdam plus ſatis rigidus, in diſp. de Juſtitia actuali cap. 51.) *qvae ſecundum fœdus evangelicum neceſſario pertinent ad ſalutem obtinendam; & tamen non dat in hac vita poſſibilitatem implendae legis.* Qvod ut de ſtricta & ſecundum legis rigorem obſervatione verum eſſe concedimus, ita de praeſtatione & perfectione ea, qvae eſt cum ἐπιεικείᾳ evangelica conjuncta, falſum eſſe, jam ſaepius diximus & probavimus. Sed qvid ego in re plana diutius moror?

CAPUT V.

An omnia juſtorum opera, qvantumvis bona, ſint peccati labe aliqva maculata.

EXiſtimant Proteſtantes rigidiores, manifeſtam ſibi a Romanenſium plerisqve injuriam

am fieri, qvando ipsis impingunt, qvod *omnia omnino justorum opera peccata esse* affirment, & qvidem damnabilia, sive, ut loqvuntur, mortalia. Vide Bellarm. l. 4. de Justif. cap. 15. atqve alibi passim, aliosqve romanae partis scriptores plurimos.

Pag. 157.) Hoc tamen se docere profitentur Protestantes ante nominati, qvod opera bona justorum, etsi vere bona sint, Deoqve placentia, *non sint tamen absolute & pure bona & justa*, atqve sine omni peccati sorde, cum justis, qvamdiu hic vivitur, contagio & infirmitas carnis seu veteris hominis semper adhaerescat, & optimis etiam fidelium actionibus talis peccati macula adhaereat, qvae in mortem etiam aeternam eos pertraheret, si ex rigore legis, sepositа misericordia, eos judicare vellet Deus. Sed missis criminationibus & recriminationibus, partibus nimium familiaribus, de re ipsa candide dicamus.

Ingenue & vere Vega de Justificatione lib. 11. cap. 40. respondens ad verba Gregorii magni in Job. 9. Moral. cap. 1. *Qvia sanctus vir omne meritum virtutis nostrae vitium esse conspicit; si ab interno arbitrio, si districte judicetur, &c.* Et infra cap. 14. *Vt enim saepius diximus, omnis humana justitia injustitia esse convincitur, si districte judicetur*, affirmat, *Si Deus districte opera nostra judicaret, posse dici esse vitia, & justitias nostras esse injustitias: qvia multa, qvae nunc sunt bona opera & justa & meritoria, ad eam sanctitatem & puritatem exacta,*

cta, qva Deo deberemus servire, qvamqve Deus a nobis posset ex rigore exigere, tum propter suam bonitatem, tum propter eximia sua in nos beneficia, vere vitia essent, & mala opera & injustitiae. *Non solum enim verum est*, inqvit, *vitam qvorumvis justorum, multis peccatis venialibus jugiter sordidari & deturpari: sed ipsa etiam perfectorum opera*, a bonitate illa longe deficere, qva deceret nos Deum colere, laudare & honorare. *Sunt qvippe multis imperfectionibus, qvoad hic vivitur, conjuncta, neque tam pura, neque tam sancta & ferventia, qvam magnitudo divinae bonitatis & beneficentiæ in nos exigeret. Et cum Deus modo, propter eximiam suam in nos dulcedinem & suavitatem, ne ad culpam qvidem venialem, eos nobis defectus & imperfectiones imputet, posset tamen culpæ eos nobis tribuere, si districte, & præter suavitatem suam & benignitatem, nobiscum vellet agere.* Et in fine cap. *Multa nunc fiunt a nobis bona opera, & absque ulla macula peccati, qvæ tamen, si Deus districte vellet nobiscum agere, vitia & injustitiae essent, ac mala, & non bona probarentur.* Hæc ille. Petrus Cotonus Instit. pag. 504. *Cum Calvinus scribit*, omnia opera nostra, qvantumvis bona, peccata esse coram Deo, *dicere noluit, id, qvod a Deo in nobis est, bonum non esse:* Pag. 158.) *sed voluit aut debuit docere*, id, qvod in nobis vel actionibus nostris, a nobis est, & non a Deo, nihil esse, praeter sordes. *Qvoniam autem ordinarie aliqvid nostri semper admixtum est cum opere Dei, qvemadmodum videmus scoriam metallo admixtam, propterea*

justitias nostras comparari panno maculato. Atqve adeo dici potest, si considerentur a Deo separatim a meritis Filii, vel sine misericordia examinentur, vindictam potius postulare, qvam remunerationem. Vide Riveti Catholicum orthodoxum, tom. 2. pag. 333. Sed cum Deus semper suaviter & benigne nobiscum agere velit, nec qvicqvam fœdere evangelico, ut saepe supra dictum, exigat, qvod vires gratiæ collatas omnino excedat, certe nimio plus rigidi & hyperbolici sunt Protestantes ii, qvi *præstantissima etiam justorum opera peccato inqvinata, & ex se aterna morte digna*, qvanqvam per Christi gratiam facta, esse contendunt.

Saepe justorum operibus aliqvid peccati immisceri, negari non potest; neqve etiam negant Romanenses ipsi. Audiatur Suarez in 3. tom. 3. disp. 74. art. 9. 83. *Haereticorum*, inqvit, *judicio omnia opera nostra, qvantumvis bona, sunt aliqvo modo coinqvinata, & immunda: qvod licet ita universe dictum verum non sit*, saepe *tamen ita accidere, non est dubium.* Archiep. spalat. vir moderationis studiosissimus, de Rep. eccles. lib. 7. cap. 11. n. 255. *Non negarim tamen*, saepissime, *non tamen semper, infici opus, vel aliqva vanitate, vel fine humano, vel aliis circumstantiis; & tunc non dubito, opus jam fieri peccatum. Bonum enim ex una integraqve causa existit, malum autem ex qvocunqve defectu*, ut est apud * areopagitam, de Div. Nominib. c. 4. p. 216.

De

* Arcopagitam] Dionysium; ut vulgaris fert opinio.

De bonis justorum operibus longe aliter loqvuntur sacrae literae, qvam hujus durissimae sententiae assertores. Illae enim ea sæpe absolute & simpliciter *bona opera* nominant, item *opera lucis*, *hostiae Deo placentes & acceptas*, *vestes mundas*, *puram & immaculatam religionem*, *byssum*; & qvi sancte hic vivunt, *justitiae opera fecisse*, & *vestimenta sua non inqvinasse* dicuntur Apoc. 3. 4. bene etiam operantibus *magna*, ut constat, passim promittitur, cum in praesenti, tum inprimis in seculo futuro, *merces*. *In multis*, inqvit Jacob. 3. 2. *offendimus omnes*. Non igitur in omnibus. Mitto innumerabilia, qvae in hanc sententiam ex scripturis citari possent; de qvibus legantur alii, & ad qvae contra sentientes nihil reponunt, praeter inania effugia. Pag. 159.)

Patres autem ab hac sententia adeo abhorruisse constat, ut ii etiam, qvi Pelagii dogma de perfectione hominis in hac vita acerrime oppugnarunt, licet negaverint, posse hominem justum per omnem vitam, aut etiam longo vitae tempore, omne omnino peccatum evitare, semper tamen concesserint, *aliqvanto saltem tempore*, modo diligenter sibi caveat justus, id praestare posse. De Augustini super hac re sententia, & qvousqve ille progressus fuerit, satis superqve paulo ante (pag. 140.) dictum Hieronymus lib. 3. adversus Pelagium: *Hoc*, inqvit, *& nos dicimus*, posse hominem non peccare, si velit, *pro tempore*, *pro loco*, *pro imbecillitate corporea*, *qvamdiu intentus est animus*, *qvamdiu chorda nullo vitio laxatur in citha-*

ra. *Qvod si paululum se remiserit, &c.* Et rursus eodem libro: *Hoc est, qvod dixeram*, in nostra esse positum potestate, (per gratiam scilicet adjuta) *vel peccare, vel non peccare. Sed hoc pro modo & tempore, & conditione fragilitatis humanae; perpetuitatem autem impeccantiae soli reservari Deo. Nec qvia ad breve possum, cogis me, ut possim jugiter: possum jejunare, vigilare, ambulare, legere, psallere; numqvid in perpetuum?*

Pugnat etiam haec sententia cum recta ratione. Ecqvid fere magis injurioſe & contumelioſe dici potest in Christi gratiam, qvae non tantum a reatu, sed etiam a dominio nativae corruptionis nos liberavit, teste omni scriptura, & omnibus omnino theologis consentientibus, qvam asserere, nos nihilo minus nihil prorsus vel cogitare vel dicere, vel agere posse, qvod purum sit a peccati sorde? Certe, qvi sententiam hanc tuentur, licet sibi videantur omnium maxime Dei misericordiam & Christi gratiam praedicare & laudare, *revera tamen, sed imprudentes, veteris Adami & peccati inhabitantis magis, qvam Christi illiusqve gratiae vires evehunt.* Qvod enim vim gratiae Christi ad aliqvid vel minutissimum & ἐν ἀτόμῳ prope praestandum, (ut si gemens dicam, *abba pater*, vel κύριε ἐλέησον) absqve omni peccati inqvinamento, in futurum tantum seculum, ubi pleraqve, qvae nunc pro statu vitae praecipiuntur, officia cessabunt, rejicere audent, judicet is, in qvo recti judicii vel mica inest, qvam absurdum sit id dictu. Qvam male etiam cum recta

recta ratione convenit, *unum idemqve opus ex duobus principiis tam adversis*, carne scilicet sive naturae corruptione, & spiritu ejusqve gratia, *procedere, ac proinde vere bonum esse* (qvod non inficias eunt, qvi hanc sententiam mordicus defendunt) *& simul carnis vitio pollutum*, Pag. 160.) *dignum praemio*, divina saltem dignatione, *& simul pœna damnationis*! Frustra respondent rigidiores omnes, nihil esse hac in re contradictionis, nisi eadem opera dicantur bona & non bona ad idem, & secundum idem. Davenantius de Justif. cap. 38. pag. 456. caeteriqve manifestam ἀνπλογίαν diversi imaginarii, immo plane contrarii respectus non tollunt, sed potius confirmant. Si enim opus aliqvod est carnis vitio aliqvantulum impuratum, certe non modo non perfecte, sed nec vere & simpliciter bonum esse censeri potest. Nam, ut supra recte ex Dionysii cap. 4. de Divinis nominibus dictum, *bonum opus non existit, nisi ex integra causa, malum vero ex qvolibet defectu vel vitio.* Videantur alii, qvi fusius haec pertractant.

Locus ille Iesaiae cap. 64. 6. vel 10. de *panno menstruato*, vulgo notus, ex qvo potissimum Protestantes rigidiores sententiam suam apertissime & invictissime probari putant, multorum, etiam doctissimorum, Protestantium judicio, ad rem hanc nihil spectat. Lutherus in annot. in Esa. hunc locum affirmat, *sententiam hanc nihil ad hoc pertinere, qvod justitia nostra impura sit:* & recantat, qvod aliqvando (in Assertione scil. art. 3.) illum

sensum usurpaverit, aliumqve assignat sensum. Neqve ad hoc Lutheri testimonium rigidissimi ipsius sectatores qvicqvam respondent, cum a Bellarm. aliisqve oppositum esset, sed tacite praetereunt. Vide Gerhardum L. de Bonis operibus n. 64. & Barth. Battum lib. 3. de Justif. cap. 16. pag. 483. J. Calvinus in eundem locum: *Hic se non nulli*, inqvit, *torqvent, qvod propheta de scelerum inquinamentis loquens, sine exceptione Judaeos omnes exprimat, in quibus tamen nonnulli restabant puri Dei cultores: sed frustra*; qvia non loqvitur de singulis, sed de universo corpore. *Quod cum infra omnes homines abjectum atque* extrema clade affectum esset, *panno sordido comparat.* Et postea: *Hic locus a quibusdam citari solet, ut probent, adeo nihil esse meriti in operibus nostris, ut coram Deo putida & fœtida sint: sed hoc mihi videtur alienum a prophetae sententia*, cum de toto genere humano non loqvatur, *atque eorum querimoniam describat, qui in exilium missi, iram Domini in se sentiebant, ideoque se cum justitiis suis panno inquinato similes esse fatebantur.* Aug. Marloratus in sua Expositione ecclesiastica in hunc locum, verba Calvini recitat, & illius judicium probat. Pag. 161.) Musculus in eund. locum: *Solenne erat huic populo, ut de* justitiis legalibus *plurimum praesumeret, qvasi per illas in conspectu Domini mundarentur. Verum nihilo plus habebant illae mundities, qvam vestimentum immundi hominis. Exponunt alii de omni justitia carnis nostrae. Vera qvidem est haec sententia, puto tamen, prophetam*

tam ista magis ad populi hujus impuritatem *legalibus vocibus accommodasse. Etenim ob id quoque abominabilis in conspectu Dei fuit, quod, cum corde procul abesset ab ipso, omnem justitiam ceremoniis externis citra fidem metiretur.* Vorstius in Antipist. parte 2. pag. 117: *De loco autem Esa 64. tametsi multi aliter sentiunt, non desunt tamen etiam inter nostros, qui in illo explicando facile* adversario assentiantur: *praesertim cum idem propheta cap. 59. similiter hypocrisin aliosque mores impiorum ita describat, ut se quoque illis accensere videatur.* Et in Antibell. p. 735. *Locum* Esa. 64. de panno menstruato, *quem Bernhardus serm. 5. de verbis Esaiae huc accommodat, nos tamen utpote controversum hic omisimus.* Autor (vulgo existimatus Bertius) Epistolæ præfixæ differt. Arminii de vero sensu cap. 7. ep. ad Rom. *Apud Esaiam ecclesia judaica multiplici idololatria, defectione a Deo, aliisque infinitis sceleribus inquinatissima, cum a Deo propter istas fœditates graviter puniretur, lamentabunda querens de gravitate pœnarum, simulque etiam exomologesin faciens peccatorum, fatetur inter cætera,* justitias suas ut pannum menstruatum esse, *designans nimirum optima opera, quae durante publica defectione sua praestiterat. Hic locus vulgo pernitiosa torsione corrumpitur; allegatur enim perpetuo, ac si sensus illius inferret, excellentissima quaeque praestantissimorum Christianorum opera esse, ut pannum menstruatae.* De aliis Protestantibus paullo post dicemus. Archiep. spalat. de Rep eccl. lib. 7. c. 11. n. 255. ait: *Quod vero Esaias clamat, omnes justitias*

esse, ut pannum menstruatae, loqvitur de scelestis & contaminatis illius temporis, & de justitiis legalibus festorum, neomeniarum & sacrificiorum, *tunc Deo odibilium, ut optime explicat Bellarminus, de Justif. l. 4. c. 20.*

Verum est, Bernhardum in serm. 5. de Verbis Jesaiae & serm. 1. in festo omnium Sanctorum, & serm. de Verbis Origenis, Gersonem parte 3. de Consolatione theolog. & qvosdam nuperos romanae partis scriptores, hoc *prophetae dictum ad justitiã etiam sanctissimorum hominum accommodare.* Sed 1. illud praeter prophetae mentem faciunt. Pag. 162.) 2. Licet de toto cursu operum Sanctorum loqventes dicant, & qvidem vere, justitiam nostram in hoc seculo plurimis, qvae illam qvotidie comitantur, peccatis maculari; nemo tamen eorum eo usqve progressus est, ut affirmaret, *omnia omnino opera sanctissimorum, peccato fœdata esse.*

Qvod 2. objiciunt, *opera nostra bona nunqvam hic fieri illa mensura charitatis, qvam ipsa lex exigit*; proinde absentiam hujus saltem perfectionis debitae inesse, labem peccati, optimis etiam renatorum actionibus, aspergere. Resp. Renatorum opera, licet ex ea fidei & charitatis mensura hic non fiant, qvae ab ipsis jure exigi posset, si Deus cum illis rigide agere vellet, ut supra dictum; non tamen idcirco esse omnia peccato inqvinata, *qvia in qvaestione de praestatione legis semper ad mentem Dei praecipientis respiciendum est.* Cum igitur non rigidam & in summo perfectionis gradu legis

legis observationē sic a nobis postulet, sed secundum ἐπιείκειαν tantum, & pro viribus gratiae concessis, ut superiori diatriba fuse demonstravimus; opera, qvae a renatis hie fiunt, *illa fidei & charitatis mensura, qvae fœdere gratiae praescribitur, & nobis possibilis est, atqve in qva Deus gratiose acqviescit*, a peccati macula & reatu omnino immunia sunt. Vnde facile apparet, qvid respondendum sit ad illud Augustini lib. de Perfectione justitiae cap. 15. *Peccatum est, cum vel non est charitas, qvae esse debet, vel minor est, qvam debet*; & ad alia qvaedam, qvae in eandem sententiam tum ex Augustino, tum ex aliis nonnullis Patribus vulgo objicit solent. Peccatum certe esset *minor dilectio, qvam esse debet*, etiam proprie, si Deus nobiscum summo jure agere vellet. Cum autem Deus, miserator generis humani, nunc svaviter & benigne propter Christum agat, peccatum omnino non est stricte loqvendo, sed tantum in lata vocis *peccati* acceptione, pro defectu vel imperfectione. Vide supra, pag. 91. Et audiatur Augustinus lib. de Spiritu & litera c. 36. *Sed dici potest qvaedam justitia minor huic vitae competens, qva justus ex fide vivit, qvamvis peregrinus a Domino: & ideo per fidem ambulans, nondum per speciem. Non absurde dicitur*, etiam ad istam pertinere, ne peccet: *neqve enim, si esse nondum potest tanta dilectio Dei, qvanta illi cognitioni plene perfecteqve debetur, jam culpae deputandum est. Aliud est enim*, totam nondum assequi charitatem, *aliud*, nullam sequi cupiditatem. Pag. 163.) *Qvamobrem debet homo, qvamvis longe minus amet Deum,*

Deum, qvam eum potest amare conspectum, nihil tamen appetere illicitum; sicut etiam in his, qvae adjacent sensibus corporis, potest oculus nullis tenebris delectari, qvamvis non possit in fulgentissima luce defigi. Qvae apud S. antistitem legantur: dignissima enim sunt observatu.

Qvod 3. objicitur, *optimas etiam justorum actiones non vacare motu aliquo malae concupiscentiae*, ac proinde peccati non esse expertes, nae, id falsum est: ut nihil nunc dicam, qvaenam sit illa concupiscentia, qvae praecepto illo, *Non concupisces*, juxta tenorem fœderis evangelici intellecto, ut peccatum vetatur, qva de re supra dictum; & videatur vel locus Augustini jam proxime citatus; nimisqve audax & hyperbolica est illa Davenantii, viri alioqvi perdocti, assertio de Justitia act. cap. 34. pag. 427. *Qvi in bonis suis actionibus* (omnibus,) *hanc peccati* (concupiscentiae scilicet, qvam malum qvinqvies appellat) *adhaesionem non sentit, illum ego nunqvam vel unam actionem bonam edidisse sentio.* Qvam sententiam ipse Ambrosius, qvem eopse loco citat ad illam probandam, manifestissime refellit, lib. de Fuga seculi cap. 1. inqviens: *Freqventer irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum effusio mentem occupat, ut, quod studeas vitare, hoc cogites animoque volvas. Qvod cavere, difficile est homini*, (scil. semper vel diu) *exuere autem* (scil. omnino,) *impossibile.* Fideles hoc qvidem semper agere debent, ut carni in insidiis semper positae, & ad rebellionem natura sua pronae, aditus omnes obstruant, (ut recte

recte Remonstr. in nupera Apol. cap. 11. pag. 128. 129.) ne ad reluctandum incitetur, qvod sine perpetua & solicita cura fieri non potest; *sed in omni opere, etiam hominis sanctissimi, carnem actu reluctari, vel concupiscere adversus spiritum, falsum est.* Natura enim habitus, (gratiae scilicet) id redarguit. Et habitus proprium est, efficere, ut voluntas actiones, qvae antea ei molestae & graves erant, facile & libenter velit faciatqve. Nec apost. ad Galat. 5. 17. affirmat, (ut vulgo rigidiores putant) carnem actu semper in regenitis adversus spiritum concupiscere, sed tantum carnis eam esse naturam, ut, qvando concupiscit, adversus spiritum concupiscat; contra vero, spiritus eam esse naturam, ut non concupiscat, nisi qvod carni contrarium est, ut Remonstrantes loco citato vere ex parte affirmant. Immo ipsa apostoli verba hoc manifeste probant: Pag. 164.) *Caro*, inqvit, *concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: haec autem inter se sunt opposita, ut non, qvaecunqve vultis, ea faciatis: Non enim* (ut recte Staplet. de Justif. lib. 6. cap. 20. circa finem) *dicit apostolus, nos* nulla *prorsus facere, qvae volumus, sed* non omnia *facere, qvae volumus. Hoc enim non est facere, qvaecunqve volumus facere. Qvia videlicet interdum etiam, qvod nolumus, id facimus, scil. concupiscimus.* Damus ergo libenter, carnem seu carnis concupiscentiam saepe in regenitis adversus spiritum moveri, in qvibusdam saepius, in aliis vero minus saepe, pro majori vel minori in gratia profectu; sed sem-

semper & necessario in omnibus etiam obluctari spiritui, negamus. Qvaedam enim ab iis saltem, qvos scripturae *adultos*, & (comparate, ratione imperfectiorum) *perfectos* vocant, absqve omni lucta & animi aegritudine, immo cum magna laetitia fieri, negari non potest. Reclamat enim scriptura compluribus in locis; reclamat etiam ipsa multorum fidelium experientia assertioni contrariae.

Sententia haec rigida multis etiam doctissimis Protestantibus aliisqve viris moderatissimis semper improbata fuit. Zwinglius in Expositione fidei tom. 2. fol. 558. ait: *Ex nostris qvidam* (Lutherum aliosqve nonnullos cum illo sentientes intelligit) παραδόξως *asseruerunt, omne opus nostrum esse abominationem.* Jacobus Covetus, verbi minister in ecclesia gallica Basil. in Apol. de Justif. contra A. Lescaleum, ejusdem ecclesiae seniorem, (lege, lector, narrationem brevem litis hujus ortae Basileae anno 1590. impressam Paris. anno 1597. in qva certe miser hic homo miserrime, ut qvod res est dicam, ab adversariis suis habitus fuit) pag. 78. *Interea tamen, ex qvorundam bonorum virorum consilio, jam mihi est admonendus lector, nobis nunqvam in mentem venisse, ea sententia, qvae extat Es. 64. v. 6. abuti adversus bona opera, in qva dicuntur omnes justitiae nostrae similes esse sordidissimo panno, qvasi id, qvod bonum est in bonis nostris operibus*, & a Spiritu sancto proficiscitur, vellemus pro re sordida & immunda haberi. *Qvod si qvis superbia inflatus, sua opera Deo offerre velit, qvasi*

legi

legi & justitiae ejus satisfacientia, ut scil. illorum merito coram ipsius tribunali justificetur, futurum, ut Deus illa in exquisitissimo justitiae suae speculo considerata, non puriora esse judicet, qvam est pannus menstruatae. Nec dicimus simpliciter, *bona nostra opera coram Deo consistere non posse, immo speramus fore, ut propter ejus misericordiam subsistant.* Pag. 165.) Multa hic aliena & impotentia admisceri vides, lector, negari non tamen posse, qvin bona opera nostra, juxta legem Dei, τῆ ἐπιεικείᾳ temperatam, Deo grata sint, atqve in extremo judicii coram throno gratiae consistere possint.

Arminius in Articulis perpendendis tit. de Operibus bonis fidelium: 1. *An de bonis operibus fidelium vere dicatur, immunda esse instar panni menstruurtae, eisqve competat dictum illud* Esa. 64. 6. vel 10. Omnes justitiae nostrae sunt, sicut pannus menstruatae? 2. *Quo sensu recte dicatur, fideles in qvovis opere bono peccare mortaliter?* In cap. 7. ad Rom. p. 11. *Regenitus, non qvae carni & concupiscentiae adlubescunt, sed qvae Deo grata sunt, facit. Non semper tamen citra interruptionem; impingit enim aliqvando, labitur, aberrat, peccat, sed subinde & plerumqve.* Et pag. 90. *Inspicianttur interpretes nostri,* Calvinus, Musculus, Gualterus, &c. *& constabit, totum istum locum Esa.* 64. v. 6. *etiam qvod ad antecedentia, male a multis citari ad probandum, qvod volunt.* Remonstrantes in Considerationibus circa Confess. belgic. in art. 24. *Vbi locorum scriptura docceat,* non posse a nobis praestari bona

bona opera, qvae non sint carne inqvinata & pœna digna? *An non distingvendum sit inter imperfectionem & inqvinationem? An tituli, qvibus sancti eorumqve opera insigniuntur, in scripturis cum hisce inqvinationibus rite conveniant? An ergo fideles in qvolibet opere mortaliter peccent?* Vide scripta historica Remonstr. pag. 95. Et in Consider. in cateches. heidelberg. ad Esa. 64. Resp. 62. *An opera regenitorum, qvamvis ex ea fidei & charitatis mensura non fiunt, qvae ab ipsis jure exigi posset, peccatis inqvinata esse merito dici qveant? Cum in scripturis passim opera bona insignibus elogiis ornentur. An non responsionis verba respicere videantur ad locum Esa. 64. & an is ad rem hanc faciat?* pag. 113. Et rursus pag. 126. *Quo scripturae loco probabitur, praestantissima nostra opera esse peccatis inqvinata? Et num locus ex Esa. 64. citatus ad marginem catechismi, id citra contradictionem doctorum ecclesiasticorum evincat? Qvaeri etiam posset, qvandoqvidem Abrahamus ad mandatum Dei, immolando filium, praestitit obedientiae opus, peccato illud opus fuerit inqvinatum?* Pag. 166.) Et rursus pag. 131. eadem legere est: *Annon locus Esa. 64. de panno menstruato, inepte ad supra dicti probationem adferatur, qvippe cum vel ad* justitias legales, *vel* irregenitorum, *vel* peccata populi, *a doctoribus reformatis communiter accommodetur; immo ipse Calvinus & Marloratus suis ad eum commentariis qvasi ex professo hunc sensum impugnent?*

Jo. Corvinus in Antimolinaeo cap. 32. pag. 520. sic Molinaeum alloqvitur: *Ipse statuit, non tantum ethnico-*

ethnicorum, sed etiam regenitorum opera peccatis mortalibus inqvinata esse, qvae defectus suos habere nos etiam non negamus. Gerard. Jo. Vossius Hist. pelag. lib. 5. parte 1. fuse ex Patribus contra Pelagium differens de imperfectione sanctorum in hac vita, sese intra terminos a Patribus positos semper continet, *neminem* scil. *per gratiae vires tota vita, aut etiam longo ejus tempore peccatum omne evitare:* neqve illos unqvam egreditur. Vorstius in Scholiis alexicacis contra Sibrandum pag. 180. *Addis, omnia, etiam sanctissimorum, opera multis peccatis contaminata esse; idqve probare niteris locis illis Esa. 64. 6. Dan. 9. 18. Sed, praeterqvam qvod nimis hyperbolice loqveris, etiam probatio neutra qvidqvam valet. Nam prior locus* &c. Et rursus pag. 182. *Multa hic aliena & impertinentia accumulas, ut fidem semper inqvinatam esse in hoc seculo ostendas. Non enim seqvitur,* qvia cognitio qvaedam hic imperfecta est, ideo fiduciam qvoqve obseqviosam, (*qvae certe notitiam rerum necessariarum praeexigit*) peccatis semper contaminatam esse; *cum neqve omnis imperfectio peccatum sit, neqve omnis cognitio ad essentiam fidei salvificae requiratur. Multo minus seqvitur,* qvia sancti qvoqve interdum labuntur, & qvia ipsi Apostoli aliqvando (*ante Spiritum sanctum acceptum*) modicae fidei fuerunt, ideo & illorum fidem perpetuo inqvinatam esse, *& istos in fide semper debiles fuisse, & qvidem necessario.*

Autor epistolae, praefixae dissertationi Arminii in 7. ad Rom. *Hic locus,* ait, *Es. 64. allegatur perpetuo, ac si*

sensus illius inferret, excellentissima qvaeqve praestantissimorum Christianorum opera, ac proinde etiam ardentissimas preces in nomine Christi fusas, eleemosynas ex animo vere & intime misericordia commoto praestitas, denique & martyrum propter Christum ad sanguinis fusionem usqve obitum, esse ut pannum menstruatum, h. e. foeda. Pag.167.) Autor tractatus de Justif. qvi extat in fine opusculi Castellionis pag. 42. *Sic isti* (rigidiores scil. contra qvos disputat) *omnem hominis justitiam in hac vita imperfectam & porro vitiosam esse tradunt, qvia vel ipsa fieri major possit, vel alia major inveniatur. Hanc ob causam nullam cujusqvam in hac vita justitiam dignam esse, qvae in Dei judicio justitiae nomen obtineat.* Hanc sententiam ego dico esse plus qvam stoicam. Consule autorem ipsum, qvi in perfectione nostrae justitiae in hac vita asserenda modum videtur excedere, ut supra monui. Anonymus ille scriptor, (de qvo p.161.) adversus qvem Beza Apologiam pro Justif. scripsit, multis argumentis contendit, *optima regeneratorum opera non esse impura & malo admixta.* Bezae certe responsiones minus solidae sunt, nec satisfaciunt argumentis oppositis.

R. Montacutius contra qvendam rom. partis controvers. breviatorem, art.17. pag.122. *Nemo*, inqvit, *renatorum per ordinariam gratiae mensuram unqvam vel observavit, vel etiam observare potest omnia Dei mandata, in omnibus & singulis, & omni tempore.* Aliqvando potest, in qvibusdam particularibus, vel forte in omnibus partibus aliqvo tempore

tempore, vel in aliqvibus omni tempore. Archiep. spalat. de Rep. eccles. lib. 7. cap. 11. n. 255. *Bonum opus ab homine ex charitate & divina gratia factum, etiamsi vix possit adeo perfectum esse, qvin illi aliqvid desit integritatis & summae puritatis*, in suo genere *tamen potest esse ita bonum, ut Deo gratum sit & acceptum. Talis fuit strages, qvam Phinees exercuit, Deo acceptissima. Tale templum a Salomone extructum, Deo gratissimum. Talis Apostolorum praedicatio, & innumerae humanae bonae actiones propter Deum factae, in scriptura laudatissimae.* In multis *qvidem offendimus omnes, Jac. 3. 2.* Ergo non in omnibus. *Ergo multa adhuc sunt vere bona opera & Deo placentia. Asserere ergo*, omnia nostra opera esse peccata mortalia, *meas plurimum laedit aures.* Pag. 168.) *Non negarim tamen*, saepissime, *non tamen semper, &c.* Verba supra habes p. 158. Legatur totus hic numerus apud autorem ipsum, in qvo, ut in plerisqve aliis hodie controversis dogmatis, magnum concordiae inter partes procurandae studium ostendit. Erasmus tom. 9. de Lib. arbitr. contra Lutherum pag. 1020. *Qvum audio, adeo nullum esse hominis meritum*, ut omnia, qvamvis piorum hominum, opera peccata sint, *hyperobole est, Lutheri scil. Qvomodo toties legis*, sanctos plenos operibus bonis feciisse justitiam, ambulasse rectos coram Deo, non declinasse ad dextram, nec ad sinistram, *si, qvicqvid agunt etiam eximie pii, peccatum est, & tale peccatum, ut ni subveniret Dei misericordia, demersurum esset in tartarum eum, pro qvo mortuus est Christus?*

Verum, ut concludamus, *nulli quidem justorum de ullo opere bono nimium gloriandum est*, qvasi rigidissimum Dei judicium sustinere possit: sufficit, judicium Dei gratia & misericordia propter Christum temperatum sustinere posse; neqve tamen, qvod alterum extremum est pariter nobis vitandum, gratiae Christi adeo simus ingrati & injurii, ut inficias eamus, *per illius vires qvicqvam omnino hic a nobis praestari posse, qvod non sit peccato aliqvo modo inqvinatum.* Medium tenuere beati.

CAPUT VI.

Qvo paucis, an bona opera, justificent, & de loco famoso ac celebri Jacob. 2. 24. in primis disseritur.

PErperam a Protestantibus rigidioribus rejicitur distinctio usitatissima *justificationis in primam & secundam.* Nam, ut de justificatione prima, qvae in omnium praecedentium peccatorum remissione, & gratiae sanctificantis donatione posita est, nihil nunc dicamus, cum de ea sacrae literae passim loqvantur, & nos satis superqve lib. 2. dixerimus, necessario etiam agnoscenda & admittenda est justificatio secunda, qvae consistit in progressu, augmento, & complemento (pro statu viae) justitiae primum donatae, & in remissione eorum delictorum, in qvae qvotidie justi incidunt. Pag.169) De hac loqvuntur scripturae Apoc. 22. 11. *Qvi justus*

stus est, justificetur adhuc. Jacob. 2. 21. ubi dicitur *Abrahamus justificatus ex oblatione filii*, cum tamen diu antea justificatus fuisset; & plurimis aliis in locis, de qvibus videantur controversiarum tractatores. De Patrum sententia hac in re qvis dubitet? Rigidioribus enim Protestantibus ulterius hic progressi videntur, qvam par sit: sed falso, ut paulo post dicemus. Ratio etiam idem non modo svadet, sed & fateri cogit. Cum enim justificatio homini, coram deo, secundum communem omnium, & Protestantium, sententiam, sit remissio peccatorum, & hominis in Dei gratiam acceptatio propter Christum; certe qvanto magis homines in fide viva illiusqve operibus crescunt & proficiunt, tanto magis coram Deo justi, illiqve grati & accepti, ejusqve, ut scriptura loqvitur, amici sunt, & qvotidianorum delictorum veniam facilius hic conseqvuntur, atqve etiam majorem in seculo futuro, ex immensa Dei benignitate, mercedem accipient. Nimis igitur absurda est illorum rigidorum Protestantium sententia, qvi non tantum cum caeteris rigidis a justificationis ratione formali inhaerentem in nobis justitiae habitum, & emanantem ex eo operum justitiam omnino excludunt, sed etiam *Deum omnia peccata praeterita & futura simul & semel remittere in justificatione nostri*, asserunt.

Justificatio certe *actus est continuus*, qvi est & durat, qvamdiu vivae fidei actus durant; interrumpitur vero semper & toties, qvoties illi cessant, christianae pietatis officio contrarium postulan-

te. Et qvod, sicut qvotidiana est offensio, ita qvoqve remissio qvotidiana sit, ut loqvitur apud August. tom. 4. auctor libri de Vera & falsa pœnitentia cap. 5. diserte docet Calvinus ipse Instit. lib. 1. cap. 14. sect. 10. 11. 12. lib. 9. cap. 1. sect. 21. 22. 23. Bucerus in Defensione reformationis cap. 13. pag. 85. 86. Vrsin. in Catech. palatin. ad petitionem orat. dom. *Remitte nobis debita nostra*, qv. 3. *Cur petenda sit nobis peccatorum remissio?* Pareus de Amissione gratiae lib. 1. cap. 7. pag. 73. 74. Zanch. in epist. ad Dav. Chamierum p. 85. impress. hanov A. 1609. G. Dounamus de Fœdere gratiae c. 8. pag. 109. 110. Pag. 170.) R. Abbotus contra Thomsoni diatribam cap. 24. pag. 211. Gerar. Jo. Vossius disp. 2. de Sacramentorum vi & efficacia, n. 44. *Justificatio & sanctificatio sunt actus qvidem perpetuus, in qvo & Deus semper donat, & homo semper accipit.* Synopsis pur. theol. disp. 33. de Justificatione hominis th. 4. Jacklonus de Fide justificante. sect. 2. cap. 8. pag. 256. edit. 2. Perkinsius in Exposit. orat. dom. *Dimitte nobis debita nostra.*

De secunda justificatione paulo rectius, qvam alii sentiunt & loqvuntur, seqventes autores. R. Fieldus lib. 3. de Ecclesia in append. cap. 11. de Justif. pag. 298. *Affirmat Stapletonus*, (lib. 6. de Justif. c. 8.) *ex sententia Protestantium, nec operationem virtutum, aut obedientiam mandatorum ad secundam justificationem sive ad augmentum, cursum, & processum, & perfectionem justitiae aliqvid valere. Sed calumnia est: illi enim* justificationem secun-

cundam statuunt duabus constare partibus, *qvotidiano scil. in bene agendo progressu, qvo justitia inhaerens magis magisqve perficitur, & qvotidiana remissione vitiosorum defectuum, qvi in actionibus nostris inveniuntur.* Idem repetit eod. cap. pag. 312. Montacutius contra nuperum controversiarum breviatorem, art. 18. pag. 142. qvi tamen saepe sibi non constat. Vorst. in Schol. alexic. pag. 214. justificationis augmentum & complementum contra Sibrandum pluribus urget. *Qvid*, inqvit, *justificatio hominis coram Deo aliud est, qvam receptio illius in hujus gratiam & amicitiam? Qvanto igitur magis haec, tanto magis & illa proficere atqve augeri indies potest, ac solet. Augescit autem haec pro augmento fidei; ergo & illa. Fides denique augescit cum operibus, & ex operibus perficitur, ut ante ex apostolo audivimus. Ergo qvo magis opera bona crescunt, & proficiunt, eo magis ipsa justificatio in hominis animo, immo & coram Deo, perficitur.*

Qvod ad locum Jac. 2. 24. unde clarissime probatur justificatio ex operibus fidei tum prima tum secunda, ut paulo post dicemus, respondent multi Protestantes, justificationem apud Jacobum necessario intelligendam esse *de ostensione justitiae apud homines, non de vera justificatione coram Deo*, ne scilicet Jacobus Paulo directe contradicere videatur. Pag. 171.) Id autem falsum est, ut ex tota serie contextus apostolici manifeste patet: 1. enim qvaerit apostolus in disputationis principio v. 14. *Qvae utilitas, si fidem dicat aliqvis habere se, opera vero non habeat? num potest fides illa*

eum servare? De ipsa salvatione, qva coram Deo homo vere servatur, & non de ejusdem tantum ostensione, qvis ambigit, *servandi* verbum hic accipiendum esse? Neqve igitur aliter verbum justificandi postea in eadem disputatione aliqvoties usurpatum intelligi debet aut potest, qvam de ipsa coram Deo justificatione: secus enim apostoli disputatio secum ipsa convenire non posset. 2. Qvae versu 15, 16, 17, 20, & 26. loqvitur apostolus *de inutilitate charitatis tantum verbalis, & de fide absqve operibus mortua, & de corpore mortuo sine spiritu*, clarissime demonstrant, apostolum hoc unum agere, ut fidem sine operibus, sive fidem mortuam, ad justificandum & servandum coram Deo, prorsus inutilem & inefficacem esse doceat. 3. Qvod versu 21. 22. loqvitur apostolus *de justificatione Abrahami ex operibus*, non esse accipiendum de sola justitiae apud homines declaratione, sed de ipsa coram Deo justificatione, evidenter probatur ex versu 23. ubi apostolus expresse affirmat, impletam esse scripturam, qvae affirmat, *fidem* (vivam & operosam scilicet) *ipsi ad justitiam imputatam fuisse, & ipsum amicum Dei vocatum*, vel pro amico a Deo habitum fuisse per illam justificationem. Neqve aliter intelligi potest alterum etiam, qvod ad propositum confirmandum affertur, exemplum vers. 25. de *justificatione Rahab ex operibus*. 4. Qvod versu 24. dicitur, *videtis igitur, ex operibus justificari hominem, & non ex fide tantum*, de declaratione justitiae apud homines intelligi non potest, nisi dicamus, declarationem illam

illam fieri non tantum per opera, sed etiam per ipsam fidem; qvod fieri non posset, cum nemo alterius fidem, utpote in corde absconditam, videre possit, in se scilicet & per se: per opera tantum eam licet videre aliqvo modo, (ut recte Piscator in locum) non infallibiliter qvidem, ut scilicet viva & efficax est, sed probabiliter tantum. Vnde versu 18. dicitur: *Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis.*

Pag. 172.) Veteres semper intellexerunt locum hunc de vera justificatione coram Deo, ut saepe ante diximus, & paulo infra plenius dicemus. Protestantes etiam permulti idem censuerunt. Vide Bullinger. in locum, Piscator, alioqvi rigidissimus, in Analysi capitis vers. 21. *Non est necesse*, inqvit, *ut dicamus*, justificari *hic idem esse, qvod justificatum esse declarari apud homines. Etenim Jacobum loqvi de justificatione Abrahae coram Deo, planum est tum ex qvaestione proposita, qvam exemplo Abrahae confirmat, tum ex loco illo Genes. 15. qvem de justif. Abrahae citat; is enim locus citra controversiam intelligendus est de justificatione coram Deo, ut liqvet ex epist. ad Rom.* Vide eund. etiam ad vers. 24. Pareus post sententiam de homonymia in verbo *justificandi* apud Jacobum, pro justificationis scilicet ostensione coram hominibus, diu & acriter defensam in Comment. ad Rom. 3. dub. 9. & contra Bellarm. hoc l. cap. 18. in Commentario tamen, qvem paulo ante mortem anno 1621. in epist. b. Jacobi evulgavit, hujus sententiae infirmitatem clare vidit. In praefatione

enim ad Piscatorem ita inqvit: *Ad conciliandam apparentem Pauli & Jacobi* ἀντιλογίαν, *tam ipsis* (Romanensibus) *qvam nobis sufficiet ostensio* aeqvivocationis in voce fidei, *& neqve nobis, neqve ipsis necesse erit,* ὁμωνυμίαν *in verbo* justificandi *ulterius urgere.* Et in Comment. ad vers. 21. cap. 2. *Paulus negat hominem operibus justificari, h. e. a peccatis coram Deo. Jacobus affirmat,* hominem operibus justificari, *hoc est, justum declarari coram mundo. Haec conciliatio etiam sustineri potest* (vide, lector aeqve, qvam frigide nunc loqvatur) *prout in Comm. nostro ad Rom. cap. 3. dub. 9: & ab interpretibus aliis saepe ostensum est. Est vero etiam,* inqvit, *alia conciliationis ratio, ex textu evidens & solida.* Priorem igitur sententiam nec evidentem, nec solidam esse, satis perspexit. Ita secundae curae sapientiores esse solent. Remonstrantes in Apologia cap. 10. pag. 113. *Nec evadunt hunc ictum censores, qvando locum hunc Jacobi cap. 2. 24. pro more suo, de* declaratione justificationis *intelligendum esse dicunt. Nam praeter multa alia, ipsa verba, qvibus negatur,* hominem ex fide tantum justificari, *id perperam dici evincunt.* Pag. 173.) *Qvis enim adeo vecors fuit isto seculo, qvi cum apostolo contendere voluerit, an homo justificetur i. e. declaretur justus ex fide tantum? Fides enim, qvatenus fiducia est, & distincta ab operibus pietatis, non est nisi in corde hominis.* Vorstius in Schol. alexicac. pag. 253. & aliqvot seq. & pag. 271. 272. fuse hac de re contra Sibrandum differit. Jacksonus de Fide justificante sect. 2. cap. 6. n. 1. pag. 209. 210. edit. primae,

primae, hanc prolixe sententiam improbat & refellit. Downamus Theol. pag. 508. Guil. Pemblius in tract. de Justificatione, sect. 6. cap. 1. pag. 191. 192. & sect. 6. cap. 2. pag. 211. Bucerus in Defensione reform. c. 15. p. 89. 90.

Qvod 1. permulti Protestantes, ad tollendum hanc apparentem Apostolorum ἀντιλογίαν, affirmant, *secundum Paulum, hominem justificari sola fide, nempe operante per charitatem; secundum Jacobum, hominem non justificari sola fide, seu tantum fide, nempe otiosa & mortua, & inani potius fidei simulacro, qvam fide*; sic nullam esse ἀντίφασιν, qvia de diversa fide loqvantur apostoli, nae illud nihil solidi habet. Nulla enim omnino inter Apostolos ἀντιλογία lectori oculato vel videri potest esse. Verissime enim passim b. Paulus docet, hominem fide justificari absqve operibus legis, sed nunqvam & nusqvam excludit a justificatione nostri, opera in fide Christi fundata, & ex ea profecta: ut satis superqve lib. 1. probatum dedimus. Intellexit igitur semper, *ex fide viva & qvatenus viva est, nos justificari. Atqve hoc ipsum est, qvod b. Jacobus hic, sed Paulo clarius & distinctius affirmat, hominem ex operibus justificari, & non ex fide tantum.* Eadem est fides, considerata ratione formali fidei, de qva uterqve loqvitur apostolus: Sed Paulus habita ratione fidei, ut actu justificat, & servat, *fidei* nomine & ambitu etiam opera, interna saltem, ex fide orta, & ad justificandum hominem omni-

omnino necessaria, complectitur; Jacobus vero distincte & explicite de fide & operibus ex ea natis loqvitur, atqve sic ait, hominem ex operibus justificari, & non ex fide tantum. Vbi frustra ad evadendum argumenti ictum, *particulam* μόνον *jungi volunt cum nomine* πίστεως proxime praecedente, qvasi dixisset apostolus, οὐ δικ ἐκ πίστεως μόνον, *i. e.* inqviunt, μόνης, Pag. 174.) *non ex fide solum, i. e. sola vel solitaria & operibus vacua*; non autem cum verbo δικαιῶται, ne scil. fide simul & operibus nos justificari dicamur. Nam sententia b. apostoli, tota disputationis serie diligenter perpensa, luce meridiana clarior est: *Videtis igitur, qvod ex operibus justificatur homo, οὐ δικ ἐκ πίστεως μόνον i. e. οὐ δ μόνον ἐκ πίστεως. Fidem autem, de qva loqvitur Jacobus, non esse inanem tantum fidei professionem, aut* vanum fidei simulacrum, ut illi volunt, *sed veram fidem esse*, seu verae fidei essentiam habere, ex eo abunde patet, qvod, licet absqve operibus *inutilem & mortuam esse* eam dicat Jacobus, *i. e.* inefficacem ad justificandum & servandum, tamen, si bona adsint opera interna & externa, qvando fieri possunt, diserte dicat, hominem ex ea fide justificari, *eam operibus cooperari, & ex operibus consummari seu perfici, i. e.* non tantum, ut interpretantur, ejus integritatem & sinceritatem apud homines declarari, sed, qvando adjuncta habet opera plene, tum demum coram Deo ad justitiam & salutem, ex immensa illius propter Christum mise-

misericordia, valere, deniqve tunc vivam seu vivificam esse, qvae ante non nisi mortua fuit. Haec de inani fidei professione aut fidei umbra, ubi deest vera fides, in genere scil. fidei, vere enunciari non posse, qvis non videt? Sed de vera fidei ratione seu definitione abunde lib. 1. disputatum est. *Opera ipsam fidei essentiam ingredi*, maxime ἀθεόλογον est, & dictu perabsurdum.

Qvod 2. qvando apostolus vers. 21. 24. 25. justificationem diserte operib⁹ tribuit, multi Protestantes ante nominati affirmant, *per opera synecdochice seu per metonymiam effecti intelligi ipsam fidem, opera bona parientem, & illis conspicuam:* qvam rationem conciliationis Apostolorum Dav. Pareus in Comment. in locum ait ex textu evidentem & solidam esse, inane tantum effugium est. Sic enim apostoli sensus erit, uti illum effert Piscator in locum: *Homo justificatur ex operibus, i. e. ex tali fide, qvae conjuncta sit cum operibus, & non ex fide tantum, i. e. non autem ex fide, qvae operibus caret.* Hunc sensum verborum apostoli, Deus bone, qvam insolentem & absurdum, ut tueatur, non veretur taxare hanc apostoli locutionem, ut impropriam: *Qvare*, inqvit, *hic est impropria locutio: Neqve enim sensit Jacobus, fidem & opera, tanqvam duas diversas causas concurrere ad effectum justificationis producendum.* Pag. 175.) Certe, qvi hunc scripturæ locum sic interpretantur, scripturam tantum παρεβλέσθαι, ut inqvit Petrus 2. ep. cap. 3. & detorqvent

qvent ad dogmata præconcepta mordicus tuenda. *Est dura catachresis*, inqvit durissimus & rigidissimus scriptor Sibrandus (Lubbertus) in Comment. ad errores Vorstii pag. 715. hanc Piscatoris aliorumqve glossam refellens, *opera per metonymiam effecti ponere pro fide, neqve, qvod sciam, in scriptura locum habet.* Qvum toties hic emphatice & contradistincte *fides* & *opera* ab apostolo nominentur, praesertim vers. 24. ubi dicitur, *hominem ex operibus justificari, non ex fide tantum*; per *opera*, non qvae semper hic intelliguntur & appellantur opera, ut qvod *Abrahamus filium obtulit, &c.* sed fidem tantum intelligere, qvae conjuncta sit cum operibus, nullo tamen modo ad justificationem concurrentibus, sed justificationem tantum conseqventibus; & per *fidem*, fidei tantum umbram, non autem veram secundum fidei rationem fidem, peregrinum & admirabile est interpretamentum. Et, si hujusmodi in scripturarum interpretatione pro libitu fingantur & admittantur tropi, qvid certi in religione nobis relinqvetur?

Qvod 3. Bellarm. cum permultis aliis Romanensibus, (de qvibus vide Suarez. de Gratia lib. 8. cap. 22. n. 13.) ad hos Apostolos conciliandum, affirmat, *Paulum de prima tantum justificatione loqvi*, qva homo scil. ex impio fit justus; *Jacobum de secunda*, qva justus efficitur justior: & ideo recte Paulum dicere, *justificari hominem sine operibus*; Jacobum, *justificari ex operibus*, id reji-

ciunt,

ciunt, & prolixe refellunt multi alii doctissimi Romanenses, ut Gabr. Vasqvez in 1. 2. tom. 2. disput. cap. 8. Cornelius a Lapide in cap. 4. ad Rom. vers. 3. *Melius*, inqvit, *censent alii*, tam Paulum, qvam Jacobum de utraqve justificatione, prima scil. & secunda, loqvi. *Primo, qvia uterqve producit justificationis Abrahæ exemplum; hac autem* justificatio Abrahae *tam de prima quam secunda accipi debet. Secundo, qvia Jacobus profert exemplum Rahab, qvæ impia erat & meretrix. Ergo cum ipse ait.* eam adeptam esse justitiam, *primam intelligit.* Estius in cap. 2. Jacobi vers. 21. *Qvod aliqvi pro conciliatione dicunt*, Paulum agere de prima justif. & Jacobum de secunda, *parum solide videtur dici: nam & ad primam justificationem opera fidei reqviruntur, de qvibus loqvitur Jacobus:* Pag. 176) *& ad secundam justificationem inutilia sunt opera legis, de qvibus Paulus.* Suarez de Gratia, l. c. n. 19. *Multi graves autores putant, utrumqve apostolum loqvi de utraqve justificatione.* Bellarminus ipse, qvi contendit, *Jacobum loqvi de secunda justificatione*, affirmat tamen, *probabile esse valde, Rahab* (cujus exempli meminit Jacobus) *usqve ad illud tempus, qvo suscepit nuncios Josuae, fuisse non solum meretricem, sed etiam infidelem: Sed ab eo tempore credidisse in Deum, & tum primum justificatam.* lib. 4. de Justif. c. 18. sect. ult. Multo rectius Suarez n. 15. *Verisimilimum est*, qvando Rahab nuncios suscepit, & alia via ejecit, jam fuisse justificatam a peccatis, *& vocari* meretricem, *qvia talis antea fuerat*,

fuerat, & fortasse in populo talis esse credebatur; non qvia coram Deo in illo statu, vel peccato, adhuc permaneret. Id ipsum etiam censent multi Protestantes contra alios rigidiores, qvorum nomina & testimonia brevitatis causa nunc omitto.

Nulla igitur alia solida Jacobi verba explicandi & cum Paulo conciliandi ratio relinqvitur, qvam haec, qvam supra saepe exposuimus, *Paulum a negotio justificationis excludere tantum bona opera, qvae fidem Christi praecedunt, & ex sola legis cognitione profluunt.* Qvandoqvidem contra Judaeos illi instituta erat disputatio, qvi legem sibi ad justitiam & salutem sufficere existimabant. *Jacobum vero de operibus loqvi fidem consequentibus, & ex illa natis, atqve ab ea directis*; sine qvibus utiqve (ut recte Estius in locum) fides inutilis est. *Ex hujusmodi igitur operibus*, inqvit ille, *homo justificatur*, tum. qvia per ea, tanqvam per actualem justitiam, est & declaratur homo vere justus, eoqve nomine Deo gratus, tum qvia per ea necesse est justitiam conservari; deniqve *qvia per opera augetur, roboratur & perficitur justitia.* Sic cum Paulo Jacobum conciliat multis locis S. Augustinus, ut in libro de Fide & operibus cap. 14. de Praedestinatione Sanctorum cap. 7. in Praefatione enarrationis in Ps. 31. Atqve hunc etiam concordiae modum (inqvit Suarez loco cit. n. 21.) indicat Anselmus ad Rom. 4. & Thom. eundem breviter insinuavit 1. 2. q. 5. art. 7. ad 3.

aliiqve

aliiqve, etiam multi Romanenſes. De qvo videantur ipſi in locis a Suarez aliisqve ſignatis. Pag. 177.) Hoc tamen certiſſimum eſt, qvod ſicut fides in toto juſtificationis noſtrae negotio ſine operibus ad juſtificandum inutilis eſt, ita etiam opera ſine fide : *fidei tamen partes potiores ſemper ſunt, utpote dirigentis & operantis*, ut loqvitur Eſtius ad verſ. 22. Certiſſimum etiam eſt, qvod *opera noſtra, ex fide etiam profecta, nullo modo proprie, ſeu ex condigno*, ut loqvuntur Romanenſes, *juſtitiae ſive gratiae juſtificantis incrementum, nedum aeternam gloriam mereantur*, ut lib. ſeq. cum Deo fuſius demonſtrabimus. Atqve hic hujus libri finis eſto.

Epiſcopi Eccleſiae anglicanae in Catholica Inſtitutione, edita tempore Henrici VIII. de Juſtificatione.

Bona opera, qvae a juſtificatis fide viva efficiuntur, valent ea qvidem, tum ad fidei & charitatis incrementum in nobis, *tum* ad juſtificationis noſtrae augmentum & conſervationem, *ac denique* aeternae ſalutis adeptionem.

Enchirid. colon. de Juſtificatione.

De hisce ſpiritus & fidei operibus, tum qvae in pœnitentia per operationem gratiae praevenientis juſtificationem praecedunt, *tum qvae in ipſa juſtificatione*

tione peraguntur, *tum qvae justificationem* sequuntur, *proprie dixit apostolus Jacobus:* Videtis, qvoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum. *Jam si forsan in dubium voces, qvomodo haec opera, qvae fides per charitatem post justificationem operatur, justificationem sequi dicamus, & tamen eisdem hominem justificari cum Jacobo pronunciemus? respondemus,* hominem non justificari ad eum modum, Pag. 178.) ut semel veluti in momento justificatus, alia justificatione a modo non indigeat: *qvin immo qvi justificatus est per gratuitam remissionem peccatorum, & impartitionem Spiritus, dehinc continua & perpetua justificationis auctione indiget, donec hoc corpore exutus, in aeterna vita glorificetur.*

Pag. 179.)

Ad librum quintum Bellarmini *de Justificatione,* In quo de Meritis operum agitur.

CAPUT I.

Sintne opera bona justorum vere ac proprie meritoria salutis aeternae.

FRustra inter partes contenditur, an *meriti* vox uspiam in scripturis inveniatur, atq; etiam in ecclesia, hoc praesertim seculo, ferenda sit, & non potius in totum damnanda.

Lati-

Latinum *meriti* vocabulum in fontibus, ut constat, legi non potest, licet extet *apud veterem interpretem* Ecclesiastici, qvi liber extra canonem scripturae positus est, cap. 16. 13. ubi pro κατὰ τὰ ἔργα αὐτῦ, reddidit ille, non qvidem ad verbum, sed tamen juxta communiter receptum tunc temporis in ecclesia loqvendi morem, *secundum meritum operum suorum.* Et ad Hebr. 13. 16. ubi apostolus ait, talibus hostiis εὐαρεστεῖται ὁ Θεὸς, *placatur vel conciliatur Deus*, ut aliqvi vertunt, vel, ut alii potius, *delectatur Deus, placetur Deo*, reddidit ille, *Deus promeretur*; passive, etsi parum latine, ut inqvit Estius in locum, usurpato *merendi* verbo. Primasius tamen, B. Augustini qvondam discipulus, in hunc locum similiter legit, *promeretur Deus.* Pag. 180.)

Freqventer tamen legitur in scripturis nomen *dignitatis* sive ἄξιον & ἀξιῦσθαι & καταξιῦσθαι, ut Luc. 20. 35. 2. Thess. 1. 5. Apoc. 3. 4. Et apud graecos Patres, ἀξία τῶν ἔργων, qvibus verbis nihil fere aliud Graeci designare solent, qvam veteres Patres latini vocabulis *meriti* & *merendi.* Dico, nihil fere aliud: qvia meriti vocabulo proprie nullum vocabulum respondet apud Graecos, ut nec apud Hebraeos.

Passim autem in Patrum latinorum, etiam antiqvissimorum, & purissimorum seculorum, scriptis haec vocabula *meriti* & *merendi* legi, qvis ignorat? Sed qvo sensu, explicet vir doctissimus & moderatissimus, G. Cassander, in Hymnis

mnis ecclesiasticis, ubiad hymni, *Nocte surgentes*, haec verba, *ut Cum suis sanctis mereamur aulam Ingredi cœli simul & beatam Ducere vitam*, sic commentatur: *Vocabulum* merendi, *apud veteres ecclesiasticos scriptores, fere idem valet, quod* consequi, seu aptum idoneumque fieri ad consequendum. *Id quod inter caetera vel ex uno Cypriani loco apparet. Nam quod Paulus inquit* 1. Tim. 1. 13. ἀλλὰ ἠλεήθην, *quod vulgo legitur*, misericordiam consecutus sum, *vel, ut Erasmus vertit*, adeptus sum, *id Cyprianus ad Jubajanum* ep. 73. *legit*, misericordiam merui. *Et multa loca sunt in ecclesiasticis officiis & precibus, ubi hoc vocabulum hoc intellectu accipi debet. Quae vocis notio si retineatur, multa, quae durius dici videntur, mitiora & commodiora apparebunt.* p. 179. Adde p. 263. Quae verba more suo, h. e. plane tyrannico, expungi jusserunt hispanici censores. Sed hac de re plenius paulo infra dicemus.

Hoc antiquo sensu plurimi doctissimi Protestantes *meriti* & *merendi* vocabula nunquam damnarunt, quin immo ipsi etiam usurparunt, licet quibusdam rigidioribus, ut nimis fastuosa & scandalosa, omnino improbentur, & fugienda, hodie praesertim, censeantur. Apologia confessionis augustanaeartic. 20. confitente ipso Bellarm. habet: *Concedimus, opera vere esse meritoria, non remissionis peccatorum aut justificationis, sed sunt meritoria* aliorum praemiorum, corporalium & spiritualium, *quae redduntur tum in hac vita, tum post hanc vitam.* Et paulo infra: *Cum igitur*

igitur opera sint qvaedam impletio legis, recte dicuntur meritoria, recte dicitur eis deberi merces. Intelligunt autem semper, ex Dei immensa benignitate mereri. Pag. 181.) Vid. Confess. Würtenberg. cap. de Bonis operibus. Chemnitius Examinis parte prima de Bonis operibus, qvaest. 4. ait: *Et in hanc sententiam nostri etiam a vocabulo* meriti *non abhorrent; sicut etiam Patribus usitatum fuit.* In Actis colloqvii altenburg. theologi electorales pag. 110. & pag. 265. *Hoc sensu Ecclesiae qvoqve nostrae a* meriti *vocabulo, Patribus usitato, non abhorrent; nec tamen ea propterea qvicqvam patrocinantur pontificio dogmati de merito.* Bucerus in Actis colloqvii ratisb. A. 1546. pag. 597. *Si sancti Patres aut alii per* mereri *intelligunt facere ex fide gratia Dei bona opera, qvibus Deus mercedem promisit & rependet, & si per* merita *intelligunt facta ex fide Christi bona opera, qvibus Deus mercedem pollicitus est, & fatentur simul, ea opera per se, ut bona sunt, h. e. ut facta ex gratia, nullam tamen omnino mercedem a Deo mereri posse* ex condigno, (*qvo scilicet significatu & S. Patres bona sanctorum opera* merita *vocarunt*) *cum his nos, de nomine, dum de re conveniat, nihil contendemus. Nec etiam, si qvis talia opera velit vocare* meritoria. Nota obiter, lector, manifestam a Bellarmino lib. hoc 5. cap. 1. sect. *Porro,* injuriam fieri Bucero, qvando asserit, hunc negare scripturam vel Patres nomine *meriti* usos esse; addere tamen, si forte Patres hoc nomine usi sint, duram esse in ea voce catachresin. Bucerus enim

pag. 590. & 591. &c. ingenue agnoscit, in Patrum scriptis passim usurpari voces *mereri* & *merita*; sed bona sanctorum opera *meritoria* negat apud Patres appellari, *quod equidem legisse*, inqvit, *me memini.* Et si apud aliqvem attributa bonis operibus haec appellatio, scil. *meritorii*, reperiatur, eo durior est illa catachresis. G. J. Vossius in Thes. theol. de Bonorum operum meritis, haud procul a principio: Nos *merendi* vocabulum non in totum qvidem damnare ausi sumus, ut qvo tum veterum plurimi utantur, tum Ecclesiae reformatae usae sint in Confessionibus suis, augustana dico & wirtenbergensi. Subdit autem continuo, in gratiam rigidorum, haec: *Nihilominus potius cum scripturis loqvendum putamus, praesertim cum* meriti *vox ambigua sit, ac nostro inprimis seculo superbiae nomine periculosa.* Pag. 182.) Similiter & Davenantius in disput. de Justitia operum cap. 53. pag. 569. *Non igitur cum Patribus, neqve cum sanioribus Pontificiis lis ulla nobis erit de nudo* meriti *vocabulo*, (*qvanqvam multo melius & tutius est ab hoc verbo abstinere*) *sed contra, &c.* Item R. Hookerus Eccles. politiae lib. 5. sect. 72. pag. 391. & Gul. Covellus in Defens. Hookeri art. 6. de Fide & operibus p. 43. 44. Recte & prudenter Cassander consult. art. 6. de Bonis operibus fidelium: *Qvo sensu*, ait, *hoc vocabulo* meriti & merendi *usi sint Patres, obscurum non est; nempe* ut per illud gratiae Dei, ex qva merita omnia oriuntur, nil detrahatur. *Qvare nihil est, cur aut Ecclesiastici ab*

hac

hac loqvendi formula & sententia in ecclesia jam olim usitata discedant, aut Protestantes eam tam odiose repudient & condemnent. Vide Erasm. de Amabili ecclesiae concordia pag. 104.

Sed missa disputatione de nomine *meriti*, ut de re ipsa dicamus, sciendum est, qvod* errent plurimi Romanenses, qvi bona justorum opera vere proprieqve, i. e. non ex promissione solum, sed etiam justitiae debito propter aliqvam, ut affirmant, operum & mercedis proportionem & aeqvalitatem, sive, ut verbo dicam, *ex condigno* vitae aeternae meritoria esse contendunt. Distinguit qvidem Bellarm. inter qvaestionem hanc, *sintne bona opera justorum vere ac proprie vitae aeternae meritoria? in qvo Catholicos omnes contra sectarios omnes convenire* ait, cap. 1. & qvam qvaestionem tractat primis sex libri capitibus, ut dictum; & inter qvaestionem, *an sint meritoria vitae aeternae ex condigno?* qvam tractat c. 16. & seq. sed male, qvia meritum proprie dictum in formali sua ratione includit aeqvalitatem vel condignitatem ad illam mercedem, cujus dicitur esse meritorium, ut recte scribit Davenantius de Justitia operum cap. 60. *Vera ratio meriti*, inqvit Vasqvez. in 1. 2. disp. 213. cap. 6. *in eo posita est, ut opus sit dignum gloria, secundum aeqvalitatem condignitatis.* Sed hac de re pluribus postea dicemus.

* Errent.] Walenb. t. 2. 560.

Hunc Romanensium errorem multi doctissimi Protestantes copiose cum ex scripturis tum ex Patribus confutarunt; qvos, qvia passim obvii

sunt, lector sedulus adeat. Nos proinde eo labore supersedentes, pauca tantum annotabimus, in qvibus Protestantes qvidam *non satis clare, neqve etiam satis solide*, ad argumenta non nulla a Romanensibus ex scripturis & Patribus opposita respondent, qvo solidioribus responsionibus Romanensium oppositionibus plenius satisfiat, & veritas ipsa tanto fortius adstruatur & propugnetur. Pag. 183.)

Ad argumentum, qvod ducitur ab illis scripturae locis, ubi vita aeterna *merces* nominatur, (vide Bellarm. cap. 2.) Protestantes qvidam non sufficienter respondent, *mercedem dici praemium*, qvod Deus reddit, *non qvia debeatur operibus*, sed qvia debetur promissioni. Certe qvicqvid Deus, vel in hoc seculo vel in futuro, atqve hoc maxime, nobis promisit donare, non aliunde primo, qvam ab ipsius immensa & impromerita gratia & benignitate, profluxit. Sed cum nec promiserit dare, neqve juxta promissum reddat, nisi bene operantibus, (de adultis loqvor) vitam aeternam, necesse est in considerationem aliqvam veniant, saltem in rei promissae redditione, opera bona, juxta conditionem reqvisitam praestita, & rationem aliqvam habeant causae suo qvodam modo efficientis, &, ut Patres loqvi solent sensu innoxio, *merentis*, nempe impetrantis; praesertim cum id, qvod redditur, toties *mercedis* nomine in scripturis insigniatur. Recte Bucerus in Actis colloqvii ratisbon. pag. 517, *Illud ergo solum in hac qvaestione de*

de mercede bonorum operum controversum est inter nos, an sit in iis aliqvod meritum ea condignum mercede, qvam eis Deus retribuit, & maxime vita æterna. Et pag. 568. *Sanctis bona operantibus reddi vitam aeternam etiam* coronae & mercedis *nomine & loco, ultro nos semper dedimus.* Vere Archiep. spalat. de Rep. ecclesiast. lib. 7. c. 11. n. 256. *Gratia mera est, qvod Deus promittat operi nostro mercedem: non enim ulla ratione tenetur.* Sed non satis scripturis consentanee, ac proinde dubitanter ac timide haec subjungit: *Et sic non operi nostro, sed suae gratuitae promissioni debetur, & fortasse redditur merces.* Concil. arausic. 2. qvod adversus gratiae adversarios celebratum fuit, can. 18. *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, qvae non debetur, praecedit, ut fiant.* Debetur igitur merces etiam operibus, sed propter promissionem primum gratiose factam & conditionem reqvisitam pro modulo nostro, juxta vim gratiae concessae, a nobis praestitam; eatenus saltem, ut obedientia nostra Deo propter Christum probetur. Vide August. serm. 16. de Verbis apostoli.

Pag. 184.) Respondent alii Protestantes, *vitam aeternam* mercedem *appellari non proprie, quoniam vita æterna in scriptura vocatur & est proprie hereditas.* Vide Bellarm. l. cit. Multo clarius & tutius respondet Vossius in Thes. theolog. de Meritis bonorum operum, thesi 8. *Non loqvuntur S. literae de mercede, qvalis ob dignitatem merito ἀναλογον, jure mercenario debetur, sed ea,* qvae non se-

gnibus, verum laborantibus, ex υἱοθεσίας ac gratuitae promissionis jure confertur. *Vnde &* haereditas *alibi nominatur. Nec* haereditatis *appellatio obstare censenda est, qvo minus* mercedis *nomen mereatur: Siqvidem & filio adoptivo, qvi morem adoptanti sedulo gesserit, & multa illius causa sit perpessus, sic haereditas jure venit filiali, ut tamen ea, ratione operum, qvae is praestitit, & ratione afflictionum, qvas subiit, merces possit appellari.* Vnde & Bellarm. ipse loco citato: *Datur*, inqvit, *vita aeterna ex promissione laborantibus, qvod est* mercedis *proprium; & non datur nisi filiis, qvod est proprium* haereditatis; *ac proinde utriusqve, mercedis scilicet & haereditatis, conditionem habet.* Vtinam hic substitisset Bellarminus, qvando affirmat, dari vitam aeternam ex promissione laborantibus, absqve illo odioso additamento, qvod alibi cum suorum sodalium plurimis defendit, *de intrinseca operum condignitate ad praemium.* De *mercedis* apta & vera appellatione, pax facile inter partes conciliari posset.

Qvod Protestantium qvidam *non ipsam vitam aeternam, sed gradum aliqvem gloriae celsiorem in ea,* tanqvam mercedem, operibus nostris reddi affirmant, ut refert Bellarm. loco cit. sect. *Ad haec.* qvod etiam censet archiep. spalat. de Rep. eccles. lib. 7. cap. 11. n. 257. dicens: *Vita aeterna ipsa essentialis & gloria donum est mere gratuitum, qvod ab aeterno Deus iis, qvos in filios adoptavit, non tanqvam mercedem, sed tanqvam haereditatem praedestinavit*; nonnulli qvoqve Romanenses; (vide

Bel-

Bellarm. cap. 10. sect. 4. *Primum igitur*) id cum sacris literis non satis congruit, qvae diserte docent, non tantum gloriae incrementum, sed ipsam etiam gloriam, ut mercedem operibus, bonis reddi, Matth. 19. 29. & cap 25. 34. 35. Rom. 2. 6. 7. Galat. 6. 7. 8. & Coloss. 3. 24. ubi ipsa haereditas Dei dicitur reddi operibus bonis, & ἀνταπόδοσις τῆς κληρονομίας, ist est, *merces haereditatis* appellatur. Adde Jac. 1. 12. Immo Deus ipse Gen. 15. v. 1. *merces nostra* dicitur. Pag. 185.) Certe opera etiam optima proprie & ex condigno non merentur, i. e. suo valore non exaeqvant vel infimum gradum gloriae cœlestis, nedum ipsam per se gloriam cœlestem ac vitam aeternam; propter gratuitam tamen Dei promissionem, etiam ipsam vitam aeternam, & non gradus tantum in ea praestantiores, bonis operibus reddi, negari non potest. Vnde & Pareus ad cap. 3. hujus libri pag. 1241. 1242. deserta responsione Apologiae aug. conf. bona opera scilicet esse meritoria praemiorum temporalium & spiritualium, *sed non ipsius vitae aeternae*, inqvit: *Concedamus vero, in praemiis bonorum operum etiam esse vitam aeternam.* Et Vorstius Antipist. part. 2. p. 125. *Qvod ad Confessionistas* (ut vocat Pistorius) *attinet, qvi non qvidem vitam aeternam, sed gradum aliqvem eminentiorem in ea nostris operibus nos promereri tradunt, tametsi pro iis duo qvaedā facere videntur, unum, qvod passim dicitur,* mercedem nostram in cœlo copiosam futuram, Matth. 5. 12. *alterum, qvod minus qviddam esse videtur,*

detur, gradum aliqvem gloriae cœleſtis promereri, qvam ipſam gloriam cœleſtem; *tamen qvia neutrum ſatis ſolidum eſt ad opinionem iſtam probandam, idcirco nos eorum hac in parte hallucinationem non admodum defendemus.*

Qvod reſpondent Proteſtantes qvidam, *vitam aeternam non reddi operibus, niſi ut ſigna ſunt fidei*, ſcripturis ex diametro adverſatur, qvae paſſim diſerte docent, praemium cœleſte unicuiqve reddi ſecundum opera & proportionem laborum & operum ipſius, & non tantum ſecundum fidem. Vnde Pareus ad cap. 3. hujus libri p. 12. 42. *Nos dicimus, vitam aeternam promitti operibus, non ſolum ut ſunt ſigna fidei, ſed etiam ut ſunt obedientia filialis, Patri cœleſti debita, ſeu ut ſunt poſitio conditionis, ſub qva Deus filiis haereditatem vitae aeternae donare promittit.* Voſſius in Theſibus praedictis, th. 10. *Eos & nimium dicere putamus, qvi* mercedem operibus promitti *cenſent*, ut cauſae meritoriae: *nec ſatis dicere judicamus, qvi tantummodo*, ut ſignis fidei, *promiſſionem factam arbitrantur, ſiqvidem multa ſunt ſcripturae loca, qvibus aliud dicitur.*

Ad argumentum, qvod ſumitur ex illis ſcripturae locis, qvibus ratio ſeu cauſa, cur vita aeterna juſtis reddatur, ab ipſorum operibus petitur, ut particulae cauſales, *Qvia, Enim, Ideo*, clare demonſtrant, reſpondent qvidam Proteſtantes, (vide etiam Caſſandrum, qvi in eandem ſententiam propendere videtur epiſt. 19. ad Joh. Molinaeum, citatis qvibusdam Scholaſticis, pag. 1109.

1109. qvorum ex Cassandro testimonia verbatim repetit archiep. spal. l. cit. c. 11. n. 259. Vide & n. 258.) his locis indicari Pag. 186.) non meritum, neqve causam, sed *ordinem tantum, & seriem seu viam salutis adipiscendae.* Sed id infirmum est, ut abunde supra lib. 4. cap. 1. p. 28. ostendimus. Absit tantum ratio causae proprie meritoriae, plurimi doctissimi Protestantes non negant, opera bona causas etiam aliqvas esse regni cœlestis adipiscendi. Davenantius de Justitia actuali cap. 60. p. 608. *Si omnia,* inqvit, *concedamus, qvae in praemissis ponuntur, nihil aliud inde deduci potest, qvam opera bona esse causas, non juris nostri ad vitam aeternam, sed introductionis in vitam aeternam; neqve esse causas meritorias, sed* motivas solummodo, *juxta ordinationem voluntariam, & promissionem gratuitam ipsius Dei.* Obiter tamen nota, lector, male statuere hunc cum aliis qvibusdam Protestantibus, *opera bona esse causas non juris nostri ad vitam aeternam, sed tantum introductionis in eam.* Qvae enim rationem causae habent in introductione nostri in vitam aeternam, necesse est etiam habeant rationem aliqvam causae juris nostri ad vitam aeternam, non qvidem principalis aut meritoriae, *secundariae* tamen *& subordinatae:* neqve enim dedit Christus hoc jus, τὴν ἐξουσίαν, Joh. 1. 12. nobis, ut filii Dei essemus, nisi in nomen ejus credamus, eumqve accipiamus. Fides autem semper intelligenda est viva, & per bona opera efficax, atqve etiam qvatenus viva & efficax est. Vorstius in Antibellarm. p. 640. *Matth.*

25. 35. *aetiologia a signis ad signatum, vel a causis quidem ad effecta, sed non tamen a causis principalibus aut meritoriis deducitur.* Idem in Antipist. part. 2. p. 126. *Acausa generatim accepta ad causam efficientem meritoriam non valet argumentatio.*

Qvod attinet ad argumentum sumtum ab illis scripturae locis, ubi *praemium bonis operibus ex justitia* dicitur esse *reddendum*, missis brevitatis causa qvorundam Protestantium responsionibus minus solidis, (de qvibus lege Bellarm.) respondendum est cum aliis, *mercedem operibus promissam gratuitam qvidem esse, seu ex gratia donari*, nullo autem modo proprie & ex justitia aeqvalitatis promeritam; (donum Dei, inqvit Apostolus Rom. 6. 23. vita aeterna est) *attamen etiam juste, seu ex justitia distributiva, sed gratiosa*, sive gratia temperata, fidelibus bene operantibus, respectu pacti seu promissionis divinae, dari. Haec enim non pugnant. Pag. 187.) Recte Bernardus l. de Gratia & lib. arbitrio, haud procul a fine: *Promissum qvidem ex misericordia, sed tamen ex justitia persolvendum est; justum qvippe est, ut reddat Deus, qvod debet; debet autem, qvod pollicitus est.* Idem tamen doctissime simul & sanctissime librum illum sic claudit: *Alioqvin si proprie appellentur ea, qvae dicimus nostra merita, via sunt regni, non causa* (scil. proprie meritoria) *regnandi.* Recte Davenantius ad hoc ipsum argumentum respondens, inqvit p. 610. *Deum dici* justum *in retributione hujus praemii, & injustum per impossibile supponi, si non retribueret vitam aeternam fidelibus bene operantibus;*

non

non secundum rationem justitiae proprie dictae, quae meritum condigni infert ex eo, quod aequalitatem supponit inter opus & mercedem, sed secundum rationem justitiae communiter dictae, ex qua meritum non potest deduci.

Remonstrantes in Apologia ad c. 2. n. 47. recte & fuse idem contra oppositam censuram demonstrant: *Aliud*, inquiunt, *est* vitae aeternae praemium promittere, *aliud* praemium promissum distribuere. *Promissio pure pute gratuita est: Distribuere, post promissionem factam, suum cuique praemium pro ratione praestitae conditionis, ad praemium consequendum requisitae, justitiae actus est, tum respectu ejus, qui promisit, tum respectu eorum, quibus promissio facta est. Nec refert, an res promissa sit proportionata labori ejus, cui promissio sub conditione facta est, an non: id enim non ad distributionem, sed ad promissionem considerandum venit. Quod vero dicit censor: Ergo vita aeterna est stipendium potius ac pretium debitum, quam donum gratuitum: nimis est futile.* Debitum *enim* ex promisso impromerito, & gratiosum donum non repugnant; *immo eo ipso, quia aliud est debitum ex promisso libero & liberali, adeoque pure pute gratioso, gratiosum donum est & manet. Quod vero ex promisso debetur alicui, id justum sane est, ut ei detur; quia justitiae est, suum cuique dare. Quod autem mihi debetur, meum est, quocunque tandem modo debeatur, & qualecunque tandem sit.* Vide Cyprianum. in serm. de Eleemosyna, Augustin. in psal. 109. Fulgentium lib. 1. ad Moni-

Monimum. Ex praedictis liqvido apparet, qvomodo solide ad caetera, qvae ex scriptura a Romanensibus plurimis urgentur argumenta, respondendum sit. Videantur multi doctissimi Protestantes, qvi haec fusius pertractant.

Pag. 188.) Ad testimonia *Patrum, qvi meriti & merendi vocabula*, praesertim de justorum operibus freqventissime, & qvidem sensu innoxio, ut supra dictum, usurpant, recte doctiores Protestantes respondent, eos nihil aliud intelligere, qvam *opera bona justorum, non absoluta & exacta, qvam in se habent, dignitate sive aeqvalitate ad praemium, sed ea, qvam obtinent ex acceptatione & dignatione divina, & ex gratuito pacto*, qvod nobiscum facere dignatus est Deus, clementissimus & indulgentissimus pater simul & judex, mercedem gratiosissime promissam consequi vel impetrare. Atqve haec hac de qvaestione dixisse sufficiat.

CAPUT II.

Qvo an fiducia in meritis seu bonis operibus collocari possit, & de intuitu mercedis aeternae in bene operando, paucis disceptatur. Bellarm. cap. 7. 8. 9.

Fiduciam sanctorum apud Deum non ex fide sola, sed etiam ex bonis operibus, qvae a fide profluunt, & *merita* a Patribus latinis com-

communiter, ut dictum, appellantur, licet non sint merita proprie sic dicta, nasci atqve ali, augeri, & magis magisqve in dies confirmari, non negant Protestantes, ut perperam affirmat Bellarminus, & irrito conatu ex scripturis & Patribus contrarium probare satagit. l. 5. de Justif. c. 7. sect. *Haec propositio.* Calvinus ipse Instit. lib. 3. cap. 14. §. 18. haec habet: *Sancti dum se coram Deo recognoscunt, non nullam illis & consolationem & fiduciam affert propriae conscientiae puritas.* Et rursus: *Quando igitur isthaec operum fiducia locum non habet, nisi totam prius animi fiduciam in misericordiam Dei rejeceris, non debet illi videri contraria, unde pendet.* Chamierus de Operum merito, tom 3. l. 14. cap. 5. n. 7. *Si* Pag. 162.) pro meritis *opera nominasset* (Bellarminus,) *possemus concedere*, ex operibus nasci confidentiam fidelibus, *quae tota constituatur in misericordia divina: nimirum quia sanctitas vitae sit effectus inhabitantis gratiae, ac proinde ejusdem testimonium non leve, ideoqve non nullus ad spem salutis gradus.* Pareus idem tradit ad hunc Bellarmini locum p. 1321. 1322. caeteriqve omnes Protestantes.

An vero, licet summa ac praecipua fiducia salutis in sola Dei misericordia & Christi meritis collocanda sit, de qvo dubitare nefas est, spem tamen nonnullam etiam in bonis operibus, tanqvam in mediis ad salutem necessariis, & illius aliqvo modo causis, licet non proprie meritoriis, cum Dei gratia fideles sub Deo sine peccato reponere possint, *inutiliter inter partes con-*

tenditur. Certe licet totis viribus ſtudendum ſit operibus bonis, *qvam minimum tamen fiducia in illis collocandum eſſe*, ſemper cenſuerunt viri omnium ſeculorum doctiſſimi juxta ac ſanctiſſimi. Atqve hoc ſufficit.

Vnde & Bellarminus, qvi ſententiam hac de re affirmantem defendit propoſitione ſecunda, propoſitione tamen tertia p. 404. ingenue ſic loqvitur: *Propter incertitudinem* (intellige ſemper incertitudinem fidei) *propriae juſtitiae, & periculum inanis gloriae, tutiſſimum eſt, fiduciam totam in ſola Dei miſericordia & benignitate reponere.* Qvam propoſitionem fuſe deinde confirmat plurimis argumentis ex ſcriptura graviſſimis, publicis Eccleſiae precibus, & Patribus. Caſtigat qvidem hanc Bellarmini propoſitionem Vaſqvez in 1. 2. tom. 2. diſp. 212. c. 7. n. 41. *Qvod dicunt theologi allegati*, propter incertitudinem propriae juſtificationis, fiduciam noſtram in ſola Dei benignitate collocandam eſſe, *ſano modo intelligendum eſt: non qvidem ita, ut exiſtimantes, non eſſe neceſſaria merita, nec in illis ſperandum eſſe, nullam in illis ſpem collocemus, ſed in ſola Dei benignitate & munificentia, qvae nullo noſtro merito beare nos debeat, aut velit; hoc enim eſſet incidere in ſententiam Calvini, & haereticorum: Sed ita, ut non habeamus fiduciam ex meritis jam factis, qvaſi ſecuri de praemio, qvin potius non curantes de illis, a ſola Dei bonitate nova merita ſperemus, in qvibus fiduciam conſtituamus* perſeverentiae, & adipiſcendae beatitudinis. *Securum igitur ne-*

qva-

qvaqvam est, spem collocare in meritis; rectum tamen consilium est, non sperare ex meritis factis. Haec ille, sed male: *Tutissimum* enim *est*, ut inqvit Bellarminus, *in nullis omnino meritis vel bonis operibus*, sive hactenus factis sive porro faciendis, *sed in una Dei misericordia & Christi meritis fiduciam omnem salutis collocare.* Pag. 190.)

Thom. Stapletonus de Justificat. lib. 10. cap. ult. *Nemo*, inqvit, *catholicus recte institutus, in suis meritis confidit, vel qvia supervenientibus peccatis impediri possunt qvaecunqve merita, vel qvia nemini satis constat de suis meritis, vel denique qvia videri hoc modo posset in se, non in domino gloriari.* Harum trium causarum prima a Bellarmino in sua propositione omissa est. Sed ab utroqve omissa & alia causa, cujus inprimis meminisse debuerunt, haec scilicet, *etiam propter peccata, qvae justitiam nostram qvotidie comitantur ex humana infirmitate*, qvorum venia humillime ac supplicissime a Deo propter Christum postulanda, & recte vita aeterna humiliter & non confidenter qvaerenda est, ut recte dicit ibidem Stapletonus ex Bernhardo, inter cujus flores haec saluberrima legitur sententia: *Vitam etiam aeternam fortassis aliqvi non similiter qvaerunt, sed tanqvam in suorum confidentia meritorum. Oratio, qvae pro vita aeterna fit, circa beneplacitum Dei intenta sit, & in omni humilitate praesumens de sola miseratione divina.* Vnde & ipse Stapletonus paulo ante: *Qvia primum, & potissimum meriti fundamentum est gratia Christi, adjutorium, in-*

qvam, gratiae, qva in singulis actibus ad bene operandum divinitus adjuvamur, propterea & scripturae & Patres diligentissime docuerunt, in solo Deo ac Christo ejus, non nobis ipsis, non in justitia propria, non in meritis nostris esse confidendum

A. Vega in opusculo de Meritis. in generali q. 4. p. 857. *Et qvanqvam multa faciunt homines justi meritoria opera beatitudinis, verissime tamen dicitur*, non oportere qvenqvam in suis meritis fiduciam adipiscendae beatitudinis collocare. *Et hoc qvidem, ne cuiqvam dubium sit, possumus tripliciter persuadere, &c.* Lege autorem. Paulo tamen post, p. 858. ita inqvit: *Qvamqvam autem ista verissima sunt, si qvis tamen, fiduciam piorum* modestam & humilem *minime damnandam censens, non excludat merita Christi aut gratiam divinam, a qvibus illa opera sua habent totum suum valorem & acceptationem, sed intelligat, se in suis meritis fidere,* Pag. 191.) qvatenus meritis Christi & gratiae Dei innituntur, *verbo* qvatenus *non tam nostra merita seu opera sunt, qvam Dei ipsius dona.*

Hosius Confess. petricov. tom. 2. cap. 13. pag. 65. *Qvamvis* exempla sanctorum *commemorare liceat, qvi, cum jam essent morti proximi, non omnino suis operibus diffidere visi sunt, ut* Ezechias *Esa* 38. 3. & Paulus 2. *Tim.* 4. 7. 8. *Sed qvotum qvemqve reperire licet, his praesertim temporibus, qvibus abundavit iniqvitas, refrixit charitas multorum, qvi sic vitam suam transegerit, ut peraeqve confidenter, ut isti, loqvi possit, ex diversorio corporis*

ris hujus aeternam illam in domum migraturus? Qvammobrem tutius fuerit, ut cum sancto Job. c. 9. 28. * vereamur omnia opera nostra, *cum non sine causa videamus, in ecclesia catholica semper observatum, ut,* qvi morti jam sint proximi, diligenter admoneantur, etiam simulacro Christi crucifixi ante oculos posito, *qvo propriae justitiae diffisi, in una Christi justitia spem suam & fiduciam omnem habeant collocatam, illam Patri cœlesti repraesentent, illi uni innitantur.* Idem Hosius in Confutatione Proleg. Brentii l. 5. p. 394. *Non gloriamur de meritis nostris,* non habemus in illis fiduciam nostram collocatam; *de hoc solo gloriamur, in hoc solo confidimus, qvod membra sumus illius corporis, qvod pro nobis mortuum abunde pro peccatis totius mundi satisfecit. Qamobrem* si merita a nobis reqviris, Domine, ecce proferimus tibi merita corporis tui, qvod cum de nostro sit, nostra sunt & illius merita: proferimus tibi meritum passionis tuae. Haec sunt merita nostra, qvae tu, clementissime Domine, nobiscum pro immensa benignitate tua communicare dignatus es; secundum haec merita abs te judicari postulamus; iis meritis freti coram tribunali tuo nos intrepide sistimus. Haec merita interponimus inter nos & inter judicium tuum: *aliter judicio tecum contendere nolumus, de qvo solenniter protestamur.*

M. Eisengrenius de Ecclesia cap. 5. p. 93. Summam doctrinae catholicae de merito Christi

* Vereamur omnia opera nostra] Vt reddit vulgatus.

exponens, sic loqvitur: *Iterum atqve iterum diserte & palam pronuncio*, doctrinam Ecclesiae catholicae non aliam fuisse, qvam nunc a nobis dictum est; nimirum qvaerere Pag. 192.) nos remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, & regni cœlestis haereditatem in solo passionis & mortis Christi merito: *praesertim vero qvando eo deventum est, ut hinc migrandum sit, multis in locis memoratae scholae doctores expresse scripserunt*, ejusmodi hominem in extremo spiritu constitutum, ad solum Christi meritum confugere debere, atqve in illud spem & fiduciam omnem collocare; *qvod vel ex solo Gersone perspicuum esse potest*, (de Mendicitate spirituali, parte 2.) *qvi cum a daemonibus ad desperationem solicitaretur, respondit: Non opus est, ut mihi mea peccata commemoretis, inferentes hinc, me cœlestibus praemiis esse penitus indignum; id enim scio. Sed scio, qvod pius ille meus pater, Jesus Christus, meum debitum solvit, & mea omnia, qvoties cunqve mihi displicuerunt, delevit peccata, mihiqve suo pretiosissimo sanguine cœleste regnum lucrifecit, & emit*; & hoc titulo, & nullo alio possessionem hujus regni praestolor, caelestiumqve bonorum retributionem peto sub titulo & in spe glorioſi mei redemtoris Jesu Christi. *Haec qvidem*, inqvit, *Gerson de sua duntaxat persona pronunciavit. Verum Anselmus, archiepiscopus cantuariensis, qvi ante Gersonem vixit, interrogationes qvasdam conscripsit, infirmis in extremis constitutis proponendas, ubi sane satis evidenter declara-*

clarat, qvem in scopum ducenda sit ipsorum fiducia; nempe non in aliud qvicqvam, qvam in mortem, in passionem & meritum Christi. *Inter has interrogationes agonizantibus proponendas, haec est postrema:* Credis, te non posse salvari, nisi per mortem Christi? *Respondet infirmus:* Etiam. *Tum illi dicitur:* Age ergo, dum superest in te anima, in hac sola morte fiduciam tuam constitue, in nulla alia re fiduciam habe, *huic morti te totum committe.* Legantur reliqva, qvae brevitatis studio omitto, in hoc autore. Apud Cassandrum in appendice ad opuscul. Joh. Roffensis de Fiducia & misericordia Dei edit. colon. A. 1556. haec reperiuntur verba: *Formula illa* infirmos jam animam agentes interrogandi, in bibliothecis passim obvia, qvae & seperatim Anselmo cantuariensi inscribitur, & parti Epistolarum *inserta reperitur*, &c. Vide & Casparum Vlenbergium in Causis, causa 14. edit. colon. A. 1589. aliosqve romanae partis. Pag. 193.) Lege & Chemnitii Exam. parte 1. de Justificatione, p. 143. edit. genev. 1614. & Jac. Vsserium, nunc archiepiscopum armachanum, in Responsione ad Jesuit. hibern. de Meritis 513. aliosqve plurimos Protestantes.

In ordine baptizandi cum modo visitandi, edit. venet. A. 1575. haec habentur verba: *Credis*, non propriis meritis, sed passionis Domini nostri J. Christi virtute & morte ad gloriam pervenire? *Credis, qvod Dominus noster J. Christus pro nostra salute mortuus sit*, & qvod ex pro-

priis meritis vel alio modo, nullus possit salvari, nisi in merito passionis ejus? *Non erit desperandum vel dubitandum de salute illius, qvi supra positas positiones corde crediderit, & ore confessus fuerit.* Hæc qvidem verba pontificii censores in suis indicibus expurgatoriis expungi jusserunt, sed fide pessima. Verba enim sunt verissima & consolationis plenissima, praesertim hominibus de vita migraturis. Florentius Volusenus, scotus, catholico-romanus, de Animi tranqvillitate, Lugd. 1543. p. 366. *Fieri potest*, inqvit, *ut divina bonitas, qvia divina, h. e. immensa est, etiam imperfecta illa nostra officia, cujusmodi esse omnia dixi, boni consulat, meriti loco habeat, & laude ac praemio digna judicet. Verum* mihi aegre licere arbitror, statuere aliqvod meum ulla in re meritum; *qvandoqvidem ab eo, cujus imperium detrectare nefas est, jubemur, cum fecerimus omnia, qvae officii nostri sunt, fateri, nos servos este inutiles:* neqve profecto ille voluit, ut aliud in lingua, aliud in animo haberemus, & fucata qvadam uteremur modestia. *Deponenda est ergo, qvae ex operibus, aut rebus nostris gestis, qvamlibet praeclaris, nascitur fiducia: nos totos in Deum conjiciamus; ille nobis sit sacra anchora; una illius bonitate atqve misericordia nitamur, nos totos in illius fidem ac clientelam conferamus; neqve sic salutis nostrae laudem dividamus, ut partem alteram Deo permittamus, alteram nobis vindicemus. Qvod cum nefarie fiat, qvid sentiendum est de iis, qvi merita sua jactare, atqve venditare,* tanqvam ipsis superessent, *non verecundantur?*

Innu-

Innumera alia virorum doctissimorum veterum & recentiorum testimonia huic sententiae firmandae adduci possent. Sed in re tam aperta atqve omnium fidelium experientia comprobata, nihil est necesse diutius morari. Pag. 194.) *Hoc faciunt*, inqvit A. Rivetus Summae controvers. tract. 4. q. 12. p. 435. *opera bona, non tanqvam causae & fundamenta fiduciae nostrae*, (intellige, non tanqvam causae principales aut proprie meritoriae) *sed tanqvam* argumenta, indicia, & testimonia virtutis Spiritus sancti in nobis, *tanqvam fidei effectus*, (adde, & tanqvam salutis consequendae etiam causae aliqvae, licet secundariae,) *ut de misericordia Dei erga nos confidamus, sed non ob dignitatem operum.* Sic qvaestio de fiducia aliqva in bonis operibus facile tollitur, aut saltem minuitur. Vide Erasm. tom. 9. contra theol. paris. tit. 17. de Fiducia bonorum operum & meritorum, p. 718. & lege eundem p. 744. 750.

Licere bene operari intuitu mercedis aeternae, nunqvam negarunt Protestantes, etiam rigidiores, ac proinde Patres Concilii trident. sess. 6. cap. 11. & can. 31. ac Bellarminus caeteriqve Romanenses, qvi contrarium illis impingunt dogma, manifestam faciunt injuriam. Hoc tantum negant Protestantes, licere bene operari intuitu vitae aeternae, *tanqvam mercedis, pro meritis, proprie sic dictis, sive ex condigno nobis debitae:* affirmant etiam, *non tantum, nec praecipue* intuitu mercedis aeternae bene operandum,

esse, qvando hoc non tam filios deceat, qvam mercenarios, a qvibus citra mercedis spem nihil impetres; sed primum qvidem propter gloriam Dei, deinde etiam propter mercedem vitae aeternae bene operantibus ex immensa Dei propter Christi merita benignitate promissam. Qvod ipsum docent etiam Romanenses omnes. Tam operosa ergo rei minime controversae probatione ex scripturis, Patribus, &c. facile supersedere potuisset Bellarm. c. 8. Sed, proh dolor, pleriqve theologi, qvi hodie controversa fidei dogmata tractant, studio partium adeo misere ducuntur, & tantum non (qvod gemens dico) dementantur, ut nihil fere ab illis, qvos in plurimis non tam adversarios habent, qvam faciunt & fingunt, recte dictum esse velint. Qvam timide enim "loqvi cogitur Bellarminus, qvando c. 8. ait, Calvinum l. 3. Instit. c. 16. §. 3. *negare videri, operandum esse intuitu mercedis, &*, qvoniam negare non potuit, scripturas interdum hortari homines ad bonum spe mercedis, *addere, saltem non esse a tali exhortatione ducendum exordium!* Pag. 195.) Sed videantur ipsa ex Calvino citata loca, atqve alia etiam, qvae ex aliis allegari solent a Romanensibus, &, ut dixi, manifestam illis injuriam fieri, luce clarius apparebit.

Certe Protestantes omnes, si recte & candide illorum dicta, in speciem forte durius aliqvando sonantia, accipiantur, agnoscunt, qvod, etsi in bene operando praecipue Deum ejusqve glo-

gloriam, tanqvam ultimum finem, spectare debeamus, qvia tamen subordinata non pugnant, & nostra salus cum Dei gloria arctissime conjuncta est, idcirco, ad excitandum socordiam nostram, omnino licitum sit, etiam mercedem promissam, (1) *ut finem secundarium*, qvi propter Deum ejusqve gloriam expetatur, semper ob oculos habere; sic tamen, *ne servilis & mercenaria fiat nostra erga Deum obedientia*, sed ut Deum inprimis propter se ipsum, non propter nostrum aliqvod commodum, sincere semper diligamus, amore scilicet amicitiae, (2) non *amore concupiscentiae*, uti vulgo vocant, qvemadmodum recte Vorstius in Antibellarm. p. 642. illud Bernardi lib. de Diligendo Deo recte intellectum sibi probari profitetur: *Non sine praemio diligitur Deus, etsi absqve praemii intuitu* (i. e. qvamvis nullum promitteretur praemium) *diligendus sit. Vacua namqve vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est.*

Qvin non tantum servile aut mercenarium non esse, aeterni praemii aut mercedis cœlestis intuitu bene operari, existimant Protestantes; sed nec servile esse, *comminationibus*, aeternae mortis respectu, ad bene agendum moveri. Immo, qvod majus est, ne qvidem *promissis hujus vitae* incitari ad bona opera, servile aut sordidum esse, si tantum moveamur eam ipsam ob causam, qvia gratiose a Deo promissiones istiusmodi bene

(1) Vt finem secundarium] Bellarm. l. 5. de Justif. c. 7. 8.
(2) Non amore concupiscentiae] Bellarm. l. 5. c. 9.

ne operantibus factae sunt. Qvo enim argumento utitur Deus in scripturis passim ad movendum & persvadendum, eodem moveri nos, non est servile aut mercenarium. *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, qvae nunc est, & futurae.* 1. Tim. 4. 8. Vide, ut alios innumeros Protestantes silentio praetereamus, Pag. 196.) Bucerum in 2. ad Rom. pag. 102. 103. Joh. Davenantium in cap. 1. ad Coloss. v. 5. pag. 42. 43. & Remonstrantes in Apologia cap. 11. pag. 126. fuse hac de re differentes. Alstedius Theol. polemicae parte 4. controvers. 15. sic loqvitur: *Cum nulla sint nostra merita proprie dicta, in iis nulla potest poni fiducia. Alias fiduciam possumus ponere in operibus, qvatenus testimonia sunt electionis & fidei infallibilia. Ita enim bona conscientia ex iis oritur.* Et controvers. 16. *In bene operando* praecipue debemus spectare Deum, *ejusqve gloriam, tanqvam finem ultimum.* Col. 3. 17. & secundario *nostram salutem.* Vide autorem, qvaedam magis, qvaedam minus commode pronunciantem.

CAP. III.

De meriti vitae aeternae vere ac proprie dicti conditionibus.

DE prolixa hac Bellarmini disputatione, Qvae sint & qvot conditiones, ut aliqvod opus dici possit vere ac proprie meritorium felicitatis aeternae, paucis haec monu-

monuisse sufficiat. I. Protestantes nullum tale in operibus nostris agnoscunt meritum, ac proinde de hac disputationis bellarminianae parte minus soliciti sunt. II. Neqve etiam conditiones illae septem a Bellarmino commemoratae, ut 1. *meritum sit opus bonum*, 2. *fiat in obsequium Dei*, 3. *fiat a viatore*, 4. *opus sit liberum*, 5. *fiat ab amico & grato Deo*, 6. *intercedat promissio*, 7 *ex charitatis virtute procedat*, ad verum & proprie dictum meritum vitae aeternae constituendum *sufficiunt*; * aliae enim praeter has reqviruntur conditiones, ut opera justorum proprie vitam aeternam mereri possint, Pag. 197.) uti recte docent Protestantes, scilicet (1.) Vt *opera nostra sint undeqvaqve perfecta*, non tantum ratione partium, nempe ut nihil unqvam faciendum omittamus, nec omittendum committamus, sed etiam graduum ratione. Atqvi etiam cum facimus facienda, semper tamen abest illa charitatis perfectio, qvam legis ἀκρίβεια reqvirit, ut recte Vossius docet disp. de Bonis operibus eorumqve meritis; freqventissime etiam illa, qvae juxta mensuram donationis Christi hic conceditur, ac pro statu viae renatis possibilis est. (2) Vt, qvod praestamus, *indebitum* sit. (3.) Vt *opus plane vel inprimis nostrum* sit, non ejus, a qvo mercedem expectamus. (4.) Opus est etiam *proportione & aeqvalitate* inter opera ac mercedem. Hae conditiones si desint, vel earum una, certe opera hominum mortalium & peccatorum,

* Aliae enim] Walenb. t. 2. 560.

qvan-

qvantumvis regeneratorum, nihil meriti proprie dicti, qvoad vitae aeternae adeptionem, habere possunt apud Deum. III. De tribus solum e septem illis conditionibus inter Romanenses convenire, de caeteris vero dissentire, Bellarminus ipse ingenue confitetur initio cap. 10. *Libertatem* enim *arbitrii* ad merendum non esse nostram, contra communem theologorum sententiam, ex Joh. Pici Apologia q. 8. sensisse Rob. Holcotum, refert Bellarm. ibidem, sect. *Omissis igitur*. Sententia haec, si modo Holcoti sententia fuit, qva de re non disputo, nec scripturis, nec Patribus, nec rectae rationi satis consentanea est, ut recte demonstrat Bellarm. & libenter concedunt multi doctissimi Protestantes, qvi tamen ab omni merito proprie dicto vitae aeternae asserendo abhorrent. Sed disqvisitio haec alterius est loci, cum spectet ad controversiam de libero arbitrio, tantopere hoc seculo cum inter Romanenses, tum etiam inter Protestantes ipsos agitatam; ac proinde in praesentia missam facimus.

Ad meritum vitae aeternae *non reqviri, ut in statu gratiae & adoptionis filiorum fiat*, censuit Michael Baius, theologus lovanienſis. Vide Bellarm. c. 12. & 13. qvi tamen eum non nominat. Sed ejus hac de re, ut & de aliis qvibusdam, sententia damnata fuit, per bullam Pii V. pontificis, a Gregorio XIII renovatam. Deinde ad meritum vitae aeternae *promissionem Dei sive pactum liberale atqve gratuitum, reqviri*, negavit idem

idem Baius, (vide Bellarm. c. 14.) atqve cum eo multi alii theologi romanenſes, ut mox dicemus. Pag. 198.) De Michaele Baio jam bis nominato, & de cenſura Pii V. & Greg. XIII. aliqvarum illius aſſertionum, audi Suarez. de Gratia, Proleg. 6. c. 2. *Fuit noſtris temporibus*, inqvit ille, *in lovanienſi academia doctor qvidam catholicus & eruditus, cujus nomen cum Pontifices ſilentio praeterierint, libenter tacerem, niſi jam ex aliorum libris & ſcriptis eſſet notiſſimum, ſcil. Mich. Baius. Ille igitur in aliqvibus libris, qvos de charitate & rebus aliis ſcripſit, varios articulos ſeu aſſertiones poſuit, in qvibus nunc ad pelagianiſmum, nunc ad lutheraniſmum, & calviniſmum inclinat. Cumqve eſſet ſpectatae probitatis & doctrinae, ut in bulla dicitur, potuit auctoritate ſua plures in ſuam ſententiam ducere, & academiam illam catholicam & inſignem corrumpere aut perturbare. Cui malo ut occurrerent dicti Pontifices, hanc bullam ediderunt, &c.* Vide bullam ipſam apud hunc auctorem immediate poſt ſubjectam, & n. 11. & 12. cenſuram ac judicium theologicum cujusdam jeſuitae de qvibusdam (*perperam*, ut affirmat jeſuita ille, ſed negat Suarez) interpretantibus bullam iſtam. Cenſuram vero hujus jeſuitae a Suarezio non nominati, lege, lector benevole, in opuſculis Vaſqveſii, qvi Michaelis Baii ſententias nonnullas ab ipſo non intentas iniqviſſime torqveri, contra alios Romanenſes acriter contendit; licet ipſe cum Baio nonnunqvam graviter erret.

Bo-

Bonum opus meritorium esse posse vitae aeternae, *nisi ex charitate procedat*, qvis sanae mentis dixerit? Gulielmus altisiodorensis nihil aliud censuit, teste Bellarm. ipso cap. 15. qvam meritum prius & principalius a fide, qvam a charitate, pendere. *Qvae sententia*, inqvit Bellarminus, *non parum favere videtur erroribus hujus temporis haereticorum.* Fallitur igitur hic doctissimus Vossius, qvando disputatione de Meritis bonorum operum thesi. 4. circa finem affirmat, opinionem Gul. altisiodorensis fuisse, non opus esse, ut opus vitae aeternae meritorium ex charitate proficiscatur. An vero *opus bonum seu meritorium salutis*, ut loqvuntur Patres, *prius & principalius a fide, qvam a charitate pendeat*, saepius supra dictum. Caeteris omissis, ad seqventia pergamus.

Pag. 199.) CAPUT IV.

An opera bona justorum, meritoria sint vitae aeternae, ex condigno? A capite 16. usqve ad finem libri.

PRotestantibus maxime probatur sententia illorum romanae partis, qvi in hac qvaestione censent non esse utendum his vocibus *de condigno & de congruo*, inqvit Bellarminus cap. 16. Sed absolute dicendum, opera bona justorum esse meritoria vitae aeternae ex gratia Dei. Locum in-

integrum Thomae Waldensis in hanc sententiam tom. 3. de Sacramentalibus c. 7. qvia insignis est, & paucula qvaedam tantum ex illo communiter a Protestantibus ipsis citari solent, huc adscribere minime piget: *Qvantum mea sapit modicitas, haec ipsa determinatio scripturarum, qvam sic ex apostolo & psalmista annotant S. patres, congruentius jungeretur locutionibus de meritis hominum, qvam absolute diceretur*, qvod homo ex meritis est dignus regno cœlorum, aut hac gratia vel illa gloria: *qvamvis qvidam Scholastici invenerunt ad hoc dicendum terminos* de condigno & congruo. *At Chysostomus dicit?* Qvid dignum facimus in hoc seculo, ut participes Domini nostri in regnis cœlestibus fieri mereamur? *Ideo juste dicit apostolus*: Existimo, qvod non sint condignae passiones hujus temporis, ad futuram gloriam. *Reputo igitur saniorem theologum, fideliorem catholicum, & scripturis sanctis magis concordem, qvi tale meritum simpliciter abnegat, & cum modificatione apostoli & scripturarum concedit, qvia* simpliciter qvis non meretur regnum cœlorum, sed ex gratia Dei, aut voluntate largitoris. *Sic enim dicit apostolus*: Non qvod sufficientes simus. Et paulo post: *Meritorum nostrorum in articulo minime Deus attendit sive rationem congrui, vel condigni, sed gratiam suam, aut voluntatem suam, aut misericordiã suam.* Haec ille, qvem A. Vega opusc. de Meritis in generali q. 4. *uberrimum* appellat *fontem, ex qvo hauserunt bonam partem pene omnes, qvi lutheranam sectam propugnarunt.*

Pag. 200.) Qvibusdam tamen Proteſtantibus, aliisqve viris moderatis & pacis eccleſiae amantibus, non omnino improbatur ſententia, etiam eorum Romanenſium, qvi meritum de condigno proprie ſumptum ſimpliciter rejicientes, admittunt tamen in bonis juſtorum operibus *meritum aliqvod, ſed improprie dictum*, meritum ſcil. *congrui*; ſed non, ut vulgo Scholaſtici illud meritum intelligunt. Inter Romanenſes videantur Gregorius arimin. in 1. Sent. diſt. 17. q. 1. art. 2. Durandus in 1. diſt 17. q. 2. & in 2. diſt. 17. q. 2. & in 3. diſt. 18. q. 2. * Marſilius in 2. q. 18. art. 3. Burgenſis in additionibus ſuper Pſal. 35. & Jo. Eckius in Centuriis de praedeſtinatione. Vide Bel. larm. c 16. Vegam opuſc. de Meritis ex condigno q. 5. aliosqve plurimos. Hanc ſententiam phraſi tantum diſcrepare a priore, recte affirmat Pareus ad cap. 16. hujus libri Bellarmini: Nam licet concedant meritum congrui, qvod non niſi late loqvendo meritum appellatur, meritum tamen condigni, de qvo ſolo revera controvertitur, negant; ſicut fatetur Bellarm. §. *Alii volunt.* Bucerus in Actis colloq. ratisb. 2. pag. 568. ait: *Congrui qvidem meritum in juſtificatorum operibus ineſt:* Congruit *enim* cuiqve creaturae & operi Dei id, qvod Deus omnium conditor ipſe cuiqve rei & operi ſuo deputat. *Cum jam amantiſſimus noſtri & benigniſſimus Pater decreveverit, noſtra bona opera, qvae in nobis tamen ipſe efficit,*

* Marſilius] Ab Ingen, academiae heidelbergenſis doctor & primus rector, qvi vixit ſeculo 14.

efficit, propter filium suum tam liberaliter remunerare, hinc certe decet jam illa opera, & eos, qvi ea fecerunt, atqve congruum eis est, ut id ipsis Deus praestet, qvod eis non minus juste, qvam benigne est pollicitus. And. Fricius lib. 4. de Ecclesia cap. 12. hac ipsa de re disputans contra eos, qvi meritum de condigno mordicus defendunt, inqvit: *Multa in theologia disceptatrice, de ejusmodi condignitate disputantur. Verum qvi de hoc apposite ad usum conscientiarum differunt, meriti congrui mentionem fecerunt, condigni non fecerunt.* Pighius vocat *meritum ex congruo, qvod non ex se, sed ex Dei gratia, aliqva dignitate aestimatur.* Erasmus etiam dicit, *meritum congruum cum gratia non pugnare, qvemadmodum nec merces, nec debitum cum eadem pugnat: praesertim si referas ad Dei promissionem.* p. 276. Et rursus tract. 3. de Meritis nostrorum operum pag. 649. *Omne meritum fidelium est; qvod tamen non ex se, sed ex Dei misericordia meriti in loco habetur.* Pag. 201.) *Cumqve hoc Dei dignatione fidelibus contingat, non immerito condignitas detrahitur de operibus illorum: congruentia qvaedam tribuitur illis: Congruum enim esse videtur, liberalem aliqvid dare, qvod, qvi accipit, ex condigno non meruit.*

Communem autem sententiam theologorum admittere simpliciter meritum de condigno, eandemqve verissimam esse, affirmat qvidem Bellarm. cap. 16. sect. *Communis sententia*, sed hic multa, studiose lector, observatu digna occurrunt.

In Concil. trident. sess. 6. can. 32. absqve omni mentione meriti vel de congruo, vel de condigno, hoc tantum dicitur: *Si qvis dixerit, justificati hominis opera bona non vere mereri vitam aeternam, anathema sit.* Ubi tamen si per *vere mereri* intelligunt Patres illi proprie & exacte loqvendo mereri, meritum condigni necesse est admittant. Neqve enim ullum est, si proprie & exacte loqvi velimus, meritum, nisi meritum condigni; meritum enim, qvod appellatur *congruum*, est meritum diminutum & impropriu, & titulo tenus, non re ipsa. Sed Patres ii non ignari acerrimarum, qvae in scholis agitantur, contentionum & digladiationum de merito condigni, illiusqve ratione & fundamento, more suo, hac de re, ut & de plurimis aliis, generaliter tantum & ambigue loqvi, maxim etutum & commodum esse censuerunt.

Cornel. Schultingius, theol. colonienſis, Variarum lectionum & animadversionum in Calvini Institut. lib. 3. sic scribit: *Qvod ad* meritum condigni *attinet*, aboleri sinimus, aut certe scholis remittimus, ut sine qvo subsistere potest orthodoxae fidei veritas; *cum nec ipse persvaderi potuerit Origenes, ullum esse opus nostrum, qvod ex debito Dei remunerationem deposcat, neqve etiam hoc ipsum, qvod sumus, qvod agere, qvod cogitare, qvod proloqvi possumus, nisi ex Dei dono ac largitione sit. Nec etiam existimavit apostolus*, condignas passiones esse eorum, qvi Christo incorporati sunt, ad futuram gloriam, qvae revelabitur in nobis. Jesu-

Jesuita anglus S. R. in responsione ad librum Th. Belli, cui titulus, *Ruina Papatus*, p. 220. 224. & 231. affirmat, Bellum manifeste Romanensibus injurium esse, qvando illis impingit, qvod *de fide certum esse* existiment, *atqve in Concil. trid. definitum*, bona justorum opera vitae aeternae ex condigno meritoria esse. Pag. 202.) *Nihil enim tale*, inqvit, *Concilium definivit, & qvi meritum illud tenent, non pro fidei dogmate, sed pro opinione solum habent.* Vide etiam, si libet, ejusdem Belli Catholicum, ut nuncupat, Triumphum hoc ipso de argumento c. 9. p. 274. 275. Qvocirca Bellarminus ipse *communem* tantum appellat *theologorum sententiam*, fidei autem dogma esse, aut a Concilio trident. (qvod alioqvi haud pauca nimis temere definivit, qvæ melius indecisa & indefinita mansissent) definitum, non audet dicere.

Sed *communem esse theologorum sententiam*, qvod bona opera ex condigno & proprie loqvendo mereantur, qvemadmodum affirmat Bellarminus, ex praedictis falsum esse, abunde patet. Qvo tamen dilucidius adhuc pateat, audi porro alios romanae partis theologos. Stephanus Brulifer (qvem & Hosius in Confessione citat) c. 53. in 2. dist. 27. q 6. *Nullus purus viator, qvantumcumqve purus & perfectus sit, potest mereri cœlestem gloriam de condigno, sed, si meretur, tantum meretur illam de congruo.* Et opinio ista est valde devota, & fulcitur multis auctoritatibus. Pighius de Lib. arbitr. l. 5. f. 81. *Leve*

hoc & momentaneum, (ut inqvit apostolus 2. Cor. 4. 17.) *operatur aeternum gloriae pondus.* Nulla *ergo* hujus ad illud condignitas, nulla comparatio. *Operatur nihilominus hoc illud*, operatur, *inqvam*, merendo; *neqve enim alium, qvo ipsum operetur, modum imaginari est:* merendo, *inqvam*, non qvidem de condigno, sed de congruo. *Qvi meriti modus, uni nihilominus retribuentis benignitati liberalitatiqve innititur, ac gratiae.* Videatur Clichtovaeus in Can. missae ad verba, *Intra qvorum nos consortium non aestimator meriti, sed veniae, qvaesumus, largitor admitte.* Eluciatorii ecclesiast. pag. 140. Et ad verba hymni ecclesiastici de S. Michaële, *Paradiso redde tuo nos sola clementia*, pag. 69. Qvamvis idem alibi longe aliud doceat, ut affirmat Vasqvez in. 1. 2. tom. 2. disp. 214. cap. 4. Qvid? qvod *Scholastici omnes pene* (inqvit Cassander ep. 19. ad Jo. Molinaeum) *dignitatem, aeqvalitatem, & commensurationem meriti & praemii*, non in re ipsa & intrinseca bonitate actus, sed in divina acceptatione, pactione, & ordinatione *constituunt.* Pag. 203.) *Qvamvis autem nonnulli sint, qvi hic aeqvalitatem qvandam & justitiam ex divina pactione & conventione statuant, affirmantes, Deum homini, jure promissionis, ad reddendum praemium obligari; haec tamen ipsa* obligatio principium habet gratuitum, *neqve ullam operibus intrinsecam virtutem addit, sed omne jus conseqvendi praemii in gratuita promissione consistit.* Qvocirca Vasqvez ipse in 1. 2. parte 2. disp. 214. n. 1. 2. inqvit, *opera bona*

ex

ex se spectata, non habere condignitatem & rationem meriti, sed totam rationem meriti constare in promissione & pacto Dei. Sic affirmant, ait, *Scotus, Gregor. arimin. Gabr. Biel, Occam, Alphonsus de Castro, Vega. Hi doctores revera negant meritum condignum operum, & totam vim meriti adscribunt solis operibus Christi.* ibid. c. 5. n. 23. Rursus ibid. c. 1. n. 2. *Contingere potest, ut, si veram causam & rationem meriti condigni non assignemus*, verbis solum a Protestantibus dissidentes, re ipsa cum eis conveniamus, *atque in eorum sententiam, velimus, nolimus, consentire cogamur: quod sane aliqvibus Catholicis in hac controversia accidisse, non obscure inferius patebit. Nam defendentes veram rationem* meriti condigni *in operibus justorum, eorum dignitatem usque adeo extenuarunt, ut eam simpliciter negare videantur.* Assertoribus hujus sententiae a Vasqve enumeratis, licet non paucis, plurimi alii adjungi possunt, non tantum veteres Scholastici, qvod agnoscit Bellarm. c. 17. §. *Alii contra*, sed etiam recentiores scriptores non obscuri nominis, Vasqvi & Bellarmino non lecti. Clingius in L. C. Ferus in multis operum suorum locis, qvorum qvaedam proinde expungi jubent rigidi illi romanae partis censores, Isidorus Clarius, Genebrardus in expos. Symboli athan. p. 99. aliiqve complures, qvorum nomina in re tam certa & clara commemorare nihil necesse est.

Horum Romanensium sententia, omisso vel potius expuncto, & jure qvidem meritoqve odio-

odioso illo additamento *de condigno*, quod ad rei summam attinet, nihil a Protestantium saniorum sententia differt, quicquid contra affirmet Bellarm. loco cit. §. *Distat.* Pag. 204.) Vt enim omittamus sententiam rigidiorum Protestantium, qui *opera justorum non esse vita aeterna digna* contendunt, propter aliquam peccati maculam omnibus etiam rectissime factis adhaerentem, qua de re superiori libro dictum; tamen in hoc cum Protestantibus omnibus theologi memorati conveniunt, quod *citra promissionem & acceptationem divinam opera nostra nullam habere condigne meritoriam vitae aeternae dignitatem* arbitrentur, ut recte observat Vasquez loco cit. cap. 5. n. 22. & 23. *Porro*, inquit, *doctores primae opinionis*, (jam scilicet recitatae,) *bonis operibus secundum se dignitatem vitae aeternae negantes*, totam dignitatem nostrorum operum referunt in Dei favorem, & acceptationem propter Christi merita. *Quod quidem nihil aliud est, quam veram & perfectam rationem meriti, scilicet condigni, nostris operibus denegare, & totam vim meriti solis Christi meritis adscribere.* Bellarm. etiam ipse confiteri cogitur, ex theologorum praedictorum sententia, *justorum opera, licet vere bona sint, non esse tam excellentia, ut proportionem habeant cum vita aeterna*, & ideo acceptari quidem a Deo, ad justitiam & dignam mercedem vitae aeternae, sed *ex pacto & promissione*, non ex operum dignitate.

Sententiam illam Protestantibus maxime invisam,

visam, qvam cum qvibusdam aliis Romanensibus mordicus tuetur Vasqvez cap. 4. & seq. aliqvot, *bona opera justorum ex seipsis, absqve ullo pacto aut acceptationis favore, condigne mereri vitam aeternam*, rejiciunt & prolixe refellunt non tantum Protestantes omnes, sed multi etiam doctissimi Romanenses, ut Bellarminus, Suarez, aliiqve.

Sententiam Bellarmini aliorumqve qvorundam, *opera bona justorum meritoria esse vitae aeternae ex condigno, ratione pacti & operis simul*, solide refellunt & multi Romanenses, qvi, ut dictum, opera bona habere dignitatem & rationem meriti ad vitam aeternam, sed ex ordinatione sive acceptatione Dei, non ex intrinseco operum valore, contendunt, ut Scotus cum suis sectatoribus, & Protestantes omnes. Sententiam Tapperi, Lindani, Hosii, aliorumqve, qvos recenset Vasq. loco cit. cap. 2. opera nostra esse meritoria, *ex dignitate intrinseca, qvam habent a gratia ex promissione Dei, & ex meritis Christi*, qvibus qvasi ornantur & tinguntur, (qvam sententiam videtur amplecti etiam Gregorius de Valentia. Et huc spectat illud tritum inter Romanenses dictum, *opera, qvatenus tincta sunt sanguine Christi, mereri vitam aeternam*) refellunt alii dissentientes theologi romanenses, ut de protestantibus nihil dicamus. Pag. 205.)

Ex qvibus Romanensium dissensionibus in hac materia, clarissime apparet, cum in nomine solo *meriti condigni* consensio sit, in re autem ipsa multivaria dissensio; (qvicqvid enim extru-

it unus, destruit fere alter) non leve *signum atqve argumentum id esse vaniatis hujus dogmatis*, & consensionem illam aliunde, qvam ex vi manifestae veritatis, proficisci: plana enim & aperta veritas hujusmodi operosis distinctionibus & limitationibus opus non habet, ut intelligatur. Adde, qvod inanes hæ hominum otiosorum & infeliciter curiosorum disputationes non modo in scripturis & Patrib° nihil fundamenti habeant, sed utrisqve plane repugnent, & ad veram pietatem promovendam non solum nihil faciant, sed mirum, qvantum eidem officiant. Innumera hujusmodi incommoda & prava cum rectae fidei tum verae pietati noxia & pernicioſa dogmata peperit ecclesiae Christi hic in occidente theologia scholastica sive disputatrix, fœdissime a plerisqve fere omnibus semper vitiata & corrupta.

Qvod disputat Bellarminus c. 19. contra suorum gregalium qvosdam, *Deum bona justorum opera ex mera liberalitate remunerare ultra vel supra condignum*, nae libentissime illi concedunt Protestantes; qvin immo urgent omnes: etenim eo ipso meritum vitae aeternae de condigno validissime everti existimant. Responsio autem Bellarmini in fine cap. 18. §. *Respon.* miserum tantum subterfugium est. Qvid vero de iis, qvae Bellarm. disputat a cap. 20. usqve ad finem libri, *Qvaenam* scilicet *sint illa, qvae cadunt sub meritum de condigno?* judicandum sit, ex praedictis facile cuivis intelligenti constat. De tota au-

ta autem hac meriti disputatione, ut alios innumeros Protestantes silentio transeam, lege sis J. Vsserium, archiepiscopum nunc armachanum, contra jesuitam hibernum, Fr. Whiteum contra Fisherum jesuitam, J. Davenantium, episcop. sarisbur. disp. de Justitia actuali cap. 53. & seq. Adi etiam Theses theolog. Ger. Jo. Vossii de Meritis.

Sed qvia tota haec lis de meritis multis theologis moderatis logomachia tantum videtur, (vide archiep. spalat. de Rep. Ecclesiastica l. 7. c. 7. n. 8. *Dissidium*, inqvit ille, *in verbis est, ubi de meritis certant partes*) Pag. 206.) certe non imus inficias, ut nec Protestantes doctiores & saniores, (1) si opinio meriti de condigno tollatur, qvatenus scilicet bona justorum opera seu *merita*, ut Patres latini appellant, qva a Spiritu sancto proficiscuntur, intrinsecum qvendam valorem ac dignitatem mercedi aeqvivalentem habere asseruntur, & *qva ratione duntaxat cum gratia Dei in vita aeterna donanda* (2) *conciliari non possunt*: & si dignitas sive condignitas operum (nihil enim refert, sive hoc, sive illo modo loqvaris) omnis in Dei promissionem mere gratuitam, & illius gratiosam eorundem acceptationem transferatur, hanc controversiam inter viros moderatos facile non componi tantum, sed etiam omnino cessare posse. Sed sententen-

(1) Si opinio meriti de condigno tollatur] Vide p. 207.

(2) Conciliari non possunt] Aliter videtur Walenburchius tom. 2. p. 608.

sententiam aliorum multorum Romanorum, Jesuitarum inprimis, qvi operum ipsorum bonorum *intrinsecam dignitatem*, etiam qvatenus a gratia Spiritus sancti profluunt, adeo efferunt & extollunt, ut eis etiam ob illam (& non propter solam Dei promissionem & gratiosam aestimationem,) ex condigno, proprie loqvendo, vitam aeternam deberi contendant, ex ecclesia explodendam censemus, ut qvae scripturis & Patribus manifeste repugnat, immo qvam etiam plurimi alii Romanenses, adeoqve qvotqvot uspiam gentium Christi nomen invocantes, tenuitatis suae sibi conscii sunt, toto pectore detestantur & aversantur. Hoc igitur novo dogmate profligato, priscam tantum Ecclesiae catholicae doctrinam hac in materia, ut & in aliis omnibus hodie obtinere & vigere cupimus, & ardentissimis votis optamus ac postulamus a Deo ter optimo maximo. *Deus proprie*, inqvit Erasmus de Amabili ecclesiae concordia, *nulli debitor est, nisi forsitan ex gratuito promisso; qvanqvam & hoc ipsum, ut praestemus promissi conditionem, illius est munificentiae; non tamen rejiciendum est* mercedis *aut* meriti *vocabulum, qvod Deus, qvae in nobis aut per nos operatur, pro sua bonitate acceptat ac pensat.* Episcop. elienſis contra Bellarm. Apolog. c. 7. 165. *Reddi cuique secundum opera in judicio fatemur, sed* non ex pondere humani meriti, sed ex vi promissi divini: *cujus promissi ex gratia fons qvoqve; qva gratia sua benignus servator* mercedem plenam operi non pleno, mercedem

cedem diariam operi horario repromisit, qvodqve ex gratia promisit, ex justitia reddit, *justus neqvaqvam futurus, nisi dictis maneret.* Redde, qvae promisisti, *cum ea, qva par est, humilitate dicere possumus:* Pag.207.) *Redde, qvod merui,* qvod mihi ex merito debes, *puto, non debemus. Denique aliter* (1) *in Missa cardinalis loqvitur, aliter hic in Apologia. In Missa*, ut non aestimator meriti, sed veniae largitor: *hic jam per ἀντιφρασιν*, ut non veniae largitor sit, sed aestimator meriti, *audacter postulat.* Vide etiam Andr. Fricium l. c. Qvid? qvod Bellarm. ipse c. 18. §. *Ratio negari non potest*, concedere cogitur, *aeternam vitam & gloriam longe excellere actioni meritoriae*, & (qvod ibidem) ad meritum condigni non reqviri absolutam aeqvalitatem inter meritum & praemium, secundum justitiam distributivam, sed sufficere *aliqvalem proportionem*, affirmat. Vide etiam cap. 17. §. *Jam vero*, ubi, qvod dicit, *in opere ex gratia procedente esse tantum qvandam proportionem & aeqvalitatem ad praemium*, (vitam aeternam) vanum & frivolum est: eo ipso enim meritum vitae aeternae condignum, proprie sic loqvendo, diserte destruit; qvicqvid ille contra contendat: utpote ad qvod constituendum non sufficit qvaedam proportio, sive proportionalis qvalitas, sed absoluta & perfecta aeqvalitas, sive exacta proportio reqviritur, ut constat. Sufficiat ergo dicere, (2) esse meritum

(1) In Missa] Vide supra, pag. 202.
(2) Esse meritum aliqvod] Vide p. 206.

tum aliqvod, sive dignitatem aliqvam operum bonorum, (qvomodo tantum pia vetustas loqvi amavit) qvae tota ex gratia & dignatione divina pendeat, sed *a merito de condigno proprie & exacte sic dicto*, i. e. a nupero & novitio qvorundam Scholasticorum commento asserendo ac defendendo, *abstineatur*. Multos enim nodos, ut jam alia, eoqve multo graviora argumenta non allegemus, qvi novas & falsas sententias mordicus defendendas suscipiunt, ipsi sibi inducunt, qvos sine aperta contradictione dissolvere non possunt. Sed hic hujus libri, immo universae de justificatione controversiae, qvinqve libris a Bellarm. pertractatae, & totidem a nobis optima fide, pro modulo lucis & gratiae concessae, examinatae finis esto.

Benedictus Deus, qvi dat lasso virtutem, & qvibus non est robur, vires multiplicat. Esa. 40. 29.

Pag. 209.)

Consideratio
Controversiae
De
Purgatorio.

CAPUT I.

An purgatorium Romanensium firmum habeat in sacris literis fundamentum, nec ne?

Omis-

OMissis in praesentia iis, qvae de circumstantiis purgatorii, videlicet de loco, tempore, pœnarum genere, suffragiis, & hujus generis aliis, minus certa apud ipsos Romanenses habentur, & de qvibus multum inter se variant, (videatur Bellarm. lib. 2. de Purgatorio per totum) de iis tamen, qvae apud eos certa & de fide habentur, dicamus. Qvod locus sit aliqvis, in qvo tanqvam in carcere post hanc vitam, eorum fidelium animae, qvae alicujus temporalis pœnae peccatis mortalibus debitae reatu adhuc obstrictae, Pag. 210.) vel cum aliqvibus peccatis venialibus migraverunt, secundum justitiae divinae rationem gravissime cruciantur, qvoad penitus ab hujusmodi peccatis purgatae in cœlum ingredi valeant, qvo nihil intrabit coinqvinatum, (vide Bellarm. de Purgat. lib. 1. c. 1.) * *dogma esse fidei*, communiter asserunt hodie Romanenses, & creditu tam necessarium, (ut audacissime affirmat Bellarm. lib. 1 de Purgat. cap. 15.) ut, qvi non credit purgatorium esse, ad illud nunqvam sit perventurus, sed in gehenna sempiterno incendio cruciandus. Idem etiam odiosissime repetit in Apolog. Torti contra seren. M. Brit. R. J. Vide episcopi eliensis Respons. ad illam apolog. cap. 8. pag. 209. Immo Panigorola insaniens non dubitavit negare Deum esse, si purgatorium non sit, Lect. de purg. Taurini habita. Vide Synopsin purior.

* Dogma esse fidei] Vide p. 239. 265.

rior. theol. disp 39. de Purgat. thesi 4. Hanc tamen sententiam de Purgat. utut locum forte habere possit *inter opiniones scholae*, qvae non sine formidine contrarii sunt, ut loqvitur doctissimus episc. eliensis l. c. pag. 208. inter fidei tamen articulos non posse, immo nec dogma qvidem eccleſiasticum haberi posse, recte judicant Protestantes.

Primo enim dogma hoc *nullum habet in sacris literis fundamentum*, neqve ex vero, certo, & perspicuo scripturae loco demonstrari potest; cum tamen *in his, qvae aperte in scriptura posita sunt, inveniantur illa omnia, qvae continent fidem moresqve vivendi*, ut ait August. lib. 2. de Doctr. christ. cap. 9.

Jactat qvidem Bellarm. lib. 1. de Purg. cap. 15. *ex viginti scripturae locis purgatorium patere, atqve etiam hoc se probatum dedisse*; sed qvam misere illa scripturae loca detorserit, luculentissime demonstrarunt plurimi doctissimi Protestantes aliiq; viri moderatissimi ex ipsis locorum illorum circumstantiis, ex Patribus, qvos & interpres citat, & ex aliorum Romanensium in eadem loca commentariis. Lector diligens eos adeat, qvi hanc controversiam copiosius contra Romanenses tractarunt. Idem etiam nemini non clarissime apparere potest ex plurimis *frigidissimis & timidissimis ipsius Bellarmini dictis* in omnibus fere praedictis locis explicandis & urgendis: mirum enim est, qvantum saepe frigeat, in hac disputationis parte ad rem calidissimam,

pro-

probandam suscepta. Pag. 211.) Sed *cogitationes mortalium* non possunt non esse *timidae*, *& sententiae incertae*, (ut verba sapientis, Sap. 9. 14. cum qvadam variatione hic usurpem) qvando divinitus non diriguntur, per sapientiam e cœlo acceptam. Qvam incerta enim & lubrica sunt ista lib. 1. cap. 3. sect. *Ad qvintum dico*, dum respondere conatur ad id, qvod objiciunt Protestantes, *eos, pro qvibus ex Judae machabaei praescripto oratum oblatumqve fuit*, 2. Machab. 12. 46. *in mortali peccato decessisse*, ut qvi de anathemate, h. e. de rebus, qvae idolis Jamniae sacratae erant, suffurati essent. v. 40. contra legem Deuter. 13. 17. & comminationem, qvae est Jos. 7. 12. cum Romanenses pro veniali tantummodo peccato orari & offerri debere doceant: *Dico*, inqvit Bellarminus, *peccatum illorum aut fuisse veniale, qvia forte ignorabant legis prohibitionem, aut certe, si mortale fuit, in mortis articulo milites illos doluisse de peccato, aut saltem Judam machabaeum ita existimasse.* Sed qvam dubie & haesitanter haec a Bellarmino dicuntur! Certe sacrificium pro tanti criminis reis, de qvorum pœnitentia haud certo constaret, fieri non debuit. Ibidem §. *Ad Septimum: Praeter hunc locum* (Machab. scilicet) *sunt*, inqvit, *alia qvaedam*, (testimonia nimirum) *qvae solum probabiliter suadent.* Haec autem sunt omnino novem, qvae p st subjungit & urget, ut ibidem videre est: qvae non cogunt, seu solum probabiliter suadent, & qvae fere omnia varie exponi, variosqve sensus habere

bere possunt, diserte confitente ipso Bellarmino. Ex loco Matth. 12. 32. ubi dicit Dominus, esse qvoddam *peccatum, qvod non remittitur neqve in hoc seculo, neqve in futuro*, cap. 4. infert, *qvaedam peccata remitti in futuro seculo*, scilicet in purgatorio. Et sect. *Respondeo*, inqvit: *non sequi secundum regulas dalecticorum id, qvod infert ex verbis Domini, sed tamen sequi secundum regulam prudentiae.*

De argumento palmario, qvod fere omnes Romanenses urgent & premunt ex 1. Cor. 3. 11. & seq. confitetur idem Bellarm. cap. 5. locum istum esse *unum ex difficillimis totius scripturae*; qvod etiam ex Augustino confirmat. Qvomodo igitur ex eo purgatorii dogma perspicue demonstrari potest? Vt videas, qvam misere se ipse fatiget, immo torqveat, ut purgatorium inde non eliciat, sed extorqveat, lege, obsecro, aeqve lector, totum illud cap. 5. atqve intuere illud, (ne inobservatum abeat) qvod haud procul a fine Bellarm. respondens ad objectionem gravissimam suae hujus loci explicationi oppositam, Pag. 212) absurdum scil. esse, apostolum in eadem sententia varie accipere nomen *ignis*, semel pro judicio, & semel pro vero igne purgatorio, §. *Respondeo primo*, inqvit: *Respondeo, nos cogi ab ipso textu ad aqvivocationem non unam, sed duas admittendas.* Male Bellarminus affirmat, se ab ipso textu cogi; ipse enim tantum cogit textum aeqvivoce loqvi, ad sensum suum incongruum (ut loqvitur Hieron. ad Paulino) ap

tand-

tando scripturae testimonium, & ad voluntatem suam scripturam trahendo repugnantem, ut paulo post dicemus. De loco 1. Cor. 15. 29. qvem urget cap. 6. *Qvid faciunt, qvi baptizantur pro mortuis?* Sic loqvitur Bellarm. *Hic locus aperte convincit, qvod volumus, si bene intelligatur.* Caute admodum dictum, *si bene*, id est, ad mentem Bellarmini intelligatur. Longe enim aliter Patres locum hunc intellexerunt, ut ibidem videre est. Vnde continenter subdit Bellarminus: *Sex invenio hujus loci expositiones.* Qvod ad locum Matth 5. 26. & Luc. 12. 59. *Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas novissimum qvadrantem*, attinet, audiatur Bellarm. c. 7. §. *De sexto*, ubi ait: *De sexto conveniunt etiam fere omnes*, &c. Et paulo post: *Augustinus putat, hic agi de pœnis aeternis gehennae.* In urgendo loco Matth. 5. 22. *Qvi irascitur fratri suo, reus erit judicio, &c.* cap. 8. §. *Respondeo primo*, inqvit: *Secundo dico, saltem ex hoc loco posse deduci pœnas aliqvas post hanc vitam purgatorias esse.* Ibidem de loco Phil. 2. 10. *Vt in nomine Jesu omne genu se flectat cœlestium, ac terrestrium, & subterraneorum*, sect. *Vtuntur*, dicit: *Vtuntur nostri hoc loco; sed tamen non videtur multum urgere.* Vides igitur, lector, qvam inaniter glorietur Bellarm. locis supra citatis, purgatorium etiam ex viginti scripturae locis probari posse, atqve etiam demonstrasse se, illud ad fidei dogmata ita perspicue pertinere, ut qvodlibet aliud certissimum dogma fidei.

Sed priusqvam hinc abeamus, libet pauca ex Guil. Estio de loco illo celebratissimo, & in qvo qvasi fortunae purgatorii positae plerisqve Romanensibus videntur, huc adscribere, nempe ex Comm. in 1. Cor. 3. 13. *Rursum alii*, inqvit, Bellarminum praecipue intelligens, cujus sententiam hic tacito illius nomine refellit, *existimant, apostolum non una significatione* ignem *accipere.* Pag. 213.) *Nam primo qvidem loco* conflagrationis ignem *intelligunt; secundo ignem interpretantur* severum & justum Dei judicium, qvo probantur & examinantur omnia hominum opera: *tertio deniqve loco, cum dicitur*, ipsum hominem salvum fore, sic tamen, qvasi per ignem, *intelligi volunt* ignem purgatorium animarum post hanc vitam. *Verum* aliis absurdum haud immerito videtur, apostolum in uno contextu paucorum verborum tam varie loqvi de igne: *nec facile qvisqvam sibi persuaserit, tertio loco purgatorium ignem animarum significari, si primo & secundo loco diversus ignis significatus fuerit. Qvare ut in hac obscuritate, Pauli mentem attingamus, inprimis apparet, ignem uno modo in hoc contextu accipi debere.* Affirmat igitur, locum hunc totum *de igne conflagrationis in die extremi judicii* intelligendum esse; atqve hic multa veterum citat testimonia de igne novissimi diei, ut Basilii, Hilarii, Ambrosii, Lactantii, Eucherii lugdunensis, Alcuini, Haymonis, & Lombardi. Vide auctorem ipsum late hac de re differentem. Movet tamen in fine explicationis hujus loci inter

inter alias qvaestiones & hanc numero tertiam, p. 223. An, & qvomodo probetur ex hoc loco purgatorium animarum post hanc vitam ? *Si enim*, inqvit, *opus unius cujusqve probabit ignis, atqve ea probatio demum futura est in die Domini, & ad eundem diem referendum est illud*, Salvus erit qvasi per ignem, *non modo non videtur ex hoc loco construi purgatorium animarum statim a morte corporum, verum etiam destrui, cum tota purgatio reservetur extremo judicio. Atqvi purgatorium ex hac scriptura latini Patres in Concilio florentino, licet Graecis dissentientibus, statuendum putaverunt.* Autor, ne gregales suos irritaret, & nimio plus offenderet, paucis respondet, purgatorium animarum ex hoc etiam Pauli loco bene & solide colligi : sed qvantum frigide id praestet, lector judiciose, ipse tuis oculis vide. Ludit enim potius, qvam serio agit in ista sententia hinc deducenda. Movet etiam immediate post, & qvidem pag. 224. qvaestinem : *Cur apostolus, omissa mentione purgationis animarum, qvae fit medio tempore, loqvatur tamen de igne extremi judicii?* Ejusdem responsionem ad qvaestionem hanc expende, lector, & clarissime videbis, locum hunc totum nulla ratione ad purgatorium animarum, sed ad ignem ertremi diei, omnium opera probaturum, referendum esse. Licet longe aliter vir hic doctissimus hunc locum intelligendum censuerit in 4. Sent. dist. 21. §. 1. & 4. p. 298. 304. scilicet de purgatione animarum post mortem.

Pag. 214.) Audiatur etiam idem Estius de

sensu loci 1. Cor. 15. 29. *Qvid facient, qvi baptizantur pro mortuis?* in comment. in istum locum, ubi sic refellit expositionem illam, qvam Bellarminus cap. 6. veram & germanam, immo verissimam esse affirmat: *Sunt*, inqvit, *alii qvidam recentiores, qvi* baptizari *interpretantur* affligi, *qvomodo sumitur* Luc. 12. 50. *proinde sensum hunc faciunt:* Frustra qvidam pro mortuis juvandis orando, jejunando, & alia qvaedam dura subeundo sese fatigant & affligunt, si mortui non resurgunt. *Verum certe non multum probabilitatis habere videtur istiusmodi commentarius; primum, qvod* illa baptismi significatio valde figurata sit ac rara, *nec ab alio qvam a Christo usurpata. Qvod enim ad verba praecursoris attinet, loqventis de baptismo ignis, Matth. 3, 11. melius ea referuntur ad rem gestam in die pentecostes. Deinde refellitur ille commentarius, qvia baptismus iis duobus locis, qvi allegantur ex Luc. 12. 50. & Marc. 10. 38. 39. non significat afflictionem seu passionem qvamlibet, sed* vehementem, eamqve forinsecus illatam aut irruentem, *ut sunt in scripturis, persecutionum ac tribulationum, qvibus qvi merguntur & obruuntur, baptizari videantur. Hoc autem ad voluntarias afflictiones, ut sunt orationes, eleemosynae & jejunia, qvae pro mortuis adjuvandis suscipiuntur, accommodari non potest. Qvas si Paulus omnino significare voluisset, non dixisset,* qvi baptizantur, *tanqvam ab aliis, sed* qvi baptizant se ipsos pro mortuis. *Qvomodo secundum scripturam, qvi voluntaria subeunt jejunia, seipsos aut* animas suas affligere *dicuntur, ut*

ut Levit. 16. 29. & 23. 27. *& alibi* Haec ille. Vide etiam Cornelium a Lapide in hunc locum, qvi Chrysostomi expositionem omnium simplicissimam esse judicat. Adi etiam theses Vossii de Resurrect. carnis thes. 18. & de utroqve loco vide notas J. Scaligeri in fine Novi Test. graeci excusi Londini, anno 1628.

Qvam incerte & haesitanter episcopus rossensis hac de re contra Lutherum art. 27. qvi est, *Purgatorium non potest probari ex S. scriptura, qvae sit in canone*, differit! *Primum*, inqvit, *dicimus, qvod tametsi ex scripturis non possit probari purgatorium, veritas ejus nihilominus Christianis cunctis credenda est.* Pag. 215.) Deinde pergit, sibi contradicens: *Qvoniam scriptura S. conclave qvoddam est omnium veritatum, qvae Christianis scitu necessariae sunt*, (nota hoc obiter, lector, pro scripturarum perfectione) *nemini potest ambiguum esse, qvin purgatorii veritas in ipsa contineatur, & qvin ex ipsa qvoqve probari possit.* Et paulo infra: *Qvanqvam fortassis unam aliqvam scripturam, qvae protervientem adigat, uti rem, velit, nolit, confiteatur, in promptu non sit adducere, potest esse nihilominus illic aliqva, tametsi diligentissimos hactenus inqvisitores ipsa latuerit.*

Joachimus Perionius in Topicis theologicis: *Solus*, inqvit, *locus Machabaeorum, depromi potest ex scripturis divinis, qvi aperte doceat, preces & sacrificia prodesse mortuis.* Hosce autem Machabaeorum libros (vide p. 216.) canonicos non esse concedit, ut alios prope innumerostestes si-

lentio praetereamus, ipse etiam Gregor. magnus Moral. lib. 19. cap. 17. *Non inordinate agimus, si ex libris, licet non canonicis, sed tamen ad aedificationem Ecclesiae editis, testimonium proferamus.* Et postea adducit locum ex 2. Machab. Vnde Julius Caesar Bulengerus, referente Chamiero de Purgat. tom. 3. lib. 26. cap. 2. n. 3. cum Mornaeus hoc Perionii objiceret apophthegma, *nullum se scire scripturae locum ad purgatorium probandum*; adjecit, *difficile esse dari aliqvem textum expressum & clarum, seqve eam ob causam haesisse locis iis, qvos Patres purgatorio applicarint, ut ostenderet, non esse hanc rem novam, sed fuisse in primitiva ecclesia: Nam si rationibus*, inqvit, *agatur de horum locorum interpretatione, annus abiret totus, & tandem res maneret indefinita.*

Petrus a Soto, qvi Tridenti tempore Concilii obiit, in Assertione catholica pag. 83. *Non est*, inqvit, *cur mirari debeamus, qvod nec prophetica nec apostolica scripta aliqvid certi & perspicui de purgatorio tradiderint, cum certum sit, multa sine scripturis esse tradita.* Et pag. 84. *Illis scripturae locis* (qvae scil. pro purgatorio citari solent) *fatemur, non apte purgatorium probari; sed qvod ex certa fidei regula credimus, id autoritatibus illis advertimus judicari.* Item pag. 85. *Nec eorum, qvi purgatorium negant, argumenta efficacia sunt, sumta ex eo maxime, qvod in scriptura nihil perspicue de eo traditur; cum jam constet, multa non scripta fuisse eorum, qvae credenda sunt, sed auctoritas Ecclesiae satis est.* Pag. 216.) Idem in Sacerdotum

tum instructione lect. 1. de Purgat. ingenue confitetur, *minus apertas, minus efficaces esse, & minus probare autoritates scripturae, quae ad probandum purgatorium a suis doctoribus adferuntur: illis itaque non esse utendum.* Item, *non esse necessarium, nec opportunum, inniti loco* Matth. 12. 32. Non remittetur, neque in hoc seculo, neque in futuro: *quia responderi potest, dictum esse secundum quandam exaggerationem & hyperbolen. Neque etiam ex illo 1. Cor. 3. 13.* Sic tamen, quasi per ignem, *probari, esse aliquod tale purgatorium post mortem; quia talis ignis debet intelligi, ut ambo per eum transeant, tam qui aurum, quam qui fœnum aedificant. Quae ratio*, inquit idem, *efficacissime arguit, ibi non probari purgatorium post mortem, aut si cui videtur, nihilominus probari posse, certe propter ambiguitatem, sensus minus est evidens. Quare nec illi innitendum. Locus autem ex 2.* Machab. 12. 46. *de igne aliquo purgatorio aut loco, in quo animae ustulantur, nihil habet, & ita potest explicari, ut ex eo suffragia pro mortuis, saltem ex facto, inde probari non possint.* Sed praeterea de libri illius auctoritate, an scil. canonicus sit, dubium fuisse apud antiquos, quod tempore Augustini nondum satis explicatum videbatur, ait idem Soto, asseritque, *dogma de purgatorio certius & evidentius esse, quam sit libri illius auctoritas; nec esse evidentiora minus evidentibus confirmanda.* Vide Synopsin purior. theol. loco supra citato. De auctoritate 2. Machab. adi sis, inter alios innumeros, viri longe doctissimi Petri Picherelli

judicium in Appendice de Missa pag. 34. *Quo ex loco*, (2. Machab. cap. 2. 29.) inqvit, *autor ipse epitomes satis indicat, qvantum ipsi veritatis & sincerae exactaeqve diligentiae sit tribuendum, qvi eam non a se, sed ab autore Jasone velit reqviri.* Et in dissertat. de Missa, pag. 142. de loco cap. 12. vers. 43. in omnibus bibliis latinis corrupto, ita loqvitur: 2. *Machab.* 12. περὶ ἁμαρτίας θυσίαν, pro peccato sacrificium, *dicit auctor; sed corruptus locus. Latine corrupte adhuc legitur in templis, in omnibus bibliis*, pro peccatis mortuorum. Pag. 217.)

Immo purgatorium, qvod hodie astruunt Romanenses, non modo nihil fundamenti habet in scripturis, sed etiam *cum plurimis illarum testimoniis aperte pugnat*: sicut Protestantes, aliiqve etiam viri moderati, abunde demonstrarunt; qvos, qvia nos brevitatem affectamus, tibi consulendos relinqvimus, lector studiose. Sufficiat in praesenti locus maxime insignis & illustris, qvo (ut recte Picherellus ait differt. de Missa pag. 156.) paucis verbis B. Johannes purgatorium ignem extinxit, Apoc. 14. 13. *Beati mortui, qvi in Domino moriuntur; a modo*, (*etiam dicit spiritus*) *ut reqviescant a laboribus suis*, &c. qvem paulo accuratius excutere, & a corruptelis contradicentium vindicare, fortasse nec ingratum nec inutile erit lectoribus. Ad hunc locum respondent multi Romanenses, non esse intelligendum, nisi *de martyribus*, ita ut *mori in Domino* sit *mori pro Domino*, aut *propter Dominum*,

num, qvia scil. saepe praepositio *in* apud Hebraeos idem valet, qvod *propter* aut *pro*. In hanc etiam sententiam explicant qvidam Protestantium, ut Beza & Piscator, hunc locum. Bellarminus lib. 1. cap. 12. affirmat, loqvi b. Joannem *de viris perfectis*, ac praesertim de sanctis martyribus, (eos enim eo loco, inqvit, consolari volebat) qvi simpliciter moriuntur in Domino, neqve aliqvid purgandum secum ferunt. Similiter & Estius in h. l. de viris perfectis intelligit. Sed expositio haec repugnat communi fere omnium expositorum sententiae, qvae est, (ut confitetur Ribera ipse in locum) haec de omnibus justis dici. Primasius ait: *Illi in Domino dicuntur mori, qvi fide vitaqve probabiles, hinc meruerunt evocari.* Aretas caesarienses: *Non omnes praedicat beatos mortuos, sed in Domino morientes:* Τοὺς νεκρωθέντας τῷ κόσμῳ, καὶ τὴν νέκρωσιν τοῦ κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι περιφέροντας, *mortificatos mundo, & mortificationem domini Jesu in corpore circumferentes.* Videatur Gagnaeus, sententiam veterum Graecorum referens. Beda, citante Ribera: *Gratias tibi ago, Jesu, qvi beatificas eos in cœlo, qvi in te moriuntur in terra. Qvanto magis illos, qvi & in tua & pro tua fide felices ponunt animas!* Anselmus: *Qvi in confessione Domini vera dissolvuntur.* Pag. 218.) Haymo, qvem Bellarm. & Ribera citant, sententiam hanc non improbat, dicens: *Qva sententia* Beati, qvi in domino moriuntur, *simpliciter*

potest

potest intelligi: Beati mortui seculo, qvi in Domino moriuntur, viventes virtutibus, qvi scil. pleni fide & caeteris bonis operibus, de hoc mundo migrant. *Haec vox tam ad ipsum Johannem pertinet, qvam ad omnes fideles, qvi remunerationem sempiternam expectant. Qvod superius dicit,* Beati, qvi in Domino moriuntur, *omnibus electis congruit.* Vnde Ribera in locum: *Qvaeritur,* inqvit, *an probanda sit communis illa expositio, de omnibus fidelibus scilicet? Respondeo,* veram esse & probandam, *eique favere consuetudinem Ecclesiae, qvae in officio defunctorum haec verba proponit, qvasi de omnibus velit qvodammodo intelligi. Causa est, qvod* esse in Domino, sive esse in Christo, *significat* intra ejus corpus contineri, *non qvomodocunqve, sed ut viva membra.* Salutate eos, qvi sunt ex Narcissi domo, qvi sunt in Domino. Rom. 16. 11. Salutate Andronicum & Juniam, qvi & ante me fuerunt in Christo. v. 7. Rom. 8. 1. Gal. 1. 22. *Denique idem est,* esse in Domino, & manere in Domino: *Joh. 4. v. 5. 15.* Manete in me, & ego in vobis. Qvi manet in me, & ego in eo, *hic fert fructum multum. Ita etiam in Domino moriuntur, qvi usqve ad mortem in eo manent, & cum moriuntur, viva Christi membra sunt.* Vide 1. Cor. 15. 18. 1. Thes. 4. 14. *Est autem & hic sensus ad id, qvod apostolus agit, aptissimus, qvoniam & priorem illum complectitur, & latius manat, ad omnesqve justos pertinet: & qvamvis plurimi eo tempore martyrio vitam finient, tamen multi etiam fugati & spoliati a ministris antichristi, & multi in-*

com-

commodis affecti, tandem sine martyrio morientur in summa sanctitate ; de quibus etiam apostolo loquendum fuit, & quos non putandum ab hac beatitudine excludi. Beati mortui, qvi in Domino moriuntur, *cum eis causa , quae subditur , conveniat :* a modo etiam dicit Spiritus, ut reqvieſcant. Haec omnia Ribera , qvi alioqvi ſententiam de ſolis martyribus hic intellectis maxime probat.

Pag. 219.) J. Lorinus in Act. Apoſtol. cap. 7. 60. ad verbum, *obdormivit*, ſic commentatur : *Nihilominus prior expositio loci* (ſcilicet, Beati mortui, qvi in Domino moriuntur, de cujus loci ſenſu illic agit) *recipienda est de omnibus, scilicet justis, qvam Ecclesia agnoscit, proponens in officio defunctorum illa verba de omnibus justis ; camqve sequuntur Andreas caesarienſis , Beda , Richardus de S. Victore,* (qvem tamen Bellarm. affirmat, locum intelligere ſolum de viris perfectis) *Primasius, Ansvvertus, Joachimus abbas , Hugo cardinalis, * Carthusianus, Viegas noster* (jeſuita ſcilicet) *& alii ; nec Haymoni displicet.* Nota hoc obiter contra Bellarminum. *Ita locum illum Bernhardus etiam intellexit in serm. ad milites templi , cap. 1. & epist. 98. Favet qvoqve epistola Pauli ad Roman. cap. 16. 7. 11. & epistola ad Gal. cap. 1. 22. aliaqve ex utroqve testamento exempla colligit noster Sà in indice scripturae. Ex qvibus intelligi potest , qvod* eſſe in Domino, *vel* in Chriſto, *significat , intra corpus ejus contineri, & in ipso manere. Qvare* in Domino etiam moriuntur & obdormiunt, qvi manent in eo usqve ad mortem , & in ipſa mor-

* Carthuſianus] Nomine Dionyſius.

morte sunt viva ejus membra. *Qui sensus congruit proposito Johannis, qvia, etsi sub antichristo plurimi vitam martyrio finituri sint, alii tamen, & jam non pauci, ab ejusdem ministris affecti variis aliis incommodis, morientur sancte, sed sine martyrio: qvibus tamen omnibus, & his convenit, qvod ibidem subditur*, a modo etiam dicit Spiritus. Haec ille, ex Ribera fere omnia verbatim conscribens.

Ex praedictis liqvet, qvam absurdum, immo monstrum sermonis novum sit, qvod dicit Bel. arm. lib. 1. cap. 12. circa finem, *fideles aliqvos non simpliciter mori in Domino, sed partim in Domino ratione charitatis, qvam secum ferunt, partim non in Domino, ratione peccatorum, qvae nihilo minus secum ferunt.* Concesso enim, qvod multi Patres, & viri qvidam hujus seculi doctissimi & moderatissimi, ut probabile, admittunt, (qva de re infra plenius dicemus) *fideles aliqvos posse & solere ex hac vita decedere cum peccato aliqvo, vel etiam aliqvibus levioribus hic non remissis*, sed in vita futura post mortem, intercessione Ecclesiae, non autem pœnarum purgatorarum, a Romanensibus fictarum, toleratione remittendis; Pag. 220.) moriuntur nihilominus & hi simpliciter in domino, nempe in Christi gratia, & in morte viva illius membra sunt, alioqvi perpetuis suppliciis mancipandi essent: & beati sunt pro statu tali intermedio, neqve pœnis illis gravissimis & acerbissimis, qvae finguntur in purgatorio, cruciantur, sed statim a morte

morte & vitae hujus aerumnis ad qvietem vel reqviem cœleſtem abeunt, majorem interim beatitudinis cœleſtis gradum in die viſionis Dei clarae & plenae ardentibus votis expetentes, & cum plena fiducia ut plurimum expectantes. Bellarminum nihil juvat, qvod Auguſtinus lib. 3. contra 2. Epiſtolas Pelagianorum cap. 3. dicat, *juſtos in hac vita partim eſſe filios Dei, partim filios hujus ſeculi*, ac proinde neqve mirum videri debere, qvod aliqvos dicat ipſe mori partim in Domino, partim non in Domino. Etenim dicit qvidem Auguſtinus eo loco, *juſtos hic eſſe filios Dei, & filios ſeculi*, diverſa ſcil. ratione, qva peccant, vel non peccant; ſed nusqvam dixit, eosdem eſſe partim filios Dei, partim non filios Dei: ſiqvidem *filii Dei*, & *non filii Dei*, repugnantia ſunt, ut non poſſit, qvi filius eſt Dei, eſſe non filius Dei. Diverſa autem hic ſunt, *filii Dei, filii ſeculi*, ſed non repugnantia: at *mori in Domino, non mori in Domino*, ut loqvitur Bellarm. non diverſa, ſed potius contradicentia ſunt. Sed reſpondet Bellarm. ad locum, cum Anſelmo, illud *a modo* non ſignificare a morte uniuscujusqve, *ſed ab extremo judicio*, de qvo, inqvit, toto eo cap. S. Johannes loqvitur. Sed qvam abſurde locus hic ſic exponitur: Beati, qvi in Domino moriuntur, qvia a modo, nempe a die extremi judicii, in aeternum reqvieſcent a laboribus ſuis! Ecqvis enim & qvalis interim erit ſtatus in Domino morientium, ſive animarum piarum a corpore ſeparatarum ante finale judicium?

um? Beatusne, an vero miser? Qvis non videt, ad idem tempus, praesens scilicet, utrumqve referri, sive sic intelligas: *Beati, qvi in Domino moriuntur, & a modo beati sunt:* sive per trajectionem τὸ ἀπάρτι cum nomine *Beati* connectere libet, (vide Bezam in locum) vel etiam, ut facit interpres latinus, cum seqventibus *a modo etiam, &c.* (ubi hoc obiter annotetur, in latinis codicibus, pro ναὶ, *etiam*, legi *jam*. Vide Riberam in h.l. & Petr. Picherellum de Missa p. 128. & in appendice de Missa pag. 341. 342.) Pag. 221.) Sensus enim loci, particula ἵνα, *ut*, per trajectionem transposita, sic erit: *ut a modo requiescant a laboribus suis.* Qvam particulae hujus transpositionem non raro invenire est in scripturis, videlicet Act. 19. 4. Rom. 11. 31. 2. Cor. 2. 7. & 12. 7. Vide Picherellum l. c. pag. 128. & 341. 342. Qvod vero cum verbo *moriuntur* potius construendum sit, indicat qvidem etiam e Protestantibus Piscator, qvi ad supplicia christianorum tempore antichristi locum restringit, & Chamierus tom. 3. lib. 23. cap. 5. n. 5. arbitratur, non posse cum seqventibus construi, qvia particula ναὶ non soleat subjici primae commatis voci, sed inchoare potius ipsam sententiam. At utrumqve infirmum est: *Est* enim *haec particula*, inqvit Beza in hunc locum, *cum μακάριοι necessario conectenda, qvoniam alioqvi prioribus seculis mortui in hac sententia non comprehenderentur.* Ribera scribit: *Si autem dicamus,*

Beati

Beati mortui, qvi in Domino moriuntur a modo, *cur additum est*, a modo, *cum semper beati fuerint, qvi in Domino moriuntur*? Illud etiam Chamerianum infirmum esse, ex seqventibus Riberae patet. Dicamus ergo, *a modo etiam dicit Spiritus*, sive, ut legit Primasius, *ab hinc etiam Spiritus*, nempe qvoniam Spiritus sanctus dicit & jubet, ut ex hoc tempore reqviescant a laboribus suis, id est, a tempore mortis. Crebrae enim multarum istiusmodi particularum trajectiones in sacris literis occurrunt.

Sed ut de re ipsa dicamus, audiantur veteres, qvi τὸ ἀπάρτι *a tempore mortis* exponunt, confitente Ribera, videlicet Ambrosius, vel illi tribuitur commentarius in Apocal. *a modo, nempe a tempore mortis suae, reqviescent sancti a laboribus suis*, Haymo, Beda, qvi etiam affert illud Psal. 126. vel 127. 2. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce haereditas Domini:* Aretas, *Illis enim revera exitus a corpore, reqvies est liberans a laboribus*, Ansbertus, &c. Vide Riberam, *In qvibus verbis*, inqvit ille, *ostenditur, sanctos in hoc mundo neqvaqvam a laboribus cessaturos, nec reqviem illis esse qvaerendam. Qvousqve enim labor consummetur, necesse est, ut ab opere manus intentionis non dissolvantur.*

Qvod affirmat Bellarminus, *toto illo cap. 14. agi de extremo judicio*, falsum esse, probat vel ipsa textus inspectio vers. 8. &c. Pag. 222.) concedunt etiam Romanenses plurimi: ac proinde huic solutioni non admodum confidens Bellar-

minus, loco citato inqvit: *Vel si id minus alicui probetur, respondere possumus cum Richardo de S. Victore*, &c. Atqve haec de hoc scripturae loco inprimis claro sufficiant. Pergamus ad seqventia.

CAPUT II.

An ex Patribus certo, & perspicue purgatorium Romanensium probari possit.

SEd neqve etiam ex Patribus, ante Gregorii papae aetatem, purgatorium, qvale adstruunt Romanenses, certo & clare probari potest, qvamvis jactitet Bellarm. lib. 1. cap. 15. §. *De tertio*, &c. *omnes veteres Graecos & Latinos, ab ipso tempore Apostolorum, constanter docuisse, purgatorium esse*; & cap. 10. §. *Deinde, apertissima esse loca in Patribus* (graecis & latinis, vide titulum capitis) *ubi asserunt purgatorium.* Multo parcior & modestior fuit roffensis, qvi contra artic. 18. Lutheri, haec scripsit: *Apud priscos nulla, vel qvam rarissima fiebat mentio.* Sed & Graecis ad hunc usqve diem non est creditum, purgatorium esse. Legat, qvi velit, Graecorum veterum commentarios, & nullam, qvantum opinior, aut qvam rarissimum de purgatorio sermonem inveniet. Sed neqve Latini simul omnes, sed sensim hujus rei veritatem conceperunt. Suffragatur Alphonsus de Castro adversus

sus haeres. lib. 8. tit. Indulgentiae: *In veteribus de purgatorio fere nulla, potissimum apud graecos scriptores, mentio est. Qva de causa usqve in hodiernum diem purgatorium non est a Graecis creditum.* Eadem legere est apud Polydorum Vergilium de Invent. rerum lib. 8. cap. 1, ex roffensi episcopo verbatim repetita.

Citat Bellarm. lib. 1. cap. 5 §. *Ex Graecis*, inprimis *Origenem, apertissime*, ut ait, *purgatorium docentem* homil. 6. in Exod. & homil. 14. in Levit. & homil. 12. in Hierem. Vide & cap. 10. &c. Pag. 223.) Sed, Deus bone, qva fide! cum certum sit, Origenem, praeter pœnalem hujus seculi purgationem, non aliam agnovisse, qvam per talem ignem, qvem extremo judicii die subituri sint Apostoli etiam ipsi, omnesqve omnino mortales, uno Christo excepto. Vide varia Origenis loca hujus rei firmandae apud Sixtum senensem Bibliothecae S. lib. 5. annot. 170. Tutatur etiam idem Bellarm. ipse de Purgat. lib. 2. cap. 1. §. *Adde, qvod.* Immo omnes malos, tam daemones, qvam homines, tandem inferno penitus evacuato salvandos, & proinde omnes pœnas post hanc vitam esse purgatorias, censuisse Origenem, referunt, & errorem refellunt Epiphan. epist. ad Johannem hierosolymitanum, & August. lib. 21. de Civit. Dei cap. 17. & 23. & libri de haeres. c. 43. &c. Vide Bellarm. ibidem §. *Secundus error.* & lib. 1. c. 2. §. *Porro non defuerunt.* & Sixt. sen. Biblioth. lib. 5. annot. 131.

Citatur a Bellarmino cap. 10. & qvidem pri-

mo loco, Gregor. nyssenus in oratione de Mortuis, operum tom. 2. edit. graeco-latinae pag. 1066. qvod dicat: *Vel in praesenti vita precibus sapientiaeqve studio purgatus, vel post obitum per expurgantis ignis fornacem expiatus, ad pristinam vellet redire felicitatem.* Et pag. 1067. *Non poterit a corpore egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas animae immixtas purgatorius ignis abstulerit.* Et deniqve pag. 1068. *Aliis post hanc vitam, purgatorio igne materiae labes abstergentibus.* Sed * parum advertit vir doctus, *Greg. nyssenum apocatastasin* sive redintegrationem illam, qvam etiam peccatores omnes in fine consecuturos existimavit Origenes, intellexisse & probasse. Audiatur auctor tractatus illius græeci de Purgat. qvi extat cum Nili opusculis excusus Hanoviae anno 1608. (apologia fuit Graecorum de purg. igne in Concil. basil. exhibita) pag. 146. *Superest unus, videlicet Gregorius, nyssenae ecclesiae praesul, qvi magis, qvam alii, qvae pro vobis faciunt, dicere videtur. Atqvi satius erat, illius autoritatem praeterire, nullaqve ratione nos cogere, eorum, qvae dixit, defensionem aperte in medium proferre. Dicendum tamen nobis est, salva, qvoad ejus fieri potest, patris illius existimatione. Homo erat, &c. Cum itaqve qvaestio de pœna aeterna nondum agitata, discussaqve esset, bene etiam Greg. nyssenus opinione ἀποκαταστάσεως sive restitutionis aut redintegrationis, qvam peccatores*

* Parum advertit] M. Ant. de Dominis l. 5. de R. E. c. 8. n. 143. putat, eum id dissimulasse.

res consequentur, & quae finem supplicii infert, accessisse poterat: nihil aliud supplicium illud esse statuens, quam purgationem qvandam, & forna. cem, attractionemqve ad Deum per dolorem & labores; *tanqvam futura tandem perfecta instauratione omnium, etiam daemonum ipsorum,* ut sit Deus omnia in omnibus, *juxta dictum apostoli.* Pag. 224.) Et pag. 150. *Quae dicta sunt igitur, tametsi etiam a B. Gregorio de igne illo dicta sint,* purgationem *non particularem, sed* perfectam inferunt, καὶ τέλειαν πάντων ἀποκατάστασιν, absolutam omnium redintegrationem. *Neqvaqvam vero nobis fidem faciunt, qvi ad communem totius ecclesiae sententiam respicimus, & sacris scripturis tanqvam regula ac norma utimur, neqve qvid unusqvisqve peculiariter scripserit, consideramus. Neqve si qvis alius de purgatorio igne alia qvaedam scriptis mandavit, ea amplecti necesse habemus. Neqve enim scriptura duplicem pœnam* (temporalem scilicet in purgatorio, & aeternam) *& duplicem ignem* (purgatorium, & aeternum gehennae) *neqve qvinta Synodus oecumenica* (qvae scilicet sententiam Origenis & seqvacium damnavit) *nobis tradidit.* Hanc autem fuisse sententiam Gregorii nysseni, clarissime liqvet ex oratione in illud: *Qvando sibi subjecerit omnia, tunc ipse qvoqve filius subjicietur,* ubi Oper. tom. 1. pag. 844. ait: *Qvisnam est ergo scopus verbi, cujus in ea parte dogma tradit divinus apostolus? qvod aliqvando ad nihilum transibit, mali natura plene & perfecte deleta ex rerum essentia:*

divinaqve & ab omni interitu aliena bonitas in se continebit omnem naturam ratione praeditam, nullo ex iis, qvi a Deo facti sunt, excidente a regno Dei; qvando omni vitio, qvod rebus fuerat immistum, tanqvam aliqva natura adultera, per ignis purgatorii fusionem consumto, omne, qvod a Deo ortum habuit, tale factum fuerit, qvale erat ab initio, qvando nondum susceperat unum. Ecqvid clarius dici potest? Nec alia est Gregorii mens in locis a Bellarmino citatis, ut diligens & considerata illorum lectio clarissime demonstrat. Similia etiam legere est in oratione de Anima & resurrectione tom. 2. pag. 654. 661. Vide scholia, idcirco in margine utriusqve loci in editione saepe nominata, ad autorem ab errore origenico, si fieri possit, vindicandum, adjecta. Vide & locum de Hominis opificio, cap. 21. &c. tom. 1. pag. 99. & 100. Vnde in praefatione nysseni operibus praefixa haec legere est: *Huic item catholico libro, sicut & illi de Anima & resurrectione disputationi cum sorore Macrina, qvidam haeretici, ut in plerisqve veterum lucubrationibus, dogmata non nulla praecipue vero Origenis, injecerant, Nicephoro teste lib. 11. cap. 19.* Adi etiam, si libet, archiepisc. spalat. ad praedicta nysseni loca respondentem, lib. 5. de Rep. eccles. cap. 8. n. 143. 144. Pag. 225.)

Qvae ex Ambrosio in psal. 63. & in psal. 118. serm. 20. Hilario in psalm. 118. vel 119. 174. Lactantio lib. 7. cap. 21. Divinarum Institutionum, Hieronymo in cap. 7. Amosi, Ruperto

perto lib. 3. in Geneſin cap. 32. a Romanenſibus allegantur, nihil ad purgatorium ſcholaſticum, ſed ad origenicum dogma, de omnium poſt hanc vitam, tam bonorum, qvam malorum, uno Chriſto excepto, in igne ultimae conflagrationis ſubeunda purgatione ſpectant. Vide Sixtum ſenenſem, Bibl. S. lib. 5. annot. 171. ſcribentem: *Ex horum autorum ſententiis apparet, ſatis eſſe diverſa, qvae tradunt omnes theologi ſcholaſtici de igne ultimae conflagrationis.* Immo Bellarm. ipſe, qvi horum Patrum teſtimonia, tanqvam apertiſſima, purgatorio probando lib. 1. cap. 10 adduxerat, libro tamen 2. c. 1. §. *Primus, Haec ſententia*, inqvit, purgari ſcil. debere poſt hanc vitam tam bonos qvam malos, *ſolet tribui Alcuino. Sed videtur eſſe non ejus ſolum, ſed multorum Patrum*, Origenis, Ambroſii, Hilarii, &c. Et paulo poſt: *Haec ſententia accepta, ut ſonat, manifeſtum errorem continet.* Et infra: *Adde, qvod Patres adducti, Origene excepto, (cujus verba homil. 14. in Lucam, non patiuntur commodam expoſitionem) videntur ſano modo intelligi poſſe. Nam aliqvi eorum per* ignem *non intelligunt ignem purgatorium, ſed* ignem divini judicii. *Ita videntur de igne loqvi Hilarius, & Hieronymus, & in loco poſteriore Ambroſius. Aliqvi vero videntur intelligere per ignem*, verum ignem purgatorii, *per qvem tamen dicunt tranſire ſanctos ſine ulla laeſione, ita, ut tranſeant per purgatorium materialiter, non formaliter. Ita videntur*, inqvit, *loqvi Lactantius, Ambroſius & Rupertus* &c. Vide etiam hic, lector, qva fide Bellarm. lib. 1. cap. 10. horum patrum

trum loca, tanqvam disertissima, purgatorio firmando produxerit, nunc tamen pleraqve longe aliter intelligenda videri affirmat. Qvam etiam inepta est subtilitas ista! *Transeunt sancti, ex Lactantii aliorumqve qvorundam veterum sententia, per purgatorium materialiter, non formaliter* Lactantium de igne in die resurrectionis tantum loqvi, ingenue fatetur etiam Suarez ipse, tom. 2. Comment. & Disp. in 3. Thomae, qv. 59. art. 6. disp. 57. sect. 1. p. 672. Vide etiam Estium in 1. Cor. 3.

Pag. 226.) Illud Tertulliani lib. de Anima c. 35. *Ille te in carcerem mandet infirmum, unde non dimittaris, nisi modico qvoqve delicto mora resurrectionis expenso*, (vide etiam caput 58. seu ultimum illius libri, qvod a Bellarm. bis citatur, lib. 1. c. 7. atqve rursus cap. 10.) ad purgatorium Romanensium nihil facit. Longe enim aliud est, modicum qvodqve delictum mora resurrectionis, (qvam absqve Dei visione esse, multi veterum existimabant) qvae non sensus, sed damni tantum poena est, qvam poenis purgatoriis, qvae sensus finguntur esse, & qvidem gravissimae & acerbissimae, expendi sive resolvi. Praetera *expendi mora resurrectionis*, nihil aliud esse potest, qvam pro peccatorum discrimine alios aliis maturius vel tardius resurgere. Chiliastarum enim errorem approbavit Tertullianus, ut patet ex lib. 3. adversus Marcionem, haud procul a fine, ubi, *Haec*, inqvit, *ratio regni cœlestis, post cujus mille annos, intra qvam aetatem concluditur sanctorum resurrectio pro meritis maturius vel tardius resur-*

resurgentium. Vide Sixtum senensem, Bibl. lib. 5. annotat. 233. & lib. 6. annotat. 347. & Riberam in Apocalyps. 20. 9.

Triumphant fere omnes Romanenses in illo *Cypriani* lib. 4. epist. 2. (seu epist. 52. n. 13.) ad Antonianum: *Aliud est, ad veniam stare, aliud, ad gloriam pervenire: aliud, missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem, aliud, statim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud, pro peccatis longo dolore cruciatum emendari & purgari diu igne, aliud, peccata omnia passione purgasse: aliud denique, pendere in die judicii ad sententiam Domini, aliud, statim a Domino coronari.* Vide Bellarm. lib. 1. cap. 7. & 10. aliosqve innumeros. Sed hic locus 1. obscurus est, unde nihil certi aut perspicui colligi potest. 2. Respondet Matthaeus Sutlivius lib. de Purgatorio contra Bellarm. cap. 15. pag. 175. & cap. 17. pag. 237. haec verba sibi *adhibita videri a falsario. Plane enim*, inqvit, *interrumpunt Cypriani sententiam, & nihil attinent ad ipsius propositum.* Sed hoc nodum est secare, non solvere. Huic incertae, si non plane inani & falsae conjecturae, repugnant omnes codices. 3. Respodent communiter Protestantes fere omnes, hisce verbis comparari statum lapsorum pœnitentium in hac vita, cum statu martyrum post mortem; qvia hac in epistola tractat Cyprianus de satisfactionibus ecclesiasticis, sive canonicis, &c. ac proinde, ut illud, *ad gloriam pervenire*, & caetera, qvae, ut ἰσοδυναμοῦντα, a

Cypriano ponuntur, ad statum martyrum post mortem spectant; ita & illa, *ad veniam stare, & missum in carcerem non exire, nisi soluto novissimo qvadrante, & longo dolore cruciatum emundari & purgari igne diu, &c.* ad statum pœnitentium in hac vita pertinere. Pag. 227.) *His* enim *omnibus allegorice designari putant* (verba sunt Chamieri tom. 3. lib. 26. de Purgat. cap. 7. n. 26.) *statum eorum, qvi pœnitentiam solennem agerent. Nam hujusmodi ad veniam stabant, &c.* Lege Chamierum aliosqve Protestantes, in eandem sententiam respondentes. 4. Si locus Cypriani recte expendatur, videtur potius hic eorum Patrum sententiam seqvi auctor, qvi purgationis animarum eundem finem statuunt cum mundi purgatione per ignem extremae conflagrationis; oppositio enim (ut utar Chamieri verbis loco cit. n. 29.) manifestior est, qvam ut dissimulari possit: *martyres qvidem statim a morte sua coronari, sed hos pœnitentes differri in ultimum diem judicii, tum demum judicandos, &c.* Subjungit qvidem Chamierus ibidem, non esse necesse, verba Cypriani sic intelligere. Sed si verba ipsa recte perpendantur, & addantur illa, qvae paulo ante habet Cyprianus ibidem: *Vtrumne diabolo favemus, ut perimat, & semianimem fratrem jacentem, sicut in evangelio sacerdos & levites, praeterimus? an vero, ut sacerdotes Dei & Christi, qvod Christus & docuit & fecit, imitantes, vulneratum de adversarii faucibus rapimus, ut curatum Deo judici reservemus?*

clare

clare apparebit, locum vix aliter intelligi posse. Clara enim sunt ista: *Aliud est, ad veniam stare, & pendere in die judicii ad sententiam Domini*; & qvae interersuntur, *missum in carcerem non exire inde, pro peccatis longo dolore cruciatum emundari & purgari diu igne*, figurative tantum dicta sunt de igne doloris: qvo, propter divinae visionis privationem, cum aliqva etiam incertitudine ejus, qvod futurum est, animas multorum usqve ad judicii diem gravissime affici, multi Patrum existimabant. Chamierus ipse non nisi timide communem Protestantium responsionem approbat n. 26. 27. licet cap. 13. n. 49 paulo audacior sit. Responsio archiepiscopi spalatensis de Rep. eccles. lib. 5. cap. 8. n. 141. in qvibusdam ejus loci verbis explicandis a communi Protestantium responsione & sententia non nihil discrepat; sed nec ea per omnia nobis probantur. Videatur auctor. Sed ad purgatorium Romanensium, qvicqvid demum heic senserit Cyprianus, nihil prorsus facit hic locus: neqve enim, qvi in purgatorio torqventur, dici possunt *ad veniam stare*, cum ab iis exigantur poenae gravissimae, ad ultimum qvadrantem usqve; nec *ad sententiam Domini in die judicii pendere*, id est, incerti sententiam Domini in die judicii expectare, qvaenam illa scilicet futura sit; nam animas in purgatorio, Romanenses ipsi docent, de salute sua certas & securas esse. Pag. 228.)

Hieronymus in ultima verba Esaiae: *Sicut diaboli & omnium negatorum, &c.* loqvitur de poenis peccato-

catorum atqve impiorum Christianorum, qvorum opera in igne probanda atqve purganda sunt, igne scilicet ultimae conflagrationis, ut supra saepe dictum, & *qvorum moderatam arbitratur, mistamqve clementiae sententiam judicis*, nempe damnationem aeternam qvidem futuram, contra, qvam censuit Origenes, aliqvanto tamen leviorem ac mitiorem ea, qvae futura est omnium negatorum * atqve impiorum, qvi dixerunt in corde suo, *Non est Deus.* Similiter & locus alter lib. 1. contra Pelagianos intelligendus est: *Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, & diabolo tribuit pœnitentiam: qvid ad nos, qvi diabolum & satellites ejus, omnesqve impios & praevaricatores dicimus perire perpetuo, & Christianos, si in peccato praeventi fuerint, salvandos esse post pœnas*, scilicet in illo extremi judicii igne? Qvod si autem haec benigna locorum Hieronymi explicatio non satisfacit, observa, lector, esse aliqvos, (teste Bellarmino ipso de Purgatorio lib. 2. cap. 1. sect. *Est autem*) qvi arbitrentur, B. *Hieronymum in hoc errore fuisse, omnes Christianos, modo recte de fide sentiant, qvantumvis impios, in fine post pœnas inferni salvandos*, atqve ex duobus locis praedictis idem collegisse. Idem non nisi timide ibidem Bel-

* Atqve] Atqve impiorum, qvi dixerunt in corde suo, Non est Deus, credimus aeterna tormenta: sic peccatorum, atqve impiorum, & tamen Christianorum, qvorum opera in igne probanda sunt, atqve purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementiae sententiam judicis.

Bellarminus negat, qvando ait: *Videtur tamen Hieronymus in hoc errore non fuisse.* Sed si verba diligenter considerentur, Hieronymus in locis citatis ab hac sententia non omnino abhorruisse videbitur. Frustra enim Bellarminus in priore loco affirmat, Hieronymum dicere qvidem, Christianos impios salvandos esse, sed addere conditionem restingentem, cum ait, *qvorum opera in igne probanda & purganda sunt*, id est, interprete Bellarmino aliisqve etiam Romanensibus, illos solos Christianos impios salvandos, qvorum opera mala jam purgata qvoad culpam, purganda erunt qvoad reatum pœnae. Certe Hieronymus loco dicto non distinguit inter peccatores Christianos, qvorum nonnulli igne purgatorio probandi, & a peccatis purgandi sint, atqve sic demum salvandi, alii vero ad ignem purgatorium nunqvam admittendi, sed ad pœnas aeternas amandandi; sed inter diabolum & omnes negatores atq; impios, qvorum aeterna credit tormenta, & peccatores atqve impios, & tamen christianos, qvorum (simpliciter & solum) opera in igne probanda sint atqve purganda. Pag.229.) Praeterea, qvam male convenit hoc, qvod dicit Hieronymus, *impiorum & tamen Christianorum opera igne purgatum iri*, cum purgatorio Romanensium, qvod solis mediocriter bonis Christianis paratum esse contendunt! Locus autem posterior Hieronymi ex 1. adv. Pelag. si ab illis verbis, *Illud vero, qvod in sequenti ponis capitulo, in die judicii &c.* usqve ad

ist-

isthaec, *Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, & diabolo tribuit pœnitentiam: quid ad nos, qui & diabolum & satellites ejus, omnesque impios & praevaricatores dicimus perire perpetuo, & christianos, si in peccato praeventi fuerunt, salvandos esse post pœnas?* diligenter consideretur, liqvido patebit, Hieronymum ab hac sententia non omnino fuisse alienum: distinguit enim ibidem studiose inter impios & inter iniqvos & peccatores. *Omnis*, inqvit, *impius iniqvus est, & peccator; licet e converso non omnis peccator, iniqvus etiam, & impius sit: impietas enim proprie ad eos pertinet.* Vide sis, lector benevole, autorem ipsum. Non ignoro, qvaedam huic sententiae contraria ex illis Hieronymi scriptis a Romanensibus, aliisqve proferri; sed nec miror: nihil enim certi ille sibi habere videbatur, qvod super hac re non parum tunc controversa pronunciaret, licet cum pietate, ut existimabat, in sententiam molliorem propenderet. Vide archiepisc. spalat. de Rep. eccles. lib. 5. cap. 3. n. 149. & inter Protestantes Chemnitium Exam. Concil. trident. R. Fieldum de ecclesia, editionis noviſſimae p. 781. 782. aliosqve plurimos. Sed nullum Hieronymi dictum purgatorio Romanensium favet.

Gregorius nazianz. oratione * in S. lumina, circa finem, pag. 636. dicens, *In altero aevo igne fortasse baptizabuntur: qvi postremus est baptismus, nec*

* In sacra lumina] Id est, in festum baptismi Christi. Extat haec oratio tom. 1. Opp. p. 624.

nec solum acerbior, sed & diuturnior, qvi crassam materiam instar foeni depascitur, vitiisqve omnis levitatem absumit, per *ignis baptismum*, teste Niceta in commentario in orat. Illum. 39. intelligit examen censuramqve extremi judicii, juxta id, qvod ait apostolus 1. Cor. 3. 13. *Vniuscujusqve opus, qvale est, ignis probabit.* Et rursus: *Dies enim declarabit, qvia in igne revelabitur.* Vide Gregorium hunc ipsum orat. 26. haud procul a principio: *Revelationis*, inqvit, *dies perspicue declarabit, ignisqve ille postremus,* ᾧ πάντα κρίνεσθαι ἢ καθαίρεσθαι τὰ ἡμέτερα, *qvo omnia nostra judicabuntur aut purgabuntur.* Pag.230.) Loqvitur etiam de igne illo, qvo dicit, τυχὸν ἐκεῖ, *forte illic baptizandos*, i. e. in extremo die, Novatianos, qvi lapsis pœnitentibus reditum in ecclesiam negabant. Qvi gravis & pernitiosus fui error, Romanensibus etiam ipsis judicibus. Vnde Nicetas paraphrasi in locum: *Qvod si vos*, inqvit, *non flectimus, pro vobis, utpote incurabili morbo correptis, lacrymas effundemus; igne enim baptizabimini sempiterno.* Immo hanc ipsam ob causam, ut observat Chamierus ex Turriani praefatione graeca in διαταγὰς Clementis, visa fuit olim oratio haec Gregorii loco hoc qvibusdam ab Origenistis corrupta. Adde, qvod Gregorium theologum, dogma Origenistarum tunc temporis tantopere controversum, nec satis clare in ecclesia, ut videbatur, definitum, in universum damnare non ausum esse, testentur Graeci in Apologia sua de igne

igne purgatorio p. 323. memorata, hisce verbis: *Quod vero jam olim controversum fuerit hoc dogma, neque ita repurgatum, ut ejus veritas esset certa, testis est Gregorius theologus in oratione de Baptismo* (orat. 40. p. 665. novissimae editionis Paris.) *ubi de inextinguibili illo igne differens, subjungit*: Nisi qvispiam malit etiam hic benignius id ipsum intelligere, & punientis dignitati convenientius. *Vides*, inqviunt, *qvo pacto liberum faciat volentibus ignem illum benignius interpretari.* Locum tamen hunc aliter intelligit Nicetas in comment. qvem vide.

Objicitur & * Basilius in cap. 9. Esaiae: *Si igitur per confessionem detexerimus peccatum, jam succrescens gramen arefecimus, dignum plane, qvod depascatur ac devoret purgatorius ignis.* Et infra: *Non omnimodam internecionem, & exterminium comminatur, sed innuit expurgationem, juxta apostoli sententiam*, Ipse autem salvus erit, qvasi per ignem. Atqve etiam paulo ante: *Declarat, in gratiam & beneficium animae, terrena ipsa tradi depascenda igni punitivo.* Qvi locus a Bellarmino omissus, qvia illi parum ad rem suam facere videbatur, de igne tamen ultimae conflagrationis loqvitur. Vide Sixtum senens. Bibl. S. lib. 5. annot. 171. Johannes Duraeus, scotus, jesuita, in Defensione Campiani contra Whita-

* Basilius in cap. 9. Esaiae] Nonnulli, interqve eos etiam Hülsemannus Patrolog. cap. 4. §. 34. commentarium istum pro dubio habent: sed immerito, ut judicant Cave in Hist. lit. p. 136. & Du Pin tom. 2. p. 181.

Whitakerum. p. 378. haec habet verba : *Qvae res in causa fuit, ut Basilius, Gregorius nazianz. aliique veteres ecclesiae scriptores, in ipso judicis adventu quosdam illo igne purgandos senserint, quo sine ulla peccati ac contagionis labe divino sisti judicio queant.* Idem affirmat Estius in 1. Cor. 3. 15. Oecumenius in 1. Cor. 3. Basilii dicta de igne aeterno interpretatur, in qvo in aeternum purgatur peccator, i. e. pœnas peccatorum luit aeternas. Pag. 231.) Audiatur. Ipse; vero) *In commentariis Esaiae S. Basilius bis verbi hujus mentione facta, pro ipsa purgatione accepit.* Qvasi per ignem) *Omnia dixit metaphorice. Expende autem : Non tanqvam fascis combustus, in nihilum redigetur & ipse. Sed qvid?* Ipse autem salvus erit, σωτηρίαν καλῶν τὴν ἀεὶ ἐν τῷ πυρὶ ζωὴν, ἢ τὸ ἐν αὐτῷ διασώζεσθαι, *salutem* vel conservationem *appellans vitam in igne perpetuam, & in eo conservari.* Vnde videre est, qvam male, ne qvid asperius dicam, Bellarminus Oecumenium intellexerit, & citarit l. 1. cap. 5. §. *Ex Graecis*, qvando inqvit, *Oecumenium testari, Basilium hunc locum intellexisse de igne purgatorio*, Romanensium scilicet.

Locus, qvi ex (*) *Eusebio emisseno* homil. 3. de Epiphania citatur (ut de dubia autoris fide nihil dicam; qva de re videantur

(*) Eusebio emisseno] Seu potius *emeseno*, ut Sixtus senensis, Baronius in Indice tomi 3. & Du Pin cum vocant.

(*)critici romanenſes, tum proteſtantes)de igne ultimi judicii loqvitur. Eſtius in 1. Cor. 3. p. 221. *Id*, inqvit, *apertius teſtatur Eucherius lugdunenſis*, (qvidam enim has homilias, qvae Euſebio emiſſeno adſcribuntur, Eucherii potius, lugdunenſis epiſcopi, eſſe exiſtimant) *homil. 3. de Epiphania Domini.*

Verba, qvae citat B. Thomas in Opuſculo contra Graecos, ex *Theodoreto* in 1. Cor. 3. *Hunc credimus ignem purgatorium*, & Gagneus in hunc locum, graece, non, ut ait Bellarm. l. 1. cap. 5. p. 237. *ex Graecorum ſcholiis*, ſed ex ipſo Theodoreto, ſi credere fas eſt, τοῦτο τὸ πῦρ πιστεύομεν, *nusqvam nec in latinis, nec in graecis Theodoreti commentariis extant*, confitente Sixto ſenenſi Bibl. l. 6. annot. 258. qvamvis addat: *Credi poteſt, ea vel a Graeculis qvibusdam purgatorio infenſis ſubtracta, vel ex alio qvopiam opere, ubi Theodoretus hunc locum ſic expoſuit, a D. Thoma deſumpta.* Vide obiter, lector, qvam mala fide ſaepe veteres Patres a Romanenſibus ad ſua dogmata ſtabilienda hodie allegentur. Graeci in ſua Apologia de purgatorii igne p. 145. haec habent: *Qvae dicitis B. Theodoretum ſenſiſſe, virum & ſapientem & divinum, & magnam eloqventiae laudem conſecutum: ſi qvidem etiam apud nos ita ſe habere de-*

pre-

(*) Critici] Vt Sixtus ſen. Biblioth. S. lib. 4. p. 285. Bellarm. in libro Recognit. p. 514. Du Pin tom. 2. p. 74. Cocus in Cenſ. ſcript. vet. p. 227. 231. Rivetus Crit. S. lib. 3. cap. 1. Cave Hiſt. lit. p. 111. Gerhard. Patrol. p. 428. Hülſemann. Patrol. c. 4. §. 10. Olear. Abac. patrolog. p. 157. Placcius in Catal. pſeudon. p. 191.

prehenderentur, haberent utique aliquam rationem, & nonnulla fortasis defensione egerent. Nunc vero cum in multis illius, quae apud nos extant, scriptis, nihil tale unquam dixisse comperiatur, ne verbis quidem ad illa opus esse censemus. Pag. 232.)

De Augustini super purgatorio sententia nihil fere certi statui potest. Purgatorias enim aliquas pœnas, post hanc vitam & ante resurrectionem futuras, non nullis locis asserere videtur; videtur, inquam, potius, quam ut diserte asserat. In hanc sententiam citantur hi loci, praesertim a Bellarmino aliisque Romanensibus. In lib. 21. de Civit. Dei cap. 16. ubi de infante baptizato moriente loquens Augustinus: *Non solum*, inquit, *pœnis non praeparetur aeternis, sed ne ulla quidem post mortem purgatoria tormenta patiatur*; intelligi possunt verba de tormentis purgatoriis in fine mundi. Similiter & illa in fine ejusdem capitis: *Purgatorias autem pœnas nullas futuras opinetur, nisi ante illud ultimum tremendumq; judicium, i.e.* nisi ante illam ultimam sententiam prolatam. Manifeste enim alioqui sibi contradiceret Augustinus, quippe qui l. 20. de Civ. Dei cap. 25. haec habet: *Ex his, quae dicta sunt, videtur evidentius apparere, in illo judicio quasdam quorundam purgatorias pœnas futuras.* Et lib. 16. cap. 24. *Significatur isto igne dies judicii, dirimens carnales salvandos per ignem, & in igne damnandos.* Ex ejusdem operis l. 21. cap. 24. citantur a plurimis Romanensium haec verba: *Tales* (adultos scil. fideles, cum venialibus peccatis

decedentes) *constat, ante judicii diem per pœnas temporales, qvas eorum spiritus patiuntur, purgatos, receptis corporibus aeterni ignis suppliciis non tradendos.* Citat etiam Bellarm. hunc locum bis, l. 1. c. 10. & rursus cap. ultimo §. *Ad qvartum*, & vocem illam, *Constat*, cum aliis Romanensibus valde urget: ac proinde fallitur Vossius, doctissimus & diligentissimus alioqvi scriptor, qvando in disputatione altera de Statu animae separatæ, thesi 5. p. 109. ait: *Mirari fortasse aliqvem posse, loci tam illustris non meminisse Bellarminum.* Sed, ut recte monet Vossius ibidem, in plurimis Augustini editionibus, ut basileensi A. 1556. lugdunensi 1560. & parisiensi 1613. locus hic longe aliter exstat. Sic enim habent editiones hae: *Nam pro defunctis qvibusdam vel ipsius ecclesiae, vel qvorundam piorum exauditur oratio: Sed pro his, qvorum in Christo regeneratorum, nec usqve adeo vita in corpore male gesta est, ut tali misericordia judicentur digni non esse, nec usqve adeo bene, ut talem misericordiam reperiantur necessariam non habere.* Pag. 233.) *Sicut etiam facta resurrectione mortuorum non deerunt, qvibus post pœnas, qvas patiuntur spiritus mortuorum, impertiatur misericordia, ut in ignem non mittantur aeternum, &c.* In antiqvis etiam libris, teste Ludov. Vive in comment. in locum, brugens. & colon. non leguntur isti decem aut duodecim, qvi seqvuntur, versus. Sic enim, inqvit, scribitur: *Nam pro defunctis qvibusdam, vel ipsius ecclesiae, vel qvorundam piorum exaudi-*

tur

tur oratio; sed pro iis, quorum in Christo regeneratorum, nec usque adeo vita in corpore male gesta est, &c. reliqva non habentur, ac neqve in exemplaribus Friburgi excusis: & tamen stylus non abhorret ab augustiniano. Forsan aut *desunt* in aliis codicibus, aut ex alio aliqvo Augustini opere *huc sunt adscripta*, ceu scholium primum, deinde contextui orationis admista. Haec Vives. Hoc affirmat Augustinus, ut probabile tantum, non ut qvid certum & definitum, (nisi forte hac in parte a se ipsum aperte alibi dissentire Augustinum malimus) admissa etiam lectione illa dubiae fidei, *Tales constat*; neqve enim diserte & clare dicit, *Constare, animas mortuorum purgari post hanc vitam*, ante resurrectionem scilicet, (ut affirmat Bellarminus l. 1. cap. ult. sect. *Ad qvartum*) sed *tales*, inqvit, *constat, ante judicii diem per pœnas temporales, qvas eorum spiritus patiuntur, purgatos*, (qvod illi probabile videbatur) *receptis corporibus, aeterni ignis suppliciis non tradendos.* (de qvo illi certo constabat ex Dei verbo.)

Locus ex homil. 16. *L.* Homiliarum: *Qvi temporalibus pœnis digna gesserunt, perignem qvendam purgatorium transibunt*: de igne extremi judicii intelligendus est. Praeterea de auctoritate illius homiliae, ut & aliarum qvarundam ex illis 50. dubitant multi cum Romanenses, tum Protestantes. Vide R. Coci Censuram. * p. 196. Certe bona pars homiliae 3. de Epiphania, qvae

* Coci Censuram p. 196.] Pag. 364. edit. helmstad. A. 1655.

Eusebio emisseno adscribitur, & de qva p. 231. dictum, eadem est cum postrema hujus homiliae parte, in qva leguntur haec verba, qvae pro purgatorio citari solent.

Locus qvem citat Bellarminus l. 1. c. 5. ex Augustino *in psal.* 37. alias 38. 1. *In hac vita purges me, & talem me reddas,* Pag. 234.) *cui jam emendatorio igne non opus sit.* (Nota obiter, lector, in qvibusdam codicibus legi, *cui jam emendato, igne non opus sit*, atqve hanc lectionem qvibusdam Protestantibus maxime probari, alteram autem depravatam videri. Vide Chamier. de Purgat. c. 5 n. 25. Sed nihil est, qvod vetet legere cum diversis Augustini editionibus, *Cui jam emendatorio igne non opus sit.* Lectio enim haec optime cum verbis & sensu etiam Augustini congruit) Et infra: *Qvia dicitur*, salvus erit, *ille ignis contemnitur. Ita plane, qvamvis salvi per ignem: gravior tamen erit ille ignis, qvam qvicqvid potest homo pati in hac vita*: etiam de igne extremi judicii intelligendus est. Videatur August. in. ps. 6. 2. ubi haec habet: *Arguuntur enim in die judicii omnes, qvi non habent fundamentum, qvod est Christus: emendantur autem*, i. e. purgantur, *qvi huic fundamento superaedificant lignum, fœnum, stipulam.*

Locus lib. 2. de Genesi contra Manich. cap. 20. *Qvi forte agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terrae suae in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit vel ignem purgatorium, vel vitam aeternam;* simi-

similiter intelligi potest, ut ille de C. D. lib. 21. c. 13. *Sed temporarias pœnas alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii etiam nunc & tunc, verumtamen ante judicium illud severissimum novissimumque patiuntur.* item ut alter serm. 41. de Sanctis: *Ita peccata in hoc seculo purgantur, &c* Sed sermones isti de Sanctis non sunt omnes Augustini, ut ingenue fatentur multi etiam Romanenses. Videatur (1) Coci censura. Atqve sermo hic 41. idem est cum homilia 1. de Eleemosyna, qvae Eusebio emisseno, sive, ut alii malunt, Caesario arelatensi adscribitur. Videatur idem Cocus (2) p. 201.

Qvod si autem in qvibusdam locis praedictis, vel etiam alibi, Augustinus ἀφοριστικῶς seu assertive de purgatoriis pœnis animarum ante resurrectionem corporum loqvi videtur, (qva de re nihil audacter pronuncio) certe non nisi problematice & dubitative hac de re loqvitur lib. 21. de Civit. Dei c. 26. *Non redarguo, qvia forsitan verum est.* in Enchirid. c. 69. *Tale aliqvid etiam post hanc vitam fieri, incredibile non est; & utrum ita sit, qvaeri potest, & aut inveniri aut latere.* Et de Octo qvaestion. Dulcitii eadem leguntur: *Sive in hac tantum vita ista homines patiuntur, sive etiam post hanc vitam talia qvaedam judicia subseqvuntur, non abhorret, qvantum arbitror, a ratione veritatis iste intellectus hujus sententiae.* Qvae ipsa verba repetuntur lib. de Fide & operib. cap. 10.

(1) Coci Censura] Pag. 368. (2) P. 201.] P. 373.

Pag. 235.) Fruſtra, & omnino praeter Auguſtini mentem reſpondet Bellarminus cum multis aliis Romanenſibus, lib. 1. cap. 10. ſect. *Qvare*, ut & cap. ult. *non dubitare his in locis Auguſtinum de* pœna *animarum purgatoria, ſed de* modo & qvalitate: *nam in illo de Civit. Dei*, inqvit, *dubitat ſolum, an ignis purgatorius idem ſit in ſubſtantia cum igne gehennæ, qvi aeternus eſt; in Enchiridio autem, an poſt hanc vitam urendae ſint animae igne illo doloris de amiſſione temporalium, qvo hic uri ſolent, cum rebus valde dilectis carere coguntur.* Sed hoc certe non eſt verba Auguſtini interpretari, ſed in ſenſum plane a mente illius alienum detorqvere: multum enim iſta differunt, Auguſtinum dicere, *Forte verum eſſe*, ſpiritus defunctorum, qvi ligna, fœnum, ſtipulam ſecum portaverunt, ignem aliqvem tranſitoriae tribulationis perpeti, qvem non ſentient illi, qvibus non ſint ligna, fœnum, ſtipula; qvae verba ſunt Auguſtini loc. cit. operis de Civit. Dei, & dubitare eundem, *an ignis ille purgatorius idem ſit cum igne gehennae*; de qvo dubio nullum inibi verbum legere eſt. Et rurſus, longe aliud eſt, nonnullos fideles forte per ignem qvendam purgatorium, qvanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusve ſalvari, qvod dicit Auguſtinus in Enchirid. & ad Dulcitium, qvam dubitare illum ipſum, an urendae ſint animae igne doloris de amiſſione temporalium. Dubitavit Auguſtinus non ſolum de qvalitate pœnarum, & circumſtantiis

stantiis aliqvibus purgatorii, sed etiam de ipso purgatorio: sicut ex locis citatis, si recte expendantur, cuivis perspicuum esse potest. Atqve sic etiam Augustinum intellexit Erasmus contra Parisienses tit. 8. p. 685. edit. basileens. tom. 9. *Multa*, inqvit, *sunt, de qvibus non solum dubitarunt olim homines contentiosi, verum etiam docti juxta ac pii; veluti de purgatorio diu dubitavit Augustinus, nec ille tamen solus.* Alphonsus de Castro adversus haereses l. 12. tit. *Purgatorium*, similiter hunc locum Augustini in Enchirid. intellexit, nulla habita ratione glossae bellarminianae: *B. Augustinus* inqvit, *in Enchir. postqvam locum illum Pauli* (1. Cor. 3.) *exposuerat de igne tribulationis in hac vita, cap. 69. sic ait: Tale aliqvid etiam post hanc vitam fieri, incredibile non est.* Pag. 236.) Et J. Hofmeisterus in Expositione precationis missae, edition. parisiens. 1573. p. 126. *In Enchirdio*, inqvit, *tametsi cap. 69. videatur Augustinus de purgatorio dubitanter scribere, tamen in 110. disertis verbis in hunc modum scribit:* Non negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, &c. Sed hoc nihil ad purgatorium Romanens. probandum facit, ut infra dicemus. Sic & autor Examinis pacifici de purgatorio, cap. 1. vers. anglicae, pag. 17. Suarez etiam in Defensione fidei catholicae, l. 2. c. 15. n. 14. *Item*, inqvit, *in libro de octo qvaestionibus ad Dulcitium, licet in qvaest. 1. solum dicat Augustinus*, Salvari aliqvos, sic tamen, qvasi per ignem; & non esse incredibile, ita contingere a-

liqvibus post hanc vitam, utrum vero ita sit, qvaeri posse; *tamen in qvaest. 2. repetit, qvae dixerat l. de Cura pro mortuis agenda cap.* 1. Qvod allegat & definite, & tanqvam certum docet, suffragia vivorum prodesse aliqvibus ex mortuis, licet idem infra numero 21. Augustini dicta, in qvibus dubitat, eodam modo, qvo Bellarminus, explicet. *Fateor*, inqvit J. Barnesius, vir doctissimus & moderatissimus, in suo Catholico-romano pacifico, Augustinum aliqvando vacillasse de punitione in purgatorio, de Civit. Dei l. 21. c. 26. & de Fide & operib. cap. 16. &c. Graeci in Apologia sua de purgatorio igne: *Augustinus*, inqviunt, *Ambrosius, & Gregorius* ὁ θεόλος, (legendum διάλος, ut * mox dicetur) *tradunt nihil in universum aperte de purgatorio igne, sed docent tantum, mortuos liturgiis & precibus, qvae pro ipsis fiunt, juvari.* Et infra: *Qvid? qvod & hisce Patrum dictis moderatio qvaedam & medela adferri possit, & qvidem valde recte. Ex ipso enim B. Augustino & Gregorio manifeste apparet, neqve ipsos, neqve qvotqvot hoc dixerunt, pro autoritate potestateqve sua id statuisse, neqve sententiae suae, tanqvam verae, mordicus inhaesisse*; sed veluti impulsos qvodammodo, & angustiis rationum constrictos, ad majus malum tollendum coactos fuisse. Pag. 237.) *Erat autem hoc*, omne peccatum esse expiabile; *ut nonnullis visum est. Multorum enim opinioni ex adverso reluctari, violentum esse existimantes, ut verisimile est, & metuentes, ne parum probabi-*

* Mox,] Pag. 239.

babilia dicerent, si, cum illi omne peccatum expiabile esse statuerent, ipsi *tenerent* contrarium, *mediam viam ingressi sunt, & minus malum admiserunt, ut opinionem suam probabiliorem facientes, majus malum tollerent. Iis vero, quae nonnulli certo quodam respectu dispensative dixerunt, non esse omni ex parte firmiter acquiescendum, omnes facile judicaverimus. Quin immo etiamsi, tanquam ita sentientes planeque statuentes, haec dixerint, ne sic quidem necessarium est, ut eos sequamur, eorumque sententiae acquiescamus. Si enim ex dicto B. Pauli ad hoc feruntur, atque inde argumentantur, existimantes, illum ibi* (1. Cor 3. 13.) *de tali aliquo temporario igne loqui,* (*quid autem ille senserit, abunde dictum est*) *quonam pacto nos facile fidem adhibuerimus illi sententiae, quae ex tali aliquo initium sumit, quod nobis non probatur, atque inde procedit, unde contrarium infertur?* Haec illi.

Citantur inprimis multa ex Gregorii magni Dialogis pro purgat. Romanensium. Sed 1. Dialogi hi videntur plurimis Protestantibus, atque aliis etiam quibusdam viris perdoctis, ipso etiam Possevino fatente, supposititii, & non legitimus Gregorii primi fœtus. Vt multos alios Protestantes silentio praetereamus, vide criticos, (1) Cocum in Censura scriptor. vet. pag. 222. & seq. qui pluribus contendit, alium quemvis potius recentiorem, quam Gregorium, cognomento magnum, illorum auctorem extitisse; & (2) Rive-

(1) Cocum p. 222.] Pag. 413. edit. helmstad.

(2) Rivetum Crit. S. l. 4. c. 29.] pag. 499. edit. hisp. & francof. A. 1630.

Rivetum Critici sacri lib. 4. cap. 29. Sed eos, ut legitimum Gregorii fœtum, recipiunt alii, inter Protestantes Vossius inprimis, in Patrum lectione versatissimus, disputatione altera de Statu animae separatae, thesi ult. pag. 3. & de Historicis latinis lib. 2. cap. 23. ubi prolixe hac de re differit. Sed hoc Gregorii opus esse, non tantum praeter alios multos veterum affirmat Beda lib. 1. Hist. anglic. cap. 14. sed ipse etiam Gregorius lib. 2. epist. 89. cap. 50. cum ait: *Fratres mei, qvi mecum familiariter vivunt, omni modo me compellunt, aliqva de miraculis Patrum, qvae in Italia facta audivimus, sub brevitate scribere.* Porro de Dialogorum illorum fide, in nonnullis dubitat etiam M. Canus lib. 11. cap. penultimo. Vnde adversus Canum vehementissime insurgit, & differit Baronius in Martyrologio rom. ad 23. decembris. Autores ipsos, lector erudite, consule. Pag. 238.) Sed qvicqvid contra Canum hic suo more declamet Baronius, nos qvidem Gregorii magni, ut & Bedae magnam pietatem, & zelum promovendae religionis suspicimus & veneramur; utriusqve tamen nimiam illam miraculorum & apparitionum credulitatem, qvae nec cum S. literis, nec cum Patrum priorum & meliorum seculorum sententia satis congruit, probare non audemus, immo nos admodum suspectam habere profitemur.

Graeci in sua Apologia, praeter praedicta, haec habent de Gregorio notatu digna: *Atqvi dicitis etiam, B. Gregorium in qvarto dialogorum li-*

bro

bro multis exemplis & revelationibus demonstrare purgatorium. Statuit quidem revera purgatorium ignem post mortem, ante futurum illud judicium, sive allegorice hoc intelligens, sive etiam vere ita sentiens. *Quae vero* testimonia ex S. scriptura *ad hoc stabiliendum confirmandumque adfert, nihil omnino necessarii secum adferunt: quemadmodum & antea a nobis dictum est,* & narrationes revelationesque, *quas adfert, nihil in universum definiti habent, quo in loco purgatorium ignem statuant.* Nonnullos *enim* eorum, qvi purgantur, ad thermas relegatos, iis, qvi lavantur, ministrare *dicit: alios* per revelationem apparuisse ustos *diversis in locis. Quae quidem omnia* videntur nihil aliud esse, qvam miracula & revelationes ad conversionem & resipiscentiam viventium a Deo privatim ostensae, universalem autem esse ignem purgatorium, nulla ex iis necessaria ratione probatur. *At vero per ea, quae postea subjungit, tale de purgatorio igne dogma plane evertitur. Nonnulla enim eorum, quae dicuntur levia sive minutissima peccata in justis,* per recompensationem aliorum bonorum operum in hac vita ab ipsis praestitorum purgari *dicit; nonnulla vero,* in exitu animarum e corpore, per ipsum & qvidem solum metum, purgari tradit; nonnulla etiam post mortem *per beneficia & oblationes, quae pro ipsis fiunt.* Nota autem obiter, lector, Dialogos hos Gregorii papae, sesqviseculo post autoris obitum, graece redditos fuisse a Zacharia papa, ut testatur Petrus diaconus lib. 4. de Vita Gregorii

gorii magni, & Sigebertus de Illustribus scriptoribus, cap. 87. (vide Vossium de Historicis latinis) & Gregorium, Pag. 239.) horum dialogorum conditorem, a lucubratione isthac, *dialogi* seu *dialogistae*, non *theologi*, ut mendose in Apologia Graecorum legitur, cognomen accepisse.

Ad ea, qvae citantur ex aliis multis scriptoribus latinis, Augustino atqve etiam Gregorio magno posterioribus, multis respondere non libet. Sensum enim pravum, valde saltem incertum, licet probabilis illis videretur, loci obscurissimi apostoli, 1. Cor. 3. 13. imprudentes secuti sunt. Deinde Augustini etiam dubitationes, & postea audaciores Gregorii magni assertiones, ut alia, sicut vocantur, motiva praetermittam, huic opinioni de purgatorio magnas in multorum animis addiderunt vires, & tandem tantam conciliarunt fidem & autoritatem in Ecclesiis occidentis, ut jam * *dogma fidei* statuant esse Romanenses, de qvo dubitare nefas sit.

Hoc tamen observandum, utut nonnulli Augustino posteriores, animas justorum post mortem, ante corporum resurrectionem, propter peccata venialia igne purgatorio puniri censuerint, *nullos tamen ignem illum purgatorium statuisse, pro solis etiam peccatorum mortalium pœnis temporalibus, hic non plene exsolutis*, qvemadmodum hodie communiter docent Romanenses. Vnde Gregorius ipse Dialog. lib. 4. cap. 39. haec tantum

* Dogma fidei] Vide p. 210.

tum habet: *Sed tamen de qvibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est.*

CAPUT II.

In qvo purgatorium Romanensium, Patrum doctrinae repugnare ostenditur, & simul de oratione pro mortuis agitur.

MUlta in Patrum scriptis legere est, qvae ad purgatorium Romanensium refellendum clarissime faciunt. Nos pauca tantum e multis, brevitatis gratia, citabimus. Hoc tamen hic in limine te praemonitum volumus, lector, licet nemini unqvam concessuri simus, piae vetustati plus debitae auctoritatis ac venerationis ut tribuat, plusve timoris ac honoris deferat, qvam ipsi facimus; Pag. 240.) in Patribus tamen jam citandis aliisqve etiam haud pauca occurrere loca, in qvibus de statu & loco animarum post mortem, etsi purgatorium Romanensium maxime improbent, non modo tamen alii ab aliis, sed etiam ipsi a se nonnihil dissentire videntur. Neqve mirum; de rebus enim futuri seculi, citra revelationem divinam, qvam extra sacras literas de iis omnibus, qvae ad salutem cognitu necessaria sunt, reperire non est, ecqvid certi & exploratí habere possunt mortalium etiam doctissimi & sanctis-

sanctissimi? Sacrae autem literae admodum parce & qvidem consulto de rebus istiusmodi loqvuntur, utpote ad salutem minus necessariis, ut homines etiam falli, & aliqvando pugnantia dicere potuerint.

Dionysius, dictus areopagita, lib. de Eccles. hierrach. cap 7. pag. 141. loqvens de sanctis qvibuslibet, & non de solis perfectioribus, ut Bellarminus aliiqve Romanenses volunt, in morte constitutis: *Norunt*, inqvit, *profecto, se totos jucundam gratamqve* (τῷ χειροειδῆ λήξιν, *ad Christi speciem*) *requiem esse adepturos, cum ad extremum vitae hujus venerunt, viamqve ad immortalitatem suam, & viciniorem jam factam, clarius intuentur.* Subdit autem immediate, *sceleribus nefariisqve sordibus coopertorum finem metuendum.* Locum hunc Dionysii inter primos producit Bellarminus cum aliis Romanensibus contra Graecos, de Sanctorum beatitudine lib. 1. cap. 4. sect. *Secundus sit Dionysius.* Vide Bellarm. qvi alia qvaedam ex eodem cap. parte 3. ibid. profert verba. Sed qvandoqvidem in hujus Dionysii mentionem nunc incidimus, hoc post alios notatum volumus, scriptorem hunc vetustum qvidem esse & insigniter doctum, *qvem tertio vel qvarto potius seculo vixisse verisimile est*; minime tamen illum Apostolorum contemporaneum, cujus mentio facta est, Act. 17.34. qvemadmodum communiter hodie cum permultis Graecorum existimant Romanenses. Hoc multis argumentis, praeter alios Protestantes, demon-

monstrant R. Cocus in Censura (*) pag. 50. Andreas Rivetus Critici Sacri lib. 1. cap. 9. 10. 11. p. 150. Chamierus de Canone lib. 9. c. 3. n. 28. & aliqvot seqventibus. Et de autore hujus operis non *dubitant*, ut audacter affirmat Bellarminus de Scriptor. ecclesiasticis, *soli haeretici lutherani, & qvidam scioli*, (ut viros doctos, Vallam, Erasmum, & alios appellat ille) sed alii etiam viri graves, ut Theodorus Gaza in praefat. ad Problemata aphrodisaei, Pag. 241.) Cajetanus in Act. 17. Guilielmus Grocinus, anglus, theologus summus, & romanensis, teste Erasmo. Vide Erasm. non tantum loco citato, sed & epistola praefixa Paraphrasi in 1. Cor. tom. 7. operum, & in schol. in Hieronym. de Scriptoribus ecclesiasticis, & contra Censuras theologorum paris. titulo 31. Bellarminus etiam ipse non nisi timide lib. 2. de Sacramento confirmationis cap. 7. sect. *Jam vero Chemnitius*: ait, *opus hoc esse autoris antiqvissimi & optimi, licet non sit certum, an sit illius, cujus nomen praefert.* P. Faber, vir doctissimus, & in tolosano senatu praeses, in Dodecameno sive de Dei nomine, &c. cap. 4. pag. 55. *Adde*, inqvit, *alterum Dionysii, sive areopagitae, seu vetustissimi alterius auctoris testimonium.* Et rursus, pag. 220. *Magnus ille (sive areopagita, sive alius qvispiam) Dionysius, auctor sane vetustus ac locuples.* Cassander de Baptismo parvul. pag. 683. ad marginem haec habet: *Si Dionysius areopagita ille sit, vixit aetate Pauli apostoli: sin post*

* Cocus in Cens. p. 50.] pag. 92. edit. helmstad.

Clementem alexandrinum, ut minimum centesimo ab excessu Johannis anno. Et rursus in Epistolis, epist. 47. pag. 1142. *De Dionysii*, inqvit, *aetate non satis convenit.* Videatur etiam Cœlius Rhodigin. Antiq. lect. lib. 2. c. 3. Addi possent ex aliis plura; sed, qvia res non tanti momenti est, ea missa facimus.

Justinus martyr, sive potius (1) recentior aliqvis, lib. Qvaest. & respons. ad orthod. q. 75. a Bellarmino etiam productus, contra Graecos: *Post exitum animarum e corpore*, εὐθὺς *illico justi ab injustis segregantur: abducuntur enim ab angelis ad condigna sibi loca. Ac justorum qvidem animae in paradisum, ubi consuetudine & aspectu fruuntur angelorum & archangelorum, per visionem* (2) *Dei & ipsius servatoris Christi, pro eo, atqve dictum est:* Peregre absumus a corpore, & praesentes adsumus apud Dominum.

In aureis libellis Cypriani de Mortalitate, & Ambrosii de Bono mortis, tot extant clarissima & praeclarissima in hanc sententiam dicta, ut pauca qvaedam, aliorum more, inde huc adscribere neutiqvam placeat. Legantur potius, atqve etiam saepius relegantur libelli ipsi toti, dulcissima consolatione contra acerbissimas, qvae in purgatorio post mortem finguntur, poenas plenissimi.

Pag. 242.) Locus extat illustris apud Cyrillum l. 12.

(1) Recentior aliqvis] Vide Cocum p. 118. Riveti Crit. S. 197. Cave 28. Du Pin tom. 1. p. 58.

(2) Dei] Alii legunt δὲ, *autem.*

l. 12. in Johannem cap. 36. qvem etiam citat Bellarm. contra Graecos: *Credere debemus, cum a corporibus sanctorum animae abierint*, tanqvam in manus chariſſimi Patris, *bonitati divinae commendari.* Et paulo poſt: *Firmiter credentes*, in manibus Dei nos poſt mortem futuros, *vitamq; multo meliorem ac perpetuo cum Chriſto victuros. Ideo enim Paulus deſideravit* reſolvi, & eſſe cum Chriſto.

Gregor. nazianz. in oratione funebri in laudem Caeſarii fratris: *Sapientum verbis adducor, ut credam, pulchram omnem animam & Deo charam, poſteaqvam hinc exceſſerit,* εὐθὺς protinus bonum, *qvod eam manet*, perſentientem, *& contemplantem, mirabili qvadam voluptate affici, & ſumma cum hilaritate ad Dominum ſuum tendere.*

Macarius, eremita aegyptius, homil. 22. de Duplici ſtatu eorum, qvi ex hac vita decedunt, ubi evolaverit e corpore anima homini: *Sanctis*, ait, *ſervis Dei* ἀπὸ τοῦ νῦν, ab hoc tempore aſſant angeli, *ac ſpiritus illi ſancti circumdant & cuſtodiunt eos:* ὅταν ἐξέλθωσιν ἀπὸ τοῦ σώματος, cumqve exierint e corpore, chori angelorum aſſumtas eorum animas in ſuam partem pertrahunt *in ſeculum perpetuum, & ſic adducunt eos ad Dominum.* Videatur autor ipſe. Pro, in ſeculum *perpetuum*, graece, legitur, εἰς τὸν καθαρὸν αἰῶνα ſeculum *purum.*

Inſignis habetur locus apud Chryſoſtom. homil. 3. in epiſt. ad Philip. qvem & allegat Bel-

larm. contra Graecos: *Peccatores*, inqvit, *ubi fuerint, procul a rege sunt, atqve ideo digni, qvi fleantur.* Justi vero, sive hic sive in futuro seculo fuerint, cum rege sunt; *illic tamen magis & propius* δι' ἐσόδου, *non per ingressum.* Mendose sic legit Bellarminus cum aliis: legendum cum sit, δι' ἐσόπτρου, *non per speculum.* Vide editionem savilianam in margine. Alludit enim Chrysostomus ad verba 1. Cor. 13. 12. Eadem legere est homil. 69. ad popul. antioch. & homil. in illud Sap. 3. 1. *Justorum animae in manu Dei sunt.*

Pag. 243.) Augustinus, qvi de purgatorio qvodam punitivo post mortem dubitasse videtur, ut diximus, lib. 13. de Civit. Dei p. 232. in fine capitis 8. haec habet. In reqvie sunt animae piorum a corpore separatae; *impiorum autem, poenas luunt, donec istarum ad aeternam vitam, illarum vero ad aeternam mortem, qvae secunda dicitur, corpora reviviscant.* Et tractatu 49. in Johannem: *Habent omnes animae, cum de seculo exierunt, diversas receptiones suas;* habent (*) gaudium bonae, *& malae tormenta: sed cum facta fuerit resurrectio, & bonarum gaudium amplius erit,* (qvando scilicet cum corpore gaudebunt) *& malarum tormenta graviora, qvando cum corpore torqvebuntur.* Et paulo post: *Reqviem, qvae continuo post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit qvisqve, cum moritur.* Inepte respondet Bellarminus ad hunc locum, lib. 1. cap. 13. *ingens gaudium & reqvi-*

* Gaudium bonae] Alii legunt: Habent gaudium boni, & mali tormenta, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta graviora,

qviem habere etiam animas, qvae in purgatorio torqventur; qvia scilicet certae sint aeternae suae salutis. Atqvi haec ex diametro inter se pugnant, *torqveri* animas pœnis etiam graviſſimis, & simul etiam *gaudere & reqviescere*, & nulla pati tormenta.

Locus, qvi non ex Auguſtino, ſed ex Gennadio, maſſilienſi presbytero, apud Auguſtinum tom. 3 ex libro de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 79. citatur: *Poſt aſcenſionem Domini ad cœlos, omnium ſanctorum animae cum Chriſto ſunt*, & exeuntes de corpore ad Chriſtum vadunt, *expectantes reſurrectionem corporis ſui, ut ad integram & perpetuam beatitudinem cum ipſo pariter immutentur*, notatu dignus eſt; ut & ille, qvi licet Auguſtini non ſit, extat apud Auguſtin. tom. 9. de Vanitate ſeculi cap. 1. *Scitote, qvod cum anima a corpore evellitur*, ſtatim *aut* in paradiſo pro meritis bonis collocatur, *aut certe pro peccatis in inferni tartara praecipitatur.* Et ibidem de Conſolatione mortuorum ſermone 2. cap. 1. *Recedens anima ab angelis ſuſcipitur*, & collocatur *aut* in ſinu Abrahae, ſi fidelis eſt, *aut in carceris inferni cuſtodia, ſi peccatrix eſt, donec veniat ſtatutus dies, qvo ſuum recipiat corpus.*

Citant contra purgatorium pleriqve omnes Proteſtantes, atqve etiam nonnulli moderatiores Romanenſes, Eraſmus in margine ad illa verba, mox citanda, *tertium penitus ignoramus*, P. Picherellus de Miſſa p. 152. J. Barneſius in Catholico rom. pacif. locum ex autoris Hypognoſt. (apud Auguſt. tom. 7.) lib. 5. cap. 5. *Primum locum*

Pag. 244) *fides Catholicorum divina autoritate* regnum *credidit esse* cœlorum, *secundum* gehennam; *tertium penitus ignoramus, immo nec esse, in script. S. invenimus.* Sed locus iste ad rem parum videtur facere; loqvitur enim auctor ille de locis aeternis, (qvemadmodum vere respondent Romanenses) qvae, omnibus vere catholicis confitentibus, duo tantum sunt, cœlum scilicet & gehenna. Fingebant autem Pelagiani, contra qvos hic disputatur, *parvulos non baptizatos aeternum beatos fore loco aliqvo tertio extra cœlos & gehennam, ubi nec visione Dei gaudeant, nec dolore aut molestia ulla afficiantur.* Vnde verbis hunc locum immediate praecedentibus dicitur: *Da mihi* (Pelagiane) *praeter hunc* (de regno scilicet cœlorum) *alterum locum, ubi vitae possit reqvies esset perennis.* Et verbis proxime seqventibus: *Finge,* (Pelagiane,) *locum ex officina perversa dogmatis tui, ubi alieni a Christi gratia, reqviem etiam gloriae possidere parvuli possint.*

Nec aliter intelligendus est locus ille lib. 1 de Peccat. mer. & remiss. cap. 28. *Nec est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qvi non est cum Christo;* ut patet ex verbis, qvae continenter subdit Augustinus: *Hinc & ipse Dominus volens auferre de cordibus male credentium istam, nescio qvam, medietatem, qvam conantur qvidam parvulis non baptizatis tribuere, ut qvasi merito innocentiae sint in vita aeterna, sed qvia non sunt baptizati, non sint cum Christo in regno ejus.* Similiter intelligendus est locus ille Augustini tom. 10. serm.

serm. 14. de Verbis apost. c. 3. *Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes.* Et rursus: *Nullum medium locum in evangelio novimus.* Non negasse enim simpliciter Augustinum, vel auctorem Hypognost. qvisqvis fuit, Augustini seqvacissimum, * *tertium locum temporarium post hanc vitam*, non tantum ex eo constare potest, qvod ante Christi passionem animas fidelium vet. test. *in sinu Abrahae*, id est, loco a gehenna distinctissimo & remotissimo, atqve etiam extra sanctuarium cœli fuisse existimaverit; sed etiam, qvod nonnunqvam cum aliis plurimis Patrum, in secretis receptaculis qvietem animarum justorum post excessum suum collocaverit, ut jam dicemus. *Limbum* commentitium *infantum non baptizatorum*, haec Augustini dicta manifeste refellunt; sed contra purgatorium non aeqve directe militant. Loca etiam alia nonnulla Augustini, ad rem minus facientia, consulto mittimus. Pag. 245.)

Nempe Augustinus, plurimorum aliorum Patrum sententiam secutus, animas justorum, usqve ad diem resurrectionis corporum, *in sinu Abrahae*, vel in qvibusdam abditis & secretis receptaculis extra cœlum beatorum reqviescere, affirmat; aut saltem de loco ambigit, in psal. 36. lib. 9. Confess. cap. 3. in Enchirid. cap. 108. lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. Sed qvicqvid de loco, in qvo sanctorum animae usqve ad diem ultimum reqviescunt, asserat, vel dubi-

* Tertium locum temporarium] Vide hic p. 245. 249.

tet, affirmat tamen, *easdem qvieſcere, ſine fine felices eſſe, & gaudere*; qvae nulla ratione cum gaviſſimarum purgatorii pœnarum expreſſione conciliari poſſunt. *Non dubitat* (inqvit Ludovicus Vives in locum illum modo cita. tum, ad verba, *Secretis animarum receptaculis*) *de animarum gloria etiam ante judicium, ſed de loco gloriae. Nam ubiqve poſſunt beatae eſſe, cum ubiqve ſit Deus, cujus fruitione fiunt beatae.*

Gregorius I. papa, cui tamen plus, qvam ulli alii Patrum, purgatorium Romanenſium debet, * ut diximus, lib. 13. in Jobum cap. 20. haec habet: *Qvia auctoris noſtri gratia redempti ſumus, hoc jam cœleſtis muneris habemus, ut, cum a carnis noſtrae inhabitatione ſubtrahimur*, mox ad cœleſtia praemia *ducamur*. Multa alia teſtimonia Patrum, qvibus clariſſime purgatorium Romanenſ. refellitur, citari poſſent; ſed brevitati ſtudemus. Audiatur poſt alios Olympiodorus in Eccleſiaſt. 11. 3. Vide Bibliothec. Patrum edit. 4. tom. 2. graeco-latin. *In qvocunqve loco, ſeu illuſtri, ſeu tenebroſo, hoc eſt, ſive in turpi ſcelerum ſtatione, ſive in honeſta virtutum deprehendatur homo, cum moritur*, in eo gradu atqve ordine permanet in aeternum. *Nam vel reqvieſcet ἐν φωτὶ μετὰ τῶν δικαίων*, in lumine felicitatis aeternae, (ut interpres reddit) *cum juſtis & Chriſto, rege univerſorum, vel in tenebris cruciatur cum iniqvis, & principe hujus mundi diabolo.*

Dicamus nunc de orationibus & oblationibus

* Vt diximus] Pag. 222. 237.

bus pro mortuis, unde Romanenſes purgatorium ſuum validiſſime probari exiſtimant. pag. 246) Sed hic primum improbanda eſt qvorundam rigidiorum Proteſtantium ſententia, qvi *preces pro mortuis omnino improbant*, & damnant: qvia ſcilicet nec in V. neqve etiam in N. teſt. libris canonicis ullum talium orationum praeceptum vel exemplum legere ſit. Certe conſvetudine hanc eſſe vetuſtiſſimam, & in univerſa Chriſti eccleſia receptiſſimam, ut in publicis etiam eccleſiae precibus commemoratio fiat defunctorum, & qvies illis petatur a Deo, qvi pie & in pace eccleſiae mortui ſunt, inficiari non audent, etiam qvibus mos hic maxime improbatur. Vt Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, Dionyſium areopagit. ſive qvicunqve ille fuit, brevitatis cauſa omittamus; audiatur Auguſtinus, teſtis fide digniſſimus, tom. 4. lib. de Cura pro mortuis cap. 1. *Adjungis*, inqvit, *vacare non poſſe, qvod univerſa pro defunctis Eccleſia ſupplicare conſveverit.* Et infra, confirmans hanc ſententiam Paulini, ad qvem ſcribit Auguſtinus: *In Machabaeorum*, inqvit, *libris legimus oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed etſi nusqvam in ſcripturis veteribus omnino legeretur, non parva tamen eſt univerſae Eccleſiae, qvae in hac conſvetudine claret, autoritas; ubi in precibus ſacerdotis, qvae Deo ad ejus altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio defunctorum.* Et tom. 10. de Verbis apoſt. ſerm. 32. *Hoc a Patribus traditum, univerſa obſervat Eccleſia, ut pro eis, qvi in corporis & ſanguinis*

Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemorantur. Esse etiam *apostolicam traditionem*, affirmat Chrysostomus homil. 3. ad Philip. ut alios mittam, quod tamen vix pro certo affirmare ausim. Dogma adversarium Aërii, orationes & oblationes pro mortuis damnantis, damnatum fuisse, ex Epiphanio & Augustino cui non constat? Fuit etiam mos ille antiquissimus pietatis plenus; & verissime Cassand. in Consult. art. 24. *Omnibus*, inquit, *christianis animis hoc perpetuo insitum fuit, ut spiritus eorum, qui Christi sacramento initiati, in confessione nominis ejus cum aliqua pœnitenti significatione ex hac vita excesserunt, Dei clementiae commendarent, & eis remissionem peccati, quietem aeternam, & consortium electorum precarentur. Et quamvis de statu illo animarum, quibus haec prodessent, non satis constaret, nec inter omnes conveniret; omnium tamen hoc officium, ut testimonium charitatis erga defunctum, & ut professionem fidei de immortalitate animarum, & futura resurrectione, Deo gratum & Ecclesiae utile esse judicarunt.* Pag. 247.)

Hanc antiquissimam, & universalem ecclesiae consuetudinem permulti etiam doctissimi Protestantes haud improbant. Apol. confess. augustanae: *Scimus, veteres loqui de oratione pro mortuis, quam nos non prohibemus.* Videantur Chemnitius in Exam. concil. trid. de Purgator. Mentzerus contra Pistorium disp. 12. thes. 26. & 39. Lutherus, teste Chemnitio, in Confessione

ne sua dicit: *Pro mortuis, quia scriptura nihil meminit, existimo non esse peccatum, ex libera devotione, ita vel similiter orare, ut Deus animae, si in tali statu sit, misereatur, utque satis sit, quando semel vel bis id factum fuerit.* I. Gerard. Loc. theol. de Morte n. 87. *Quaeritur*, inqvit, *an, quando in oratione funebri pro beata defunctorum ad dominum emigratione gratiae aguntur, liceat clausulam illam εὐχλικὴν subjungere? Deus det ei pacatam qvietem, & beatam ad vitam resurrectionem. Negat Calvinus epist. 366. Sed August. Confessionis Apologia illud concedit.* Vrbanus Regius in Formul caute loqvendi, cap. 16. de Sanctorum cultu §. 11. & 12. *Haec*, inqvit, *erat olim & nunc est in Ecclesia memoria defunctorum, qvae evidens testimonium est charitatis & fidei de gloriosa carnis resurrectione; & cum sit fidei fructus, qvae per charitatem operatur, nemo eam rejiciat, nisi epicureus & sadduceus. Hujusmodi defunctorum memoriam celebravit vetus Ecclesia, ut est apud orthodoxos, a qvorum sententia recedere non est tutum, nisi repugnet verbo Dei.* Vorstius in Antipist. parte 2. *Vota & preces ad Deum pro beata ipsorum resurrectione, seu consummata ipsorum gloria, neminem bonum improbare posse*, asserit. p. 435. Videatur ejusdem Enchiridion controversiarum, de Purgatorio, & Antibellarm. p. 260. circa finem. Pag. 248.) item Gerh. Joh. Vossius in Disput. theol. super hoc eodem argum. R. Fieldus de Ecclesia l. 3. c. 29. in append. ad hunc librum p. 21. atqve in altera appendice, parte 1. sect. 5. Episcopus winton. in Respons.

sponſ. ad cap. 18. libri Replicationis card. Perronii ait: *Quod ad orationes & oblationes pro defunctis attinet, parum eſt, quod eis contradici queat, Negari non poteſt, conſuetudinem eam eſſe vetuſtam.* Sed, ut innumeros alios in re tam perſpicua ſilentio transmittamus, audiatur Eccleſia anglicana in Rituali, ſive libro communium precum, tempore Edovardi impreſſo A. 1549. & latine verſo ab Alexandro aleſio, ſcoto, S. theol. doctore. Verba reperiuntur in adminiſtratione cœnae Dom. ſic concepta: *Commendamus etiam tibi, o Domine, reliqvos omnes ſervos tuos, qui ex vita hac deceſſerint cum ſigno fidei, & nunc requieſcunt in ſomno pacis. Concede illis, qvaeſumus, miſericordiam tuam, & aeternam pacem, & ut in die univerſalis reſurrectionis, nos, & omnes, qvi ſunt membra myſtici corporis filii tui, ſiſtamur a dextra ipſius, ut audiamus illam ſvaviſſimam vocem*, Venite ad me benedicti, &c. Et de ſepultura mortuorum, *Deus, cui omnes ſpiritus mortuorum, & cum qvo omnium electorum animae, poſt liberationem oneris carnis, feliciter & in gaudio vivunt, praeſta huic famulo tuo, ut peccata, qvae in hoc mundo commiſit, non imputentur ei; ſed ut ſuperatis portis mortis, & aeternae caliginis, ſemper in regione lucis habitet cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo, ubi nullus luctus, dolor aut moeror; & cum tremenda dies judicii advenerit, fac eum reſurgere cum omnibus juſtis & electis.* Hasce preces antiqviſſimas & piiſſimas, Buceri aliorumqve monitu & conſilio, poſtea praeſules eccleſiae anglicanae *expunxere*; aut

aut in aliam nescio qvam formam, hodiernam novitatem redolentem, *convertere*. Isaacus Casaubonus in Respons. ad epist. card. Perronii, nomine sereniſſimi sui Britanniae Regis scripta, affirmat, *hunc ritum orandi pro mortuis Ecclesiam anglicanam, etsi non damnet in primis seculis, hodie tamen sibi non putare retinendum*, p. 54. Sed utinam (ut nihil detraham laudibus sereniſſimi, & nunqvam satis laudati principis, Jacobi sexti, qvi cum nihil haberet prius & antiqvius pacis & concordiae piae inter christianas ecclesias procurandae studio, nunqvam tamen per morosa & rixosa multorum theologastrorum ingenia, id conseqvi aut effectum dare potuit, qvod maxime voluit) Pag. 249.) Ecclesia anglicana, qvae singularem certe alioqvi meretur laudem, ob magnam multis aliis in rebus, etsi forte non paris momenti, moderationem adhibitam, universalis Ecclesiae antiqviſſimae consvetudini, hoc in negotio, ut & in aliis nonnullis, sese potius conformasset, qvam ob errores & abusus, qvi paulatim irrepserant, postea, ingenti cum aliorum fere omnium Christianorum scandalo, simpliciter rejeciſſet, & penitus sustuliſſet.

Ex orationibus autem & oblationibus pro mortuis apud Patres purgatorium Romanorum minime probari posse, luculentiſſime demonstrarunt infiniti viri doctiſſimi, Graeci, Romanenses, Protestantes. Censuerunt enim primo complures ex veteribus, cum graecis tum latinis, justorum animas ante diem judicii Dei visi-

one

one non frui, sed * in abditis qvibusdam receptaculis, vel cœlestibus, vel extra cœlos, detineri, ubi qviescant, beatam corporum resurrectionem, & gloriae promissae consummationem, cum gaudio in visione humanitatis Christi, & freqventi angelorum visitatione expectantes. Prolixum Patrum, qvibus istud persvasum fuit, catalogum vide apud Staplet. in Defensione eccles. autorit. cap. 2. Sixt. senens. Bibl. l. 6. annotat. 345. & Bellarm. de Sanctorum beatitudine l. 1. c. 1. qvi cum aliis qvibusdam Romanensibus pleraqve illorum dicta ad alium qvidem sensum, sed frustra, trahere conatur. Videatur etiam Maldonatus in Luc. 23. 34. ad verba, *Hodie mecum eris in paradiso:* Sanderus de Visibili ecclesiae monarchia l. 7. aliiqve plurimi. Et ante Synodum florentinam circa annum christi 1450. ita sentire licuisse sine periculo haeresis, fatentur etiam ipsi Romanenses citati. Adde Pamelium in Tertulliani paradoxo IX. & Bellarmin. l. 4. de Pontif. cap. 14. ubi differit de Johanne 22. papa, qvi eandem etiam sententiam defendit. Vide & Bellarm. de Sanctorum beatitudine l. 1. c. 2. Eadem qvoqve fuit, atqve etiamnum manet sententia Graecorum, aliorumqve plurimorum christianorum orientalium, ab externa romanae Ecclesiae communione disjunctorum, ut satis omnibus constat.

De Joh. Calvini inter Protestantes sententia multum inter partes contenditur: an scilicet existima-

* In abditis qvibusdam receptaculis,] Vide pag. 244.

ſtimaverit etiam ille, juſtorum animas ante diem judici, viſione Dei frui, & in cœlos recipi, nec ne?
Pag. 250.) Inter Romanenſes videantur Bellarm. de Sanctorum beatitudine, Becanus de Purgatorio Calviniſtarum, aliiqve; inter Proteſtantes Chamierus tom. 3. lib. 25. de Beatitudine animarum, I. Rainoldus de Rom. eccleſiae idololatria lib. 1. item archiepiſcopus ſpalat de Rep. eccleſ. lib. 5. cap. 8. n. 110. & aliqvot ſeq. ubi ex plurimis operum Calvini locis oſtendit contra Bellarminum, Calvinum omnem animae beatitudinem & gloriam, niſi in ſola ſpe, ante reſurrectionem non negare, & agn ſcere eum paſſim qvandam inchoatam gloriam & beatitudinem, negare tantum animas ante extremum diem frui tota & completa illa ſumma Dei gloria, in ſcripturis promiſſa, & qvae *viſio Dei*, ſcil. clara & cominus, nuncupatur. Hisce autem in locis jam citandis qvam parce & ſobrie hac tota de re multis verba facere videatur, audi & aeqva mente expende, lector. Inſtitut. l. 3. cap. 25. §. 6. *Qvum ſcriptura ubiqve jubeat pendere ab expectatione adventus Chriſti, & gloriae coronam eo usqve differat, contenti ſimus his finibus, divinitus nobis praeſcriptis: animas piorum militiae labore perfunctas in beatam qvietem concedere, ubi cum felici laetitia fruitionem promiſſae gloriae expectant, atqve ita omnia teneri ſuſpenſa, donec Chriſtus appareat redemptor.* Ibidem tamen paulo antea affirmarat, *Chriſtum illis praeſentem eſſe, & eas recipere in paradiſum, ut conſolationem percipiant.* Et lib. 4. cap.

cap. 5. §. 12. *Quae ob hoc unum Ecclesiae dissideant, si altera citra contentionis libidinem, citra pervicaciam asserendi, animas a corporibus demigrantes in cœlum convolare putet; altera nihil ausit definire de loco, caeterum vivere tamen Domino certo statuat, &c.* Et in libro, qvem inscripsit Psychopannych. p. 78. & seq. *Sunt sanctorum animae post mortem in pace, qvae extra manum hostis evolarunt. Sunt in opulentia, de qvibus dictum est:* Ibunt de abundantia in abundantiam. *Vbi vero surrexerit in gloriam suam cœlestis Jerusalem, & verus Solomon Christus, rex pacis, sublimis sederit in tribunali, regnabunt cum suo rege veri Israëlitae.* Pag. 251.) Haec ex scripturis facile discere possunt, qvicunqve Deo auscultare didicerunt. Haec etiam nobis per manus tradiderunt, *qui parce & reverenter tractarunt Dei mysteria.* Plurima deinde subjicit Patrum testimonia, qvae legere ne graveris. Alia ejusdem dicta omitto.

Nicolaus Gallasius, theologus genevensis, in fine notarum suarum in Irenaeum, dicit, *non esse nostrum inqvirere, ubinam interea*, videlicet post mortem, *futurae sint justorum animae, cum, qvi* in cœlo esse *dicunt, nihil aliud intelligant, qvam cœlesti immortali vita potiri.* Vide & Balthas. Lydii notas in Disputationes taborit. ad cap. 19. Tho. Bilsonus, episcopus nuper winton. in Recognitione passionum Christi, parte 2. p. 540. & seq. pluribus contendit ex scripturis, Patribus, & Calvini locis nunc citatis, *justorum animas ante diem judicii in supremum cœlum, ubi Christus*

ad

ad dextram Patris sedet, non admitti, neque plena gloria & beatitudine, non solum extensive, ut volunt Romanenses, sed neque & intensive frui. Atque hic ille est, de quo loquitur R. Fieldus honorifice, suppresso tamen illius nomine, append. ad lib. 3. de Ecclesia p. 223. Gerardus Joh. Vossius in disputatione de Statu animae separatae p. 106. hanc eandem sententiam non improbat; affirmat enim cum caeteris supra citatis, justorum animas Domino vivere, gaudioque eas frui, sed imperfecto, & post resurrectionem complendo, & *de loco non esse pertinaciter contendendum.* Immo Bellarm. ipse de Sanctorum beatitudine lib. 1. c. 6. sect. *Ad tertium dico*, haec habet: *Dico, Christi animam ante resurrectionem corporis sui non ascendisse quidem ad cœlum corporeum, tamen fuisse in paradiso cœlesti formaliter; nempe fuisse beatam & gloriosam. Quod si hoc tribuere vellent adversarii* (Graeci scil. cum aliis) *animabus sanctorum, non essemus multum soliciti de cœlo isto corporeo.*

Hanc ob rem quid miri est, si veteres *defunctis* optarunt *refrigerium, pacem, lucem?* Quis etiam dubitet, hac mente primitus Pag. 252.) in canone missae precationem fieri solere, *ut Deus meminerit eorum, qui nos praecesserunt cum signo fidei*, & dormiunt in somno pacis, *ipsisque & omnibus in Christo quiescentibus* locum refrigerii, lucis, & pacis *indulgeat?* nempe respicientes (ut inqvit Vossius in cit. disput.) statum animae separatae, *refrigerium* iis optabant, propter aestum desiderii, qvo resurrectionem,

& gloriae plenitudinem animae anhelarent: *lumen*, hoc est, lumen beatae visionis: & *pacem*, h. e. ab omni, etiam damni, malo immunitatem. Hanc orationem apud veteres usurpatissimam, corporum resurrectionem & judicium extremum tantum spectasse, qvemadmodum affirmat P. Picherellus de Missa p. 149. 150. cum multis Protestantibus, qvorum sententiae Vossius etiam loco citato se multum adversari nolle dicit, probabile non est. Certe oratio haec nulla ratione de animabus in pœnis purgatoriis constitutis, qvemadmodum hodie communiter Romanenses sentiunt, intelligi potest; cum ipsa orationis verba glossam istam clarissime refellant. Vnde etiam, qvi Johannis 22. papae sententiam, de qva ante dictum, tutati sunt, eidem firmandae hanc orationem Ecclesiae allegare solebant, teste Occamo Dial. parte 2. to. 2. cap. 3. *Rursus*, inqvit ille, *ad hoc, qvod animae sanctae in cœlo Deum*, ante diem judicii scilicet, *minime sunt visurae, allegatur oratio Ecclesiae, qvae dicit pro defunctis:* Qvi nos praecesserunt, & dormiunt in somno pacis, &c. pro qvibus orat Ecclesia, ut lucem videndi Deus eis concedat in futurum, scilicet post diem judicii. *Et si dicatur eis, qvod haec oratio est pro defunctis, qvorum animae sunt in purgatorio, hoc improbare conantur, dicentes: Qvod hoc non est verum, qvia in oratione Ecclesiae praemittitur*, qvod dormiunt in somno pacis, *& non pœnae & afflictionis. Ex qvibus clare patet, qvod* oratio illa non fit pro animabus in purgato-

gatorio existentibus, sed pro illis animabus, qvæ sunt in pace & qviete, *& expectant post ultimum judicium, & non ante, Dei visionem.* Haec Occamus, Joannitarum, ut appellat, argumentum proponens ; ad qvod ille communi Romanensium more respondet, i. e. omnino praeter & contra veterum mentem. Subjungit deinde responsionem multo meliorem, scilicet, qvod Ecclesia in oratione praedicta oret etiam pro animabus sanctis in cœlo, Pag. 253.) *ut animae sanctae, qvae dormiunt in somno pacis, resumtis corporibus, ad locum refrigerii, lucis & pacis, qvae ultimum gradum essentialem & accidentalem pacis aeternae, qvam qvandoqve habiturae sunt, includit, perveniant ; qvam pacem animae in cœlo ante diem judicii non habebant. Qvamvis enim nunc videant Deum, & sint beatae, beatitudo tamen earum, & per consequens pax earum aeterna, erit post judicium augmentata, qvia tunc clarius videbunt Deum, & de resumptione corporum, & completione civitatis aeternae, & aliis pluribus tunc post gaudebunt.*

(*) Alias qvoqve veteribus fuisse causas, citra purgatorium, propter qvas preces oblationesqve pro mortuis facerent ; & qvod etiam orarint & obtulerint veteres pro universis in fide defunctis, etiam pro patriarchis, prophetis, apostolis, evangelistis, martyribus, confessoribus, qvos in cœlis esse non dubitabant, ipsis ex patrum scriptis, & antiqvis liturgiis, qvarum plerae-

* Alias veteribus fuisse causas] Vide p. 256.

raeqve qvidem ſuppoſititiae, qvaedam tamen genuinae eorum, qvorum nomina prae ſe ferunt, ſed diverſimode a poſteris interpolatae, fuſe demonſtrarunt multi doctiſſimi Proteſtantes, aliiqve, qvos adi.

Peccata etiam qvaedam leviora, in hac vita qvoad culpam & pœnam forte non remiſſa, poſt mortem remitti, per interceſſionem Eccleſiae in precibus publicis, ac praeſertim illis, qvae fiebant in tremendorum myſteriorum celebratione, & per orationes, atqve oblationes ſeu eleemoſynas a privatis pro illis factas ſeu datas, cenſuerunt plurimi Patrum, nixi loco 2. Machab. 12. 46. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis orare, ut a peccatis ſolvantur*: & illo Matth. 12. 32. ubi dicit Dominus, *eſſe qvoddam peccatum, qvod non remittitur, neqve in hoc ſeculo, neqve in futuro.* Ex priore loco, non negant Proteſtantes, hoc probari: Sed qvia liber ille a multis (*) *extra canonem* poſitus eſt, probationem eam tanti non faciunt. Ex altero loco concedunt ipſi etiam Romanenſes, ſecundum regulas dialecticorum non ſeqvi id, qvod infertur ex verbis Domini, ſed tantum *ſecundum regulas prudentiae*; complures tamen ex Patribus, hisce non obſtantibus, ſic cenſuerunt. Qvibus ſuffragantur etiam multa concilia, & vetuſtiſſima Eccleſiae conſvetudo, nemini temere ſpernenda aut rejicienda, niſi ſcripturis aperte adverſetur; qvod hac in re difficillimum certe eſt demon-

* Extra canonem] Vide Walenburch. tom. 2. p. 305.

monstratu. Loca multa ex veteribus huc congerere, cum res tam clara sit, plane superraca-
neum est. Pag. 254.)

Respondere qvidem solent Protestantes ad loca, qvae ex Patribus objiciuntur: Ecclesiam Deum rogasse, ut pie defunctis, extremi judicii die, juxta promissionem in Christo factam, peccata sua non imputaret, non qvasi peccata aliqva, qvae hic remissa non sunt, istic sint remittenda, sed *qvia, qvod semel remittit, remittat semper, completamqve extremo judicio habiturum sit remissionem*: qvae verba sunt Vossii, l. c. Attamen communis haec Protestantium responsio, minime satis facit plerisqve Patrum locis, ut cuivis ea vel leviter inspicienti perspicuum est.

Multo magis ingenue Graeci, qvibus tamen purgatorium nunqvam creditum, in sua Apologia: *De testimonio a vobis* (alloqvuntur Latinos) *ex Machabaeis & divino Matthaeo allato non multa faciemus verba. Manifestum enim cuivis est*, remissionem peccatorum nonnullis vita functis concedi. Qvonam vero modo, & an per punitionem, & qvidem illam per ignem, ne meminerunt qvidem in universum. *Porro qvod haec purgatorium ignem non inferunt, sole clarius est. Qvid enim commune est remissioni cum purgatione per ignem & punitione? Aut enim punitione, aut remissione, sive condonatione est opus, & non simul utroqve. Ei enim, qvi blasphemaverit in Spiritum S. non remittetur, neqve in praesenti seculo, ne-*

que in futuro: nihil amplius addit. Praeterea nihil etiam illud ex Machabaeis (*dicens*, Bonum esse ac salutare, pro mortuis orare, ut a peccatis suis absolvantur) *nihil, inquam, de pœna, atque hac quidem nominata agit, sed tantum hortatur, ut Deum pro mortuis oremus: spem fore, ut ipsis peccata remittat.* Et paulo ante, dum statum quaestionis controversae formant: *Quod Deus post migrationem e corpore, peccata remittat iis, qui venialia commiserunt:* quod & primum erat eorum, quae in quaestionem venerunt. *Hoc etiam a doctoribus dicentibus audivimus ita, ut illa docent.* Haec illi.

Archiepisc. spalat. de Rep. ecclesiast. lib. 5. cap. 8. n. 132. *Deinde etiam stantibus iis, quae de statu animarum supra consideravi, non esset absurdum fateri, peccata leviora, si quae in hac vita quoad culpam remissa non sunt, post mortem remitti, idque* paulo post obitum, dum piae & religiosae exequiae ecclesiasticae peraguntur, *virtute ecclesiasticae intercessionis in precibus publicis,* Pag. 255.) *ac praesertim illis, quae fiebant in sacra liturgiae celebratione; ut supra Chrysostomus* (homil. 3. in epist. ad Phil.) *observabat, & Concil. carthaginense 3. & 4. satis clare commemorat.* Et numero 133. *Cum vetera concilia, quae pro purgatorio profert Bellarminus, nihil aliud contineant, nisi hanc,* peccatorum *scilicet* leviorum, post mortem, etiam quoad culpam, a nobis hactenus explicatam remissionem, & ecclesiae pro illis intercessionem, *ad confirmandum purgatorium nihil valent.* Et n. 134.

Haec,

Haec, qvae dixi de remissione alicujus culpae venialis post mortem, per ecclesiae intercessionem, *licet utcunqve modo explicato admitti possint, & sua, meo judicio, non careant probabilitate, ut sic ecclesiae preces pro defunctis utiles esse, & non ociosas asseramus, qvatenus ex apostolica institutione mos ille ecclesiae orandi pro defunctis putatur, ut fatetur Chrysostomus, & videtur valde probabile, promanasse:* ponere tamen remissionem venialium per ecclesiae preces, etiam diu post mortem hominis, pro qvo oratur, seu pro omnibus defunctis in genere, etiam pro illis, qvi jam diu e vivis excesserunt, *non videtur esse adeo constans, adeo tutum, adeo probatum, ut ad apostolicam traditionem id qvoqve duci trahive debeat.* Vide & n. 150. *Si*, inqvit, *ut admodum probabile concederem*, aliqvem posse & solere ex hac vita decedere cum aliqvo ex his peccatis venialibus, qvod in hac vita remissum non fuerit, idqve in alia vita paulo post mortem remitti, hinc tamen purgatorium nostrum non necessario colligeretur; *remitterentur enim talia peccata intercessione ecclesiae.* Vide & n. 162. 163. Qvod autem toties dicit auctor hic, *paulo post mortem*, de hoc nonnihil cap. seq. dicetur.

Vt hoc caput tandem concludamus: Qvicqvid nonnulli, etiam Catholici, & non ii tantum, qvi pro haereticis habiti sunt, aliqvando dubitaverint, utrum orationes & oblationes, qvae fiunt pro defunctis, aliqvid eorum conferant animabus, ut studiose collegit Jac. Vsserius, archi-

episcopus nunc armachanus, in sua Responsione ad jesuitam hibernum, loco de oratione pro mortuis p. 251. 252. ex Augustino ad Dulcit. q. 2. Cyrillo Catech. mystagog. 5. ex Anastasio sinaita p. 540. edit. graeco-latin. ex Petri, abbatis cluniacensis, epistola contra Petrobrusianos, Maximi schol. * in Hierarch. eccles. cap. 7. immo an etiam preces & oblationes pro mortuis licitae sint, ut idem ibidem probare nititur ex Gregorii 2. vel 3. epist. ad Bonifac. in tomis conciliorum, & ex Hug. Etheriano de Animar. regress. ab inferis cap. 13 Ecclesia tamen universa Pag. 256.) hunc ritum non solum *licitum*, sed etiam defunctis aliqva ratione *utilem* esse existimavit, & religiosissime, ut, si non ab ipsis Apostolis, saltem a Patribus antiqvissimis traditum, semper observavit; qvod ex innumeris Patrum locis, praesertim ex Augustino de Cura pro mortuis c. 2. & 4. atqve aliis permultis decantatissimis, ipso solo clarius patet. Vnde Isaac. Casaubonus in Resp. ad epist. card. Perronii de precibus pro mortuis inqvit: *Qvicqvid est, qvod in hac parte veteres fideles fecerunt, id omne Rex ad illud caput utilium vel licitorum refert, de qvo supra dictum.* Qvod autem subjungit, *hunc ritum non esse absolute necessarium*, exigui est momenti; concedatur enim, licitum, atqve utilem piae vetustati semper visum, & universaliſſime in ecclesia receptum fuisse, atqve etiam ut jam hodieqve usurpetur; de absoluta illius usurpandi neces-

* In Hierarch. eccles.] Dionysii, ut creditur, areopagitae.

necessitate haud magnam theologi moderatiores litem movebunt contradicentibus. Videatur doctissimus Desiderius Heraldus ad Arnobii librum 4. ad verba : *Pax cunctis & venia postulatur*, &c. ubi multa praeclare hoc de ritu annotat, & Conr. Rittershusius, J. C. prudentissimus, in comment. ad Salviani massilienſis l. 2. de Avaritia, ad verba: *Vt eorum memoria dignus fiam.* Sententia autem de liberatione animarum ex pœnis purgatoriis per orationes & oblationes pro illis factas, locum in Ecclesia non habuit, neqve etiam habere potuit, nisi circa annum Christi qvadringentesimum, ut supra dictum.

CAP. IV.

Qvo ex plurimis virorum doctissimorum & moderatissimorum dictis, qvid de purgatorio Romanensium, & orationibus pro mortuis ad illud relatis, sentiendum sit, ostenditur.

OTto frisingensis, qvi scripsit anno Dom. 1146. l. 8. Chron. c. 26. *Esse*, inqvit, *apud inferos locum purgatorium, in qvo salvandi vel tenebris tantum afficiantur*, Pag. 257.) *vel expiationis igne decoqvantur, qvidam asserunt.* Vnde patet, purgatorii assertionem, privatam tantum qvorundam fuisse tunc temporis opinionem, non autem communem Ecclesiae fidem.

Graeci in sua Apologia de Purgatorio igne a nobis jam antea saepius memorata: *Ignem purgatorium & punitionem per ignem temporarium finemqve omnino habiturum*, nos a nostris doctoribus traditum non accepimus, neqve orientalem Ecclesiam ita sentire, scimus. *Porro* Ecclesiae pro defunctis preces cum iis, qvae ipsorum obitum antecesserunt, precibus conjunctas, aliqvid praestare posse, *hoc etiam prorsus statuimus, credentes iis, qvae hac de re a Patribus sunt decreta.* Et rursus: *Animas per ignem purgatorium transmissas, ad vitam aeternam pervenire, nequaqvam statuimus; qvod neqve a qvoqvam doctorum hoc traditum accepimus, ac praeterea non exiguus metus nos incesit, ne temporarium atqve purgatorium ignem statuentes, universum Ecclesiae consensum labefactemus. His igitur de causis* nunqvam in hunc usqve diem tale qvicqvam statuimus, neqve omnino statuemus. Et in fine Apologiae: *Has ob causas nunc etiam propositum* dogma de purgatorio igne exterminandum est ab Ecclesia, ut negligentiam sedulorum animis inducens, ac persuadens ipsis, ne omnibus viribus adnitantur, ut in hac vita se ipsi expurgent, *cum alia post hanc vitam purgatio expectetur.* Fuit haec Apologia a Marco, metropolita Ephesi, conscripta, teste Sixto senensi lib. 6. Biblioth. S. annot. 259. & lecta ac data reverendissimis Patribus & dominis Deputatis Synodi basil. die sabbathi, 14. mensis Junii, anno 1438. in sacristia Fratrum Minorum, Basileae praesentata Nicolao Cusano, teste Martino

tino Cruſio in Turco-graecia, lib. 2. pag. 186. ex lib. MS. Johannis Capnionis.

Graeci qvidem anno proxime ſeqventi 1439. qvo facilius a Latinis auxilia contra Turcas impetrarent, & qvam celerrime in patriam redirent, *in Synodo florentina Latinis conceſſere, ſi vere pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiae fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis poſt mortem purgari, & ut a pœnis hujusmodi releventur, prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia.* Pag. 258.) Sed hoc, atqve alia etiam, ſine totius orientalis Eccleſiae auctoritate fecere. Legantur ipſa Concilii florentini acta. Multum ſemper reclamavit Marcus epheſius & concilio durante, & poſt concilium in epiſtola encyclica contra Concilii illius definitionem: qvam legere eſt apud Binium in Hiſtoria concilii florentini. Vnionem autem hanc, Graecorum Eccleſiae nunqvam ſunt amplexae, teſte Laonico chalcocondyla de Rebus turcicis lib. 1. haud procul ab initio: *Graeci reverſi Byzantium*, (a Synodo florentina) *acta edocent eos, qvi domi manſerant: qvi qvidem noluerunt ſtare his, qvae acta erant in Italiae ſynodis, putantes, ſibi neutiqvam fas eſſe, conſenſum praeſtare Romanis nefaria aſſerentibus. Hinc perpetuo diſcordiam foviſſe Graecos in negotio religionis adverſus Romanos, conſtat.* Eandem Graecorum ſententiam contra purgatorium Romanenſium hodieqve, ut & antea ſemper, innumerae aliae Chriſtianorum in orien-

ente, atqve etiam alibi Ecclesiae, mordicus retinent & tuentur, ut omnibus eruditis constat.

Wesselus groningensis, a multis *lux mundi* appellatus, qvi etiam Concilio basileensi interfuit, in Epistolis de purgatorio, * p. 906. *Hanc seriem ducatus animarum, a lumine lucernae praesentis exilii, qvo pusilla sapientia fidei nostrae, sicut granum sinapis est, & velut parvum centrum, qvod crescere oportet in illam cœlestis globi immensitatem. Universum processum, & felix animarum incrementum usqve ad orientem solem, purgationem puto.* Et in hac purgatione non pœnam, sed ad omnia valentem pietatem, & illam pietatem per se purgatricem. *Habet nihilominus illa pietas, immo flagrans amor dilatus, languorem & pœnam suam, habet etiam felicem consolationem. Consolatur praesentia pastoris & salvatoris. Verum qvia doctor & evangelista est, missus a patre, docens amorem, qvo ipse Patrem amavit & amat, & illum suum amorem imitari, inardescunt igitur illic amore. Sed qvia nondum digne amant, adhuc differuntur, & adfligitur anima eorum.* Haec adflictio non dolor est, sed mœror est secundum Deum. p. 907. *Neqve putat Augustinus, mox deposita carne omnes malos amores una depositos, omnemqve simul charitatis imperfectionem transisse ad perfectum.* Pag. 259.) *Estqve in eandem sententiam Guilielmus paris. cap. 100. primae partis: & id multis argumentis ad longum. Vnde istos malos amores arbitror peccata illa, qvae in futuro seculo remittentur, ut etiam illic, donec*

* Pag. 906] Farragines Wessel p. 92.

nec perfectae justitiae sol eis oriatur, dicere non possint, sese peccatum non habere. Contrarium vero, per qvem locum regulae fidei stabiliri possit, nondum video. Vnde valde miror communem doctorum scholae nostrae inadvertentiam, qvi non veterina primaevae Ecclesiae auctoritate moventur, purgatorium ignem punitorio distinguentium. *Gregor. nazianzenus purgatorium ignem dicit, qvem dominus Jesus misit in terram, volens, ut arderet.* Luc. 12. 49. *Et istum, qvia sordes rationales imperfectae sapientiae, imperfecti de Deo judicii, & imperfectae justitiae purgare debet, rationabilem esse oportebit. Qvod etiam Paulus innuit, qvando dicit 1. Cor. 3. v. 13.* ignem illum probaturum. *Qvi si probat, utiqve cognoscit, qvale uniuscujusqve opus fuerit.* Punitorium *vero* ignem *dicit illum, qvem praeparat diabolo & angelis ejus. Multum enim insolens & nova verborum licentia, ut purgare dicamus illum, qvi nihil impurum aufert.* p. 908. Vide reliqva apud autorem loco jam citato, & de Purgatorio p. 829. & aliqvot seq. edit. Johannis Lydii, Amsterodami anno 1617.

Georgius Wicelius Methodi concordiae ecclesiasticae cap. 8. tit. Funus: *Neqve errat neqve peccat Ecclesia, pro filiis suis orans, sive in corpore, sive extra corpus illi sint.* Praeterea non pontificium inventum est, orare pro mortuis; sicuti non novum est, oblationes & eleemosynas pro iidem largiri. Revolvant partes apostolicorum virorum scripta, qvi & ipsi spiritum Dei habuisse putandi sunt. Caeterum vetus contentio

tio est de purgatorio igne. *At mea sententia* melius ageretur cum rebus Ecclesiae, si vitam hanc ocyssimam ita viveremus, ut non sit, cur metueremus a pœna. Qvi potissimum de hoc disputant, fere ita vivunt, ut citius in gehennam, qvam purgatorium sint involaturi; *ab utraqve futuri tuti, si cum scriptura & priscis Patribus pure sentientes, Christum viae vitaeqve ducem recta sequerentur. Erat igitur* cautius disputandum de eo, qvod Deus in universum scire nos noluit. *Nam ut maxime sint* loci purgabiles, Pag. 260.) (*sic enim loqvitur Bernardus*) *qvi excipiant corpore nudatas animas*, non tamen decebat sapientes ac graves viros, tam certo omnia definire & metiri, qvod scripturae Dei non satis expresserunt, nec antiqvorum traditio exposuit. *Neqve enim nitendum est allegoriis Ambrosii & Gregorii, praesertim cum regula theologiae habeat:* Allegoriam non probare. *Pie creditur*, locum esse, in qvem deferantur, pro qvorum peccatis orat ecclesia; sed ubi, qvalis, qvibus tormentis instructus, qvo fine circumscriptus, nunqvam fuit cognitum. *Proinde ut in unum coalescant christianorum animi, temperent sibi* Theologi *ab immodica assevératione & qvalitatum descriptione.* Lutherani *contra temperent sibi ab audaci & pertinaci negatione ac convitiorum diritate. Recolat Lutherus verba sua*: Ego credo, purgatorium esse, & consulo suadeoqve credendum, sed neminem volo cogi. Haec ille. Vbi videantur plura. Idem in Via regia, artic. de Missa: *Illud extra con-*

controversiam liquet, hoc sacrum eucharisticum olim in ecclesia Graecorum & Latinorum, ad sublevamen eorum, qui in fide decesserant, peractum fuisse; etiam id, quod arbitror, per preces vivorum, ac obsecrationes accidisse. Libellum hunc pro pacificatione ecclesiae universalis, jussu Ferdinandi I. & Maximiliani II. Romanorum Imperatorum immortali laude dignorum, scripsit auctor hic anno 1564. G. Cassander in centuria prima Epistolarum selectiorum illustrium & clarorum virorum, &c. epist. 16. ad rever. & illustrem dominum Guilielmum, electum monasterien-sem: *Vitium praecipuum in his* (romanae scilicet Ecclesiae precibus pro mortuis) *est, quod a multis ad purgatorium stabiliendum haec detorqueantur; quod hic totum in opinione est positum.* Item in Consultatione art. 12. de Pœnitentia: *Quod has temporarias pœnas, quibus peccati sordes in animo nondum perpurgato haerentes eluuntur, etiam ad futurum seculum Scholastici referunt, in eo gravissimos & antiquissimos auctores* (sed modum hic excedit Cassander: longe enim antiquiores auctores & assertores habet contraria sententia) *& longissimum Ecclesiae usum sequuntur; nihilque, quod merito passionis Christi, quo sola pœna aeterna & culpa condonatur, adversum sit, & impium merito damnari debeat, asserunt;* Pag. 261.) *quamvis* ab imperitis & superstitiosis hominibus, multa inepta & superstitiosa afficta & simplici populo persuasa sint, *quae graviori concilio prudentiorum pastorum dissimulari, & paulatim in desuetu-*

ſvetudinem & oblivionem adduci debeant. Idem artic. de Miſſa: *Et qvamvis de ſtatu illo animarum, qvibus haec* (orationes ſcil. pro mortuis) *prodeſſent, non ſatis conſtaret, nec inter omnes conveniret; omnes tamen hoc officium, ut teſtimonium charitatis erga defunctum, & ut profeſſionem fidei de immortalitate animarum, & futura reſurrectione Deo gratum, & eccleſiae utile eſſe judicarunt.*

Epiſcopi Eccleſiae anglicanae in pia & catholica chriſtiani hominis inſtitutione, edita ſub Henrico IIX. anno 1544. in fine, de oratione pro mortuis: *Qvandoqvidem & charitas dictat, & Machabeorum liber, ac veterum eccleſiae doctorum ſcripta confirmant,* ſanctum & ſalubre eſſe, orare pro mortuis, *& qvoniam hic mos in eccleſia ab antiqvis, atqve adeo ipſis Apoſtolorum temporibus duravit, proinde* orationes pro defunctis Deo gratas, neqvaqvam irritas eſſe, *exiſtimandum eſt. Et certe palam eſt, chriſtianae charitati conſentaneum eſſe, ut proximos, ſeu vivos ſeu vita defunctos, precibus Deo commendemus, aliosqve, ut ita nobiscum orent, invitemus, & juxta Eccleſiae conſvetudinem, atqve antiqvorum Patrum ſententiam,* fratrum mortuorum memoriam in miſſarum celebratione & exeqviis haberi, aut eleemoſynas pro illis dari curemus. *Haec enim ut illis, pro qvibus fiunt, utilitatem & fructum adferre, ſperandum eſt; ita noſtram etiam in vita functos charitatem declarant.* Qvantum autem, aut qvibus, aut qvatenus hujusmodi preces noſtrae valeant, aut qvanto, qvove temporis ſpatio a nobis ſubleventur, ſolus Deus novit;

qvi

qvi etiam solus ejusmodi orationem, merita & fructus recte pro sua sapientia dispensat, & inaestimabili justitiae & misericordiae suae libra trutinat: nostrum vero est, arcana in abysso judiciorum Dei recondita omittere, & pietatis tantum officium & sincerae orationis pro universis tum vivis tum mortuis praestare. Porro qvoniam de loco, ubi animae degant, de illius nomine, de illarum statu & conditione incerti sumus, *propterea haec & caetera hujusmodi omnia Deo relinqvenda sunt, cujus misericordiae aeqvum & congruum est eos a nobis commendari, cum hac spe & fiducia, qvod Deus preces nostras gratas acceptasqve habiturus sit.* Pag. 262.) Qvod supereſt, Deo totum committamus, cui animarum status & conditio explorata est: nos vero nihil in alterutram partem temere definiamus in his rebus, adeo ab hominum cognitione remotis. *Postremo necessarium admodum est, omnes ejusmodi* abusus, qvi antehac per romani papatus assertores, & illius farinae homines, in Ecclesiam introducti sunt, *penitus abrogari; & proinde, ut abstineatur a vocabulo* purgatorii, *nec amplius de eo disputetur, sub cujus fuco multa inania & indigna in Ecclesiam irrepserunt, atqve in pretio habita sunt, ut* indulgentiae illae romanae, *qvibus vulgus a poenis & culpis statim liberari credebat; & qvod missae* scalares aut certis locis decantatae *animas expiarent, qvodqve* certae & praescriptae precatiunculae, *aut* illarum constitutus numerus, *idqve adeo* ad certas statuas prae aliis, *animas liberarent. Nam ejusmodi somniis imperiti fidebant. Qvi omnes*

abusus omnino abolendi & rejiciendi sunt. Haec illi. Qvos hoc singulari elogio ornat Lancelotus Andreas, episcopus nuper wintonienſis, in Reſponſ. ad cardinal. Bellarmini Apologiam, cap. 1. p. 23. inqviens: *Viri fuere ſummi, eruditionis laude, qvam late patet orbis chriſtianus, notiſſimi.*

Graeci Venetiis degentes, in Reſponſione ad qvaeſtionem 9. Claudii cardinal. Guiſani, ſcilicet, *Creduntne Graeci purgatorium qvendam ignem eſſe, qvo prius animae purgentur, qvam in cœlum perveniant?* haec habent: *Neqvaqvam poſt mortem reſtare purgatorium qvendam ignem, credimus.* Tentationes *qvidem illas, qvas in hac vita experimur, qvaſi purgatorium qvendam ignem eſſe ſtatuimus. Nam ejusmodi tentationum diuturnitate, qvae nos caſtigandi cauſa contingunt, homines interdum a peccatis expurgantur, qvemadmodum in illo dicto ſignificari vides*: Per ignem & aqvam transivimus, & eduxiſti nos ad recreationem. *Qvod ſi eſſet ante judicium ejusmodi purgatorius animarum ignis a morte, nimirum univerſae animae infinita temporis diuturnitate ſic perpurgarentur, ut judicii tempore nulla pœnis obnoxia reperiretur.* Pag. 263.) *Ex qvo porro conſeqveretur, a Chriſto fruſtra dictum*: Hi qvidem ad ſupplicium aeternum, juſti vero ad vitam aeternam abibunt. *Haec eſt orientalis Eccleſiae ſententia*, inqviunt, *qvam in hodiernum usqve diem retinet.* Et ad qvaeſt. 10. *Exiſtimantne,* (Graeci) *poſt hanc vitam animas ſuppliciis qvibusdam propterea purgari, qvod in hac vita meritas pœnas non dederint?* ſic reſpon-

respondent : *Eorum hominum animae, qvorum qvasi media qvaedam conditio est, qvi scilicet mortiferis in peccatis diem extremum non clauserunt, nec tamen omnino expertes culpae fuerunt, pœnitentiaeve fructus declararunt*, creduntur a nostris ejusmodi delictorū ratione purgari, non per purgatorium aliqvem ignem, vel determinata certo qvodam loco supplicia, (*nam id nusqvam traditum extat*) sed nonnullae in ipso diremtu a corpore per solum metum ; *uti Gregorius ille, cognomento Theologus*, (lege, Dialogus, ut supra p. 259. dictum) *pronunciat, nonnullae post diremtum a corpore*, fortassis etiam apud orcum detentae ; *non qvod in igne supplicioso sint, sed* velut in custodia & vinculis coërceantur. *His omnibus* opitulari preces *eorum nomine factas dicimus, concurrente cum his divina bonitate & clementia, qvae ad hujusmodi peccata pleraqve connivet, eaqve mox condonat, nimirum si qvae ex imbecillitate humana, commissa sunt.* Fuerunt hae qvaestiones 12. & responsiones ad easdem latine versae a J. Leunclavio, & Basileae impressae anno 1571.

In Concilio tridentino, ut legere est in Histor. lib. 8. * pag. 893. ex Praelatis, qvibus tradita est provincia formandi decretum de purgatorio, *aliqvi* de loco & foco purgatorii, *sicuti in Concilio florentino, mentionem fieri cupiebant : alii, qvod* ea res non careret difficultate, *nec facili negotio verba inveniri possent ad id exprimendum,*

* Pag. 893.] Vel 1571. edit. nuperae lipsiensis.

qvae omnibus satisfacerent, putabant, nihil aliud dicendum, qvam bona opera fidelium, mortuis ad pœnarum remissionem conducere.

Erasmus operum tom. 1. pag. 685. scribit: *Multa sunt, de qvibus non solum dubitarunt olim homines contentiosi, verum etiam docti juxta ac pii, veluti* de purgatorio diu dubitavit Augustinus: *nec ille tamen solus.*

Pag. 264.) P. Picherellus (cujus singulare est elogium apud Jac. Aug. Thuanum in libro 4. Histor.) in dissertatione de Missa pag. 150. & aliqvot seq. multis rom. Ecclesiae dogma de purgatorio gravissime impugnat, & *purgatorio fovendo, immo ne excitando qvidem, nulla in omnibus bibliorum sylvis ligna inveniri* affirmat. Vixit tamen hic auctor, atqve etiam mortuus est in externa romanae Ecclesiae communione.

Auctor Examinis pacifici doctrinae Hugonottorum, qvem falso J. Breerleus in Apologia Protestantium pro romana Ecclesia, tractatu 2. cap. 2. sect. 14. pag. 427. versionis latinae, *auctorem procul dubio protestantem fuisse* asseverat, (contrarium enim ex ipsius libelli attenta lectione aperte constat: adde, qvod anglus, qvi e lingua gallica in anglicam transtulit, in epistola ad lectorem, *virum generosum hujus libelli auctorem H. C.* affirmat, *usqve adextremum vitae halitum fuisse & permansisse catholico-romanum; atqve hoc in Anglia plurimis optime notum fuisse*) is, inqvam, in fine cap. 1. ita de purgatorio loqvitur: *Augustinus existimavit*, illud rem tantum pro-

probabilem esse, & non necessariam ; *nihil aliud dicens, quam* Forsitan verum est. *Neque etiam ipsi inter se Catholici de illo convenire possunt.*

Joh. Barnesius, anglus, monachus benedictinus, vir doctissimus & pacis Ecclesiae amantissimus, qvicum propterea a Romanensibus zelotis iniqvissime nuper actum est anno 1627. in suo Catholico romano-pacifico, de purgatorio inqvit : *Qvia pii in Domino morientes, sunt beati, & reqviescunt a laboribus suis, & aerumnis hujus vitae, Apoc.* 14. 13. non videtur asserendum purgatorium ullum punitorium, in qvo pii post obitum ignis gehennalis pœnas patiantur; *ad qvas transeuntes, non abeunt a laboribus hujus vitae ad qvietem, sed a qviete ad summos labores. Cum tamen libri Machabaeorum approbati in canone 84. Apostolorum, recepto in 6. Synodo can. 2. orationem pro defunctis commendent, & praxis universalis Ecclesiae in omnibus liturgiis eam retineat, & praestantissimi Patrum sentiant, orari posse pro existentibus in cœlis,* (non clare videntibus secundum suum videri Deum) *sufficit, cum viris doctis asserere* * purgatorium expiatorium, *in qvo sine tormentis gehennalibus magis magisq;, usqve ad diem visionis Dei claraе, fruentes consortio humanitatis Christi & Sanctorum, perficiunt se in Dei charitate per fervida & morosa suspiria.* Haec ille, late eadem in seqventibus confirmans. Pag. 265.) Et sic tandem concludit: *Fateor, Augustinum aliqvando vacillasse de punitione in purgatorio. Lib. 21. de Civ.*

* Purgatorium expiatorium] Vide pag. 266.

Dei cap. 26. ait: Non redarguo, qvia forsitan verum est. *Et de Fide & Operibus cap. 16.* Non abhorret, qvantum arbitror, a ratione veritatis. *Punitio ergo in purgatorio, est res in opinione humana posita, qvae nec ex scripturis, nec Patribus, nec conciliis deduci potest firmiter. Immo, salvo meliori judicio, oppositа sententia eis conformior videtur.*

Archiepiscopus spalatensis de Republ. ecclesiast. lib. 7. cap. 11. n. 9. *Purgatorium nullum esse in eo sensu, in qvo a nostris ponitur, arbitror, me ibi* (lib 5. cap. 8.) *demonstrasse. Et moneo*, articulos fidei de purgatorio & indulgentiis nullos esse, nisi novitios, perperam a nostris superinductos. *Igitur per regulas a me assignatas, nulla potestas est in terris, qvae illis fidei certitudinem possit addere, & consequenter nostri* * *non possunt juste pro haereticis illos habere, qvi purgatorium & indulgentias negant: ideoqve hoc nomine eos a communione ecclesiastica non possunt abjicere. Sed* neqve Protestantes possunt hinc tanqvam haereticos damnare, & a communione sua (qvantum in ipsis est) repellere Pontificios, licet & purgatorium & indulgentias mordicus retineant. *In his enim procul dubio errant, sed non contra fidem.* Excessus est hic, sed non defectus: *neqve per hos falsos articulos ulli vero articulo fidei fit injuria. Moneo tamen*, non esse damnandas orationes & oblationes sacrorum mysteriorum pro defunctis: *illae enim si non ex scriptura, saltem ex usu & praxi antiqvis-*

* Non possunt pro haereticis,] Vide pag. 266.

tiqvisſima Eccleſiae, qvae ad apoſtolicam traditionem facile poſſit & ſoleat a ſanctis Patribus revocari, ſuam habent defenſionem; ac licet inde verum purgatorium non colligatur, colligitur tamen locus aliqvis animarum, in qvo peccatorum poſſint illae indulgentiam Eccleſiae precibus obtinere. Plura de purgatorio aſſerere, eſt magnae vanitatis & temeritatis.

Inter Proteſtantes Franc. Junius adverſus Bellarm. de Purgatorio lib. 1. cap. 10. *Cum* juvari animas mortuorum *cœperunt credere Patres, intellexere* de adjumento in bonum: *poſtea vero, invaleſcente errore purgatorii, intellexere* de adjumento ad liberationem illius. Priorem ſententiam toleramus, poſteriorem pernegamus. Pag. 266.) Et ibidem, ſect. 24. affirmat, *male confundi iſta duo doctrinae capita* de Sanctorum reqvie in expectatione gloriae, *malo* (ſcilicet poſitivo ſive pœna ſenſus) *carentium, & ad gloriam perfectam anhelantium, pro qvibus orabatur prius*; & de pœnis purgatorialibus in eadem expectatione ſubeundis, *pro qvibus orant Pontificii. Nos*, inqvit, *prius toleramus, poſterius negamus.* Haec Junii ſententia Voſſio probatur diſput. de Orationibus & oblationibus pro defunctis, theſ. ult.

P. Martyr in cap. 3. 1. ad Cor. pag. 43. facie averſa: *Vidimus jam, purgatorium non eſſe dogma creditu neceſſarium; deinde, qvod ſi opinione aut ſuſpicione accipiatur, infirmas & debiles habet, qvibus innitatur, rationes, atqve pietati potius officiat, qvam*

eam promoveat. Quamobrem qvi ipsum esse opinantur, non recte faciunt, si id credendum Ecclesiae proponant, *in qva ut fidei objectum tradi non oportet, nisi ex scripturis certo ac indubitato constet.*

Episcopus wintonienſis in Responſ. ad card. Bellarmini Apolog. c. 8. p. 208. de purgatorio verba faciens, haec habet : *Cujus qvidem in S. literis basis firmior non est, locum id habere potest* inter opiniones scholae, *qvae non sine formidine contrarii sunt; inter fidei articulos non potest. Loco ergo suo consistat: opinio sit, ad fidem ne pertingat: ne dogma qvidem ecclesiasticum habeatur.*

Sed ut considerationi huic (in qva qvae forte desideras, lector erudite, ea ex aliis, qvi controversiam hanc fusius pertractarunt, petenda esse memineris) finem tandem imponamus : Ad controversiam hanc tollendam, vel saltem minuendam, * Romanenses opinionem suam de *purgatorio punitivo*, qvum nullis certis fundamentis, nec in scripturis, nec in primorum seculorum Patribus, nec in priscis conciliis, nitatur, ut supra demonstratum est, *pro fidei articulo nec habeant ipsimet, neqve aliis obtrudant*; Protestantes etiam, qvibus opinio ista improbatur, & qvidem jure meritoqve, *haereseos tamen aut impietatis aperte eandem ne damnent*; sententiae vero communi Graecorum, atqve etiam qvorundam virorum doctorum in latina Ecclesia de *purgatorio expiatorio*, (qvod solum purgatorii nomen proprie

* Romanenses opinionem suam.] Vide pag. 265.

prie loqvendo meretur) in qvo sine pœnis gehennalibus, animae sanctorum, qvorum qvasi media qvaedam conditio est, in cœlis qvidem, sed in cœlorum loco, soli Deo noto, magis magisqve, usqve ad diem visionis Dei clarae, fruentes conspectu & consortio humanitatis Christi & sanctorum angelorum, perficiunt se in Dei charitate per fervida & morosa suspiria, ut supra pag. 264. dictum est, neutri pertinaciter obluctentur: Pag. 267.) sua enim, atqve ea qvidem haud exigua probalitate minime destituitur. *Mos* autem *orandi & offerendi pro defunctis* antiqvissimus, & in universa Christi ecclesia ab ipsis ferme Apostolorum temporibus receptissimus, ne amplius a Protestantibus, ut illicitus, vel saltem ut inutilis, rejiciatur. Revereantur veteris Ecclesiae judicium, & perpetua tot seculorum serie confirmatam praxin agnoscant, & religiose dehinc ritum hunc, licet non ut absolute necessarium, seu lege divina imperatum, ut *licitum* tamen, atqve etiam *utilem*, semperqve *universae Ecclesiae probatum*, cum publice tum privatim usurpent, ut orbi christiano pax tantopere omnibus vere doctis & piis exoptata tandem redeat. Faxit Deus ter. opt. maximus!

Τῷ μόνῳ Θεῷ δόξα.

Tertull. lib. 1. contra Marcion.

Omnino res christiana sancta antiqvitate stat, nec ruinosa rectius reparabitur, qvam si ad originem censeatur.

Pag. 268.

Consideratio
Controversiae
De
Angelorum & Sanctorum
Intercessione & Invocatione,
qvae tractatur a Bellarmino lib. I. de Sanctorum beatitudine.

Pars I.

In qva de utrorumqve intercessione agitur.

ANgelos *omnes generatim, & qvi in causis ac necessitatibus particularibus nostri curam gerunt, speciatim pro nobis orare,* non negant Protestantes doctiores, ut nec orationes nostras ab angelis istis offerri Deo; intelligentes scilicet solam ministerialem *precum nostrarum oblationem*, non autem propitiatoriam: haec enim soli Christo mediatori nostro unico convenit. Pag. 270.) *Offerre dicuntur custodes angeli orationes suorum*, inqvit Vasqvez

qvez in primam S. Thomae tom. 2. disputat. 254. cap. 1. *cum simul ipsi deprecantes, eorum orationes proponunt, non ut Deo illas manifestent cum nihil ipsum lateat, sed* ut ipsi pro nobis simul deprecentur. *Largimur*, inqvit Apologia august. confess. *qvod angeli orent pro nobis. Extat enim testimonium Zach. 1. 12. ubi angelus orat, &c.* M. Chemnitius Loc. theol. parte prima, de Creatione pag. 333. edit. francof. A. 1608. *Angeli offerunt orationes nostras Deo.* Tob. 12. 12. 15. *orant pro nobis.* Zach. 1. 12. (1) Job. 33. 23. Act. 10 vers. 3. & 4. *adjungunt suas preces nostris.* Apoc. 8. 3. & 4. &c. Joh. Gerhardus in L. C. loco de Scriptura (2) pag. 188. *Novimus sane, magnum illum theologum, D. Chemnitium tom. 1. Loc. inter officia angelorum etiam hoc recensere*, qvod preces nostras Deo offerant, *&c. Sed si tale qvid angelis tribuere velimus, necessario* distinguendum erit inter oblationem precum ἱφεκτικὴν simplicem, ac ἱλαστικὴν propitiatoriam, *per qvam preces nostrae Deo gratae & acceptae redduntur: qvi honor soli Christo relinqvendus.* Zanchius de Operibus Dei, lib. 3. cap. 14. *Qvicqvid agimus vel boni vel mali, illud ab angelis custodibus nostris spectatur & observatur. Hoc idem confirmat & hic* (Act. 10.) *& alii loci, ubi legimus, preces nostras deferri in conspectum Dei per angelos*, ut Tob. 12. 12. Videatur idem Zanchius paulo post, cap. 22. circa initium. Petrus Martyr L. C. classe prima, cap. 12. sect. 17. *Qvod si legeris in scripturis*, (in margine citatur Tob. 12. 12.) *angelos deo offerre*

(1) Job. 33. 23.] Vide pag. 271.

(2) Pag. 188.] Pag. 72. Exegef. edit. in fol.

ferre nostras preces, id ab eis non fit ad Deum instituendum sive docendum, ut Augustinus scribit libro 15. de Trinit. cap. 13. Videatur idem Augustinus in Apoc. 8. 3. 4. Primasius, Beda, Haymo, immo plerique interpretes, inqvit Basilius de Viega, jesuita, comment. hunc in loc. Apocal. *per angelum illum* Christum *intelligi volunt. Neque enim alteri apte accommodari possunt, qvae hoc loco ponuntur: cujus enim alterius est, universae ecclesiae incensa, h. e. orationes, in thuribulo aureo tanta majestatis specie Patri offerre? Cujus est, praeterqvam Christi, de igne, qvo thuribulum aureum erat impletum, partem in terras misisse; easqve divini amoris igne, & ignitis Spiritus S. donis inflammasse?* pag. 271.) Inter Romanenses tamen (ut alios multos praetermittam) contendit Ribera in locum, non Christum, sed angelum aliqvem intelligi creatum. Rationes, qvibus sententiam suam confirmat, videantur apud auctorem ipsum. Vide & Cornelium a Lapide in locum eundem.

Estius in loc. cit. utramqve sententiam lectori liberam relinqvit. Haec autem illius verba observentur: *Caeterum ex eo, qvod angeli orationes nostras offerant Deo*, bene seqvitur, qvod pro nobis orent. *Non enim aliter intelligi possunt orationes nostras Deo offerre, qvam* eas commendando, *ut Deus illas suscipere, acceptare, & exaudire dignetur. Hoc autem est suas orationes nostris adjungere, suisqve orationibus nostras adjuvare.* Inter-

Pro-

Protestantes Beza locum illum Apocal. *de angelo* intelligit, & affirmat, *sanctorum orationes in hoc mundo*, videlicet pura illa precum & beneficentiae sacrificia Deo qvotidie offerentium, per angelorum ministerium Deo offerri. Chemnit. in Examine Concilii trident. de Invocatione Sanctorum, ad hunc locum respondens, inqvit: *Vel si intelligatur de angelo simpliciter, idem erit, qvod scriptura alibi dicit*, angelos offerre orationes nostras Deo, & referre exauditionem earum. *Tob.* 12. 12. 15. *Dan.* 9. 23. & 10. 12. *Luc.* 1. 13. *Act.* 10. 3. 4. *& illis addi incensum odoris fragrantis coram Deo, non ex angelorum dignitate aut meritis, sed ex ara, qvae est ante thronum Dei.* Vossius in thesibus suis de Invocatione Sanctorum, disp. 3. thes. 6. *Atqve non aliud hinc* (Apoc. 8. 3. 4.) *colligi potest, qvam orationes nostras ab angelis offerri Deo, atqve ab iisdem exauditionis nuncium interdum afferri. Qvod etiam docemur Dan.* 9. 22. & 10. 12. *Tob.* 12. 15. *Qvanqvam & in hoc Apocal. loco cum Primasio & aliis per* angelum *possumus intelligere Christum.* Idem Vossius disp. 2. thesi. 3. locum Jobi cap. 33. 23. *Si fuerit pro eo angelus, &c.* qvem alii Protestantes de prophetâ, nuncio & interprete divinae voluntatis intelligunt, cum doctissimo Mercero *de angelo* intelligendum esse putat: ita, ut ex hoc loco colligi possit, *Deum ad hoc angelorum ministerio uti, ut hominum preces ac negotia ad se perferant: Qvod* (qvemadmodum ex plurimis scripturarum locis manifestum est) *passiva ac vulgaris in populo*

Dei

Dei opinio fuit. Sic ille. Pag. 272.) De tota hac re legatur locus insignis apud Augustin. lib. 15. de Trinit. cap. 12. Videatur & epistola 121. cap. 9. ac Bernh. serm. 7. in Cantica, aliiqve. Adi sis etiam Nicol. Serarium, jesuitam, prolixe hac de re differentem in Tob. cap. 3. partem alteram, q. 4. 5. 6. 7. Certe debili admodum argumento pugnant rigidiores Protestantes contra non solum canonicam istius libri autoritatem, (qvam certe illi tribuendam esse non existimamus) sed etiam contra veritatem multorum, qvae in illo continentur, inter alia, *qvia cap. 12. & 15. angelus dicitur offerre preces sanctorum Deo.* Videantur contrariae super hoc qvalicunqve argumento disputationes Anglorum, puritanorum, & molliorum, adeoqve meliorum & doctiorum Protestantium impressae anno 1608. p. 171. & seq. Vide & Vorstium in Antibellarm. p. 285.

Cuiqve saltem fideli ordinarie certum aliqvem *angelum*, tanqvam *custodem* & curatorem, assignatum esse, qvamvis extra ordinem plures etiam nonnunqvam ad eum, pro Dei beneplacito, majoris consolationis causa, mittantur, qvi ejus salutem, sive orationibus, sive officiis, prout occasio tulerit vel postulaverit, procurent, multi doctissimi Protestantes probabile, licet non de fide esse existimant, contra aliorum rigidiorum sententiam, qvibus hoc vel falsum commentum, vel saltem omnino incertum esse videtur. Hoc enim multi

multi scripturae loci probare omnino videntur. Matth. 18. 10. *Angeli eorum in cœlis per omne tempus intuentur faciem patris mei, qvi in cœlis est.* Act. 12. 15. *Ipsius angelus est.* Loqvebantur enim fideles illi juxta receptam in populo Dei sententiam. Gen. 48. 16. *Angelus, qvi eruit me.* Qvo de loco paulo post pluribus dicemus. Citantur & alii scripturae loci, qvi huic sententiae firmandae servire videntur. *In hac* autem *sententia*, inqvit Zanchius de Operibus Dei lib. 3. cap. 15. thesi 1. *qvam magis probabilem esse diximus, omnes Patres fuisse videntur. Patrum vero communis & constans consensus, multum apud me habet ponderis & auctoritatis, nisi S. literae contrarium aperte doceant.* Gul. Bucanus in L. C. de Angelis q. 28. consentit. Similiter & Johannes Rivius, vir doctissimus, in libro de Praesidio angelico. Martinus Borrhaus in Ecclesiast. ad verba cap. 5. 5. vel 6. *Neqve dicas coram angelo*, &c. pag. 58. 59. Pag. 273.) Richardus Montacutius contra qvendam controversiarum abbreviatorem cap. 23. Rich. Crakanthorp in Defensione Ecclesiae anglicanae, cap. 58. pag. 370. num. 4. *Putamus eqvidem & nos, adesse nobis custodem angelum; putamus, inqvam: de fide hoc esse, indubitatum esse, ex te aut qvovis tuorum scire volumus.* Joan. Salkeldus, anglus, in tractatu de Angelis cap. 44. & 45. diffuse hoc ex Patribus cum graecis tum latinis probat. Adi sis tractatum ipsum, ab autore, postqvam desertis Romanensibus sese Protestantibus adjunxisset, conscriptum & excusum Londini A. 1613.

A. 1613. A. Rivetus Summae controv. tract. 2. qvaest. 47. p. 649. post alia nonnulla: *Illud tamen non est alienum a scriptura, nec probabilitate caret, qvod Deus cuilibet electorum certum ac peculiarem angelum, qvi ipsum a nativitatis ortu usqve ad obitum custodiat, assignarit; praeter eos, qvos ipsi in difficultatibus extraordinarie ad majorem securitatem ac consolationem largitur.* Plures in re adeo clara citare non est necesse. Romanenses ipsi hoc de fide esse non affirmant, sed assertionem hanc, qvamvis non sit expressa in scriptura, vel ab ecclesia definita, tanto tamen consensu ecclesiae universalis receptam esse, & in scriptura, prout a Patribus intellecta est, tam magnum habere fundamentum, ut sine ingenti temeritate ac fere errore negari non possit. Ita Suarez de Angelis, lib. 6. cap. 16. n. 8. Vasqvez in 1. D. Thomae, tom. 2. disp. 245. cap. 1. n. 2. aliiqve.

Singulis etiam *provinciis* certos ordinarie praefectos esse angelos; extra ordinem vero plures qvoqve, & diversos ad eas mitti, ante dictis aliisqve moderatioribus Protestantibus verisimile, & scripturis sacris Dan. 10. 13. c. 11. 1. c. 12. 1. & Apoc. 12. 7. consentaneum esse videtur. Consentiunt & Patres, de qvibus alii fuse.

Angelum custodem non deserere penitus alumnum suum, qvamdiu haec vita durat, etiamsi peccet, & peccata multiplicet, docent multi Romanenses probabile esse; nec refragantur Protestantium multi moderatiores. Zanch. de

de Oper. Dei cap. 17. *Angeli*, inqvit, *qvorum curam ex Dei mandato gerunt, eos nunqvam penitus omnive officii genere deserunt.* Consentiunt & alii, qvibus idem verisimile, & scripturis plurimorumqve Patrum testimoniis maxime consentaneum videtur. Pag. 274.) Nonnulli tamen ex Patribus asserunt, homines peccando angelos a se profligare, vel ab illis angelos disjungi. Basilius in psalm. 33. *Omni credenti in Dominum, angelus assidet, si non ipsum nos per prava opera fugaverimus.* Et Orig. hom. 2. in Jerem. in fine, ac Bernhardus in suis sermonibus non semel idem docent. Res, utcunqve probabilis sit, de fide tamen, & indubitata non est. Salmero tom. 4. p. 440. *Non opus est, ut semper homini assistat angelus custos, qvemadmodum nec artifex horologio ex rotis ferreis constanti semper adest, sed ubi aut perturbatum est, aut ubi rota destitit: ita angeli custodes, ubi nostros affectus ab ordine rectae rationis recedentes emendaverint, & ad motum bonorum operum tepentes nos excitaverint, in cœlum se recipiunt, ubi semper vident faciem patris.*

Qvaecunqve fiunt & dicuntur ab hominibus, ea ab angelis custodibus præsentibus videri & boservari, licet de fide non sit, extra contraversiam est: sicut & probabile est, angelos illos custodes hominibus, qvorum tutelae sunt destinati, semper adesse. Qvae autem in nobis sunt cogitationes, desideria & affectus, nisi per externa effecta, vel signa sese utrimqve prodant, vel a Deo

revelentur, cognosci ab angelis minime posse, recte & congruenter sacris literis 1. Cor. 2. 11. 1. Reg. 8. 39. & Patrum doctrinae asserunt Protestantes. Subscribunt huic sententiae Romanenses omnes saniores. Suarez de Angelis lib. 2. cap. 21. n. 3. *Omissis particularibus opinionibus theologorum, assertio catholica est:* Angelum non posse naturaliter actum seu consensum liberum voluntatis creatae in se certo ac evidenter cognoscere, vel intueri, nisi ab habente talem liberum affectum alteri manifestetur. *Quam assertionem ita indistincte sumtam, censeo esse de fide, licet in modo explicandi possit fortasse aliqua opinionum dissensio intervenire vel permitti.* Et hanc assertionem prolixe probat cum ex scripturis tum ex Patribus, qvoad cogitationes internas, & aliorum angelorum & hominum; cogitationes autem nostras semper angelis custodibus, nedum aliis omnibus, a Deo revelari, qvis sine divina revelatione ausit dicere? *Angeli* qvidem *laetantur super resipiscentia peccatoris*, (ut dicitur Luc. 15. 10. qvi locus Romanensibus, indoctioribus praesertim, semper in ore est) qvi scilicet custodes sunt istius peccatoris; Pag. 275.) sive perpetui & velut a latere sint, sive hoc officio ad tempus fungentes, de cujus peccatoris conversione vera & sincera, vel ex revelatione divina, vel ex effectis & signis externis optime observatis illis constat; qvamqve vel iidem aliis angelis revelant, vel etiam Deus ipse. Vnde magnum existit gaudium in cœlo coram angelis

lis Dei super peccatore pœnitentiam agente. Sed omnes & singulas nostras cogitationes & desideria idcirco a Deo revelari, vel per externa effecta & indicia angelis etiam custodibus, nedum aliis, semper innotescere, minime inde efficitur, neqve sine temeritate aliqva afferitur. Atqve haec de Angelorum intercessione.

Qvicqvid rigidiores Protestantes vel aliqvando docuerint, vel etiam hodie doceant, certum non esse, qvod sancti mortui orent pro vivis, ne qvidem in genere, omnium tamen aeqviorum & saniorum ea mens est, qvae fuit Jacobi VI. M. Brit. Regis laudatissimi, in Resp. per Is. Casaubonum ad epist. card. Perronii scripta p. 59. edit. londin. 1612. Beatos martyres, & alios sanctos cum Christo capite utriusqve ecclesiae, triumphantis & militantis, nunc regnantes, veneratur ipsius Majestas, eosqve pro necessitatibus ecclesiae assidue orare non dubitat, precesqve ipsorum non esse inutiles, firmiter credit.

Immo in particulari etiam pro qvibusdam viventibus sanctos defunctos orare, non negant qvidam Protestantes, probabile esse, ut episcopus winton. in Resp. ad cap. 20. lib. 5. Replicae cardin. Perronii p. 44. Et R. Grakanthorp in Defensione Ecclesiae anglic. contra archiepisc. spalat. cap. 59. n. 4. scribit: *Non negamus, tum Hieronymum, tum Cyprianum, tum Nazianzenum, tum alios, in ea opinione fuisse, (qvam nos qvoque ut piam amplectimur, & probabilem)*

babilem) ut putarent, sanctos defunctos pro aliquibus, qui ipsis noti prius erant & chari, etiam in particulari apud Deum preces fundere. Hinc virgines, mox ad Dominum cum martyrii corona migraturas, hortatur, qui illis & cognitus probe fuit & charus, Cyprianus de D scipl. & habitu virg. in fine: Mementote tunc nostri, cum incipiet in vobis Virginitas honorari. Et Cornelium sibi familiarem valdeque dilectum alloqvitur idem * l. 1. ep. 1. Si qvis nostrum prior divinae dignationis celeritate praecesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio. Pag. 276.) Qvod idem de Basilio opinatur Nazianzenus orat. funeb. in laudem Basilii: Ille, inqvit, nunc in cœlis degit, ibiqve pro nobis (pro nobis, in particulari, qvos charos hic habuit) ὡς οἶμαι ut arbitor, sacrificia offert, ac pro populo (hoc nempe particulari, qvem charum habuit) orat. Hoc sensu capienda etiam Hieronymi verba, tam illa ad Paulam de Blesilla, pia ipsius filia tunc defuncta: Pro te Dominum rogat, mihiqve veniam impetrat peccatorum; qvam haec ad Heliodorum: Veniet postea dies, qvo Hierosolymam cœlestem vir fortis coronatus incedas. Tunc parentibus tuis, ejusdem civitatis jus petes: tunc & pro me rogabis, qvi te, ut vinceres, incitavi. Erat Paula, erat & Hieronymus Blesillae, erant Heliodoro tum parentes ipsius, tum Hieronymus, non noti solum, sed summe chari Cur tales a defunctis in particulari Deo commendari diffidamus? Qvis vel paren-

* Cyprian. l. 1, ep. 1.] Seu 57. in edit. reinhart.

parentum in filiis, vel filiorum in parentum animabus separatis memoriam recentem adhuc, & charitatis ardore flagrantem, obliteratam sentiat credatve? Qvis sanctos Deum intuentes vel memoria vel charitate debiliori opinetur in cognatos, charosque amicos, qvam erat in fratres suos miser ille & immisericors epulo? Roget igitur pro parentibus & amicis notissimis sibi & charissimis Blesilla, roget Heliodorus, rogent pro similibus alii, aliqvi etiam, si vis, pro illis particularibus ecclesiis, regnis aut provinciis, qvorum, dum vivi erant, ardentiorem curam gerebant: qvid hoc ad nos, aliosqve, qvos de facie, de nomine, de conditione & statu penitus ignorant? Et paulo post: *Orare Sanctos defunctos, & in particulari etiam orare pro eis, qvorum notitiam & memoriam adhuc calentem habent, & secum in cœlum ferunt, libenter arbitramur.*

R. Montacutius contra J. Caesarem Bulengerum pag. 21. 22. prolixe in eandem sententiam differit: *Sancti*, inqviens, *ad Christum in cœlo recollecti, possunt de via ordinaria per Christum apud Deum patrem amicos, familiares,* οἰκείους, *notos precibus commendare, & adjuvare in genere; de rebus ad salutem necessariis procurandis, de malis avertendis averruncandisqve tractare.* Pag 277.)

Hoc late deinceps ex Cypriani variis locis probans: *Ista*, inqvit, *Cypriani & similia Patrum antiqvorum testimonia, ubi noti cum amicis, familiares stipulantur cum familiaribus, nihil prorsus adjuvant enormem illam praxin & opinionem, qvae nunc obtinent in ecclesia pontificia.* Idem in tra-

ctatu de Invocat. Sanctorum idiomate anglico scripto, fuse probat pag. 101. & seq. admittit etiam ibidem, ut probabile, qvendam vel qvosdam Sanctorum defunctorum posse alicujus vel aliqorum hominum, vel populorum, ex speciali qvadam dispensatione, vel deputatione, vel ardenti aut pio affectu, non qvidem ordinarie, sed extraordinario modo, curam magis specialem gerere. Affirmat idem & alius anglus Petrus Heylinus, in Historia S. Georgii cappadocis nuper asserta, & excusa anno 1631. pag. 203. *&c.*

Sed *orare Sanctos pro illis in particulari, qvorum notitiam nullam ante obitum habuerunt, & scire eos aut parentum, aut liberorum, aut amicorum, aut qvorumcunqve post ipsorum egressum vel omnes actiones, vel conditionem vel preces*, non solum vocales, sed etiam mentales, ut pro eis, qvae tum petunt, in particulari intercedere possint, si non falsum, saltem dubium admodum & incertum esse, recte Protestantes arbitrantur, contra Bellarm. de Sanct. beatit. lib. 1. cap 20. sect. *Deinde, non est verum*, p. 299. aliosqve plurimos Romanenses. Certe nullae scripturae haec docent: ad ea enim loca, qvae vulgo adduci solent a Romanensibus, Jerem. 15. 1. 2. Pet. 1. 14. 15. Apoc. 2. 26, 27. c. 3. 12. 21. c. 5. 8. c. 6. 10. c. 8. 3. 4. Matth. 24. 36. abunde a Protestantibus responsum est. Immo scripturae contrarium docere videntur Esa. 63. 16. vel c. 64, 2. 1. Reg. 8. 39. 2. Reg. 22. 20. solius scilicet Dei & Christi mediatoris, seu hominis, ratione

ratione unionis hypostaticae, proprium esse, omnium hominum dicta, facta & cogitata nosse, res humanas ubiqve curare & administrare, ac preces gemitusqve omnium ubicunqve orantium piorum exaudire, nulli autem vel angelorum vel sanctorum defunctorum idem datum aut communicatum. Pag. 278.) Vnde etiam liqvet, qvam infirmæ sint ratiunculae, qvæ petuntur ab angelis, & a qvibusdam sanctis in terris, Elizeo, Daniele aliisqve, ad probandum, sanctos in cœlis singula, qvae hic a piis dicuntur, fiunt & cogitantur, in locis etiam longissime dissitis, eaqve sive simul, sive etiam successive nosse. Nihil nunc dicam de male intellecto loco Luc. 20. 36. ubi dicuntur beati fore ἰσάγγελοι, *pares angelis*, unde colligunt, non minus animas beatas, qvam angelos, scire nunc, qvae in terris gerantur. Videantur Protestantes, inprimis Vossii theses theolog. de Invocatione Sanctorum.

Neqve unqvam hoc in Ecclesia certum fuit, & de fide. Plurimi enim Patrum, ut constat, & confitentur Stapletonus Defens. eccles. iast. autorit. lib. 1. cap. 2. aliiqve multi Romanenses, ut nos * alibi ostendimus, animas sanctorum usqve ad diem judicii non clare videre Deum existimarunt. Apud illos igitur certum esse non potuit, qvod res humanas clare aut certo sciant. Orig. lib. 2. in epist. ad Rom. cap. 2. *Jam vero*, ait, *si etiam extra corpus positi sancti, qvi cum*

* Alibi] Pag. 251.

Christo sunt, agunt aliqvid, & laborant pro nobis ad similitudinem angelorum, qvi salutis nostrae ministeria procurant, habeatur hoc qvoqve inter occulta Dei, *nec chartis committenda mysteria.* Loqvitur autem Orig. de particulari animarum beatarum pro nobis intercessione, illi angelorum simili, qvi salutis nostrae ministeria, ut recte ait, procurant, officii demandati ratione. Videatur idem in Cant. hom. 3. *Non erit inconveniens, siqvis arbitretur, &c.*

Nazianz (1) orat. 1. in Julianum: *Audi haec etiam,* ait, *Constantii magni* (sic enim legendum est, non autem, ut multi vulgo ex basil. edit. citant *Constantini magni.* Vide R. Montacutii, & Front. Ducaei notas in orat. hanc) *anima* (cœlo, ut ipse charitatis judicium secutus existimabat illata) εἴ τις ἀισθησις, *si qvis mortuis sensus est, omnesqve eorum, qvi imperium ante ipsum tenuerunt, piae Christiqve amantes animae.* Sic Billius. Et rursus in fine orationis in Gorgoniam sororem suam: εἰ δέ τις σοὶ καὶ τῶν ἡμετέρων ἐστὶ λόγος, &c. *Si qva tibi nostrorum sit cura, atqve hoc praemii sit sanctis animis a Deo concessum,* τὸ πρέπον ἐπαιδάνειν, *ut ista sentiant; suscipe qvoqve orationem nostram.* Pag. 279.) Perperam (2) Bellarminus aliiqve Romanenses respondent, in his locis, praesertim in hoc posteriori illud

(1) Orat. 1. in Julianum] Tom. 1. Opp. pag. 50. edit. colon. A. 1690.

(2) Bellarminus] Lib. 1. de Sanct. beatitud. c. 20. sect. *Ad locum Nazianzeni dico.* p. 300.

illud *Si* non esse dubitantis, sed *affirmantis*, ut cum dicit Apostolus ad Philem. v. 17. *Si habes me socium, suscipe illum.* Et Dominus, Malach. 1. 6. *Si pater ego sum, ubi est honor meus?* Et: *Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt.* Vt sensus sit: Audi Constantii anima, *qvia* tibi sensus est: *Qvia* tibi τὰ ἡμετέρων cura est, atqve hoc praemii, &c. Qvis enim a partium studio alienus, haec dicta Nazianzeni, dubitantis potius esse, qvam aliqvid tanqvam indubitatum praesupponentis, non videat? Graecus scholiastes in locum priorem aperte inqvit, pag. 2. edit. etonien. ἰσοδυναμεῖ τοῦτο, & verba, εἴ τις ἀμφιβολία, per haec explicat, ἐάν τις ἀμφιβάλλῃ ἐπὶ τῷ τῆδε ἀκούειν. Haec autem ἐάν τίς ἐπὶ verba sunt non adjurantis, sed *dubitantis*. Idem Nazianz. orat. in laudem Basilii: *Et nunc ille qvidem in cœlis est, illic sacrificia pro nobis offerens, & pro populo preces fundens, ὡς οἶμαι, ut opinor, ni fallor*, prout vertit Billius. Vide edit. pariss. Qvod in funebri patris oratione ait, πέποιθα, *ego mihi persuadeo*, Billius vertit: *Nec dubito*, ut ibidem seqvitur, *qvin hoc nunc qvoqve tanto magis deprecatione sua, qvam prius doctrina praestet.* Sed hoc male versum est. Verbum enim πέποιθα significat certam animi persuasionem de re qvapiam, sive certa sit morali duntaxat certitudine, cui falsum subesse contingat, sive certitudine fidei & infallibili. Vide Philip. 1. 6. 2. Tim. 1. 5. Hebr. 6. 9. Rom. 15. 14. Praeterea

nihil hoc spectat ad particularem sanctorum pro qvibusvis intercessionem, de qva jam controvertitur; sed ad illam, de qva p. 275. sect. *Immo in particulari*, dictum, qvae valde probabilis est. Pag. 280.) Observa obiter, lector, minus attente hunc locum legisse G. J. Vossium, qvando in disp. historica altera de Invocatione sanctorum, thes. 8. verba, qvae hac eadem in sententia leguntur, εἰ μὴ τολμηρὸν τοῦτο εἰπεῖν, *dubitationi Nazianzeni de particulari sanctorum intercessione probandae adduxit.* Verba enim illa alio referenda esse, vel levis loci inspectio clare ostendit. Sic enim inqvit: *Ego mihi persuadeo, qvod hoc nunc qvoqve tanto magis deprecatione sua, qvam prius doctrina praestet, qvanto nunc magis Deo appropinqvat, ut qvi corporeas compedes excusserit:* τάξεως ἢ παῤῥησίας ἀγγελικῆς, εἰ μὴ τολμηρὸν τοῦτο εἰπεῖν, ἀξιώμενος, *angelici ordinis dignitatem & fiduciam (nisi hoc dictu audax est) consecutus.* Eundem errorem errarunt ante illum qvidam alii Protestantes. Qvod etiam Orat. 24. haud procul ab initio de Athanasio verba faciens Nazianzenus, ait: *Ille vita defunctus, nunc res nostras,* εὖ οἶδα, *bene scio*, (*ut persuasum habeo*, vertit Billius) *cœlitus inspicit, ac virtutis causa laborantibus manum porrigit.* Illud εὖ οἶδα aliud non significat, qvam τὸ πείθομαι superius, *opinionem* scilicet, *& persuasionem valde probabilem de particulari etiam illius intercessione pro Ecclesia omnibusqve illius sanis membris*, propter veritatem

tem fidei (pro qva tuenda innumeras ipsemet, dum in vivis esset, aerumnas pertulerat) tunc afflictis, aut porro affligendis; sed absqve singulari rerum omnium, qvae hic in Ecclesia geruntur, & piorum omnium ac singulorum, qvi omnibus seculis, ab illius in cœlum migratione, mala propter fidei ὀρθοδοξίαν perpessi sunt, aut ad huc usqve ad finem seculi perpessuri sunt, cognitione. Saepe in communi & populari sermone, de qvibus tantum valde probabiliter opinamur, usurpare solemus illud, εὖ οἶδα, *bene novi*, ut constat. Nimis ergo audax est illa Bellarmini assertio de Sanctorum beatitud. lib. 1. cap. 20. *Gregorium nazianz. passim asserere, sanctos videre*, singulatim scilicet, *qvid hic agatur*, citato hoc Nazianzeni, cujus nunc meminimus, loco. Contrarium ex ante dictis apparuit. Sed pergamus.

Pag. 281.) Ambrosius de obitu Satyri fratris: *Qva eras sanctae mentis misericordia in tuos, si nunc urgeri Italiam tam propinqvo hoste cognoscere, qvantum ingemiscerес! qvam doleres, in Alpium vallo summam nostrae salutis consistere!* Hieronymus in Epitaphio Nepotiani (de qvo ibidem Hieronymus fidenter: *Scimus, Nepotianum nostrum esse cum Christo & sanctorum mixtum choris*) circa initium: *Qvicqvid dixero, qvia ille non audit, mutum videtur.* Et haud procul a fine: Felix *Nepotianus, qvi haec non vidit, felix, qvi haec non audit*; nempe barbarorum incursiones. Inepte respondet cardin. Perronius Replicationis ad epi-

epistolam seren. M. Brit. Regis lib. 5. cap. 20. ut videre est in Opusculis posthumis episc. winton. *Nepotianum haec non vidisse nec audivisse, oculis & auribus scilicet corporis.* Qvid enim aliud per videre & audire hic intelligit Hieronymus, qvam cognoscere? Sicut Ambrosius supra locutus est: *Si nunc urgeri Italiam tam propinqvo hoste cognosceres.* Et in fine ejusdem Epitaphii: *Cum qvo loqvi non possumus, de eo loqvi nunqvam desinamus. Cum qvo loqvi, & ad qvem loqvi,* ut scilicet certum sit, illum audire, qvae loqvimur, Hieronymo hic idem sunt; ut rursus futilis sit card. Perronii distinctio hic adhibita inter *parler avec*, & *parler a qvelq' un*, hoc est, *cum aliqvo loqvi*, & *aliqvem alloqvi.*

Augustinus lib. de Cura pro mortuis capite 16. ait, *defunctos, per naturam propriam, vivorum rebus interesse non posse, nec qvid agamus, qvidve patiamur, noviss*e. Et cap. 13. fuse id probat exemplo piae suae matris, ex psal. 26. vel 27. 10. Esaiae 63. 16. vel 64. 2. & 2. Reg. cap. 22. v. 20. *Proinde fatendum est*, inqvit cap. 15. *nescire qvidem mortuos, qvid hic agatur, sed dum hic agitur*; (ubi igitur est speculum S. Trinitatis, in qvo sancti singulatim omnia nostra vident?) *postea vero* audire ab eis, qvi hinc ad eos moriendo pergunt; *non qvidem omnia, sed* qvae sinuntur indicare, qvi sinuntur etiam ista meminisse; & qvae illos, qvibus haec indicant, oportet audire. *Possunt* & ab angelis, *qvi rebus, qvae aguntur hic, praesto sunt, audire aliqvid mortui, qvod unumqvemqve illorum audi-*

audire debere judicat, cui cuncta subjecta sunt. Pag. 282.) *Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua, quae hic aguntur, quae necessarium est eos nosse, non solum praeterita, vel praesentia, verum etiam futura* revelante spiritu Dei *cognoscere. Sicut non omnes homines, sed prophetae, dum hic viverent, cognoscebant, nec ipsi omnia, sed quae illis esse revelanda Dei providentia judicabat.* Quam modeste & prudenter haec Augustini dicta! Et cap. 16. dubitare se significat, num martyres generaliter orent pro indigentia supplicantium: *Sicut nos*, inqvit, *oramus pro mortuis, qvibus utiqve non praesentamur, nec ubi sint, nec qvid agant, scimus, an vero speciatim pro singulis. Nec explicat*, inqvit Estius in 4. Sent. dist. 45. §. 20. *utrum singulorum preces sigillatim percipiant.* Idem Augustinus lib. de Vera religione cap. 55. *Qvicqvis angelorum vel hominum in Deo manet, & potest humanas preces sentire, in illo me exaudit.* Ad qvem locum sic qvidem respondet Bellarm. l. c. de Sanct. beat. c. 20. sect. *Ad alterum locum B. Augustini, eum rectissime id dicere, qvia multi manent in Deo, qvi non possunt humanas preces audire, videlicet illi omnes qvi sunt in caritate, & tamen nondum sunt beati:* sed haec responsio merum est χρησφυγετον.

Bernardus (qvem *ultimum Patrum* recte vocabat V. Cl. Nicolaus Faber) in obitum Humberti monachi: *Qvamdiu viveret in ejus laude, non aperui os meum, ne forte possemus, vel ego adulationis notam, vel ille culpam incurrere vanitatis. Ex hoc sane neutrum jam timetur, nec ego eum video, &*

ille

ille forsitan me non audit. Sed etsi audiat, non movetur hominum verbis. Hugo de S. Victore, aeqvalis S. Bernhardi, ut constat, qvaest. 228. in epist. ad Roman. *Qvaeritur*, inqvit, *an sancti, qvorum patrocinia postulamus, pro nobis interpellent, & qvomodo?* Resp. Sanctos pro nobis interpellare, *non est aliud, qvam Deum pro meritis eorum bonos affectus, qvos habemus in eos propter Deum, remunerare. Et ideo nihil inter est, sive nos audiant, sive non.* Et de sacramentis l. 2. parte 16. cap. 11. *Multi*, inqvit, *in qvaestionem adducunt*, an sancti preces supplicantium audiant, & cum ad intercedendum invocantur, utrum vota, postulantium usqve ad ipsorum cognitionem perveniant? *Difficile est, de hujusmodi judicare. Qvomodo enim scientia nostra certa esse potest de ipsis, qvi eam, qvam de nobis habent scientiam, nec capere possumus, nec investigare?* Pag. 283.) *Hoc unum certum est*, animas sanctorum in secreto divinae contemplationis constitutas, eorum, qvae foris aguntur, tantum scire, qvantum vel illis ad gaudium, vel nobis ad auxilium prodesse constat. *Nos intercessores qvaerimus apud Deum. Qvid amplius vis? Times, ne forte non orent, qvi semper orant? Qvomodo non orabunt pro te, qvando tu oras, qvi &, qvando tu non oras, orare tamen non cessant?* Si non audiunt, *inqvis*, & ego in ventum verba fundo, non audientibus & non intelligentibus loqvens *Ecce dicamus: non audiunt sancti verba postulantium; neqve ad beatitudinem illorum attinet ista nosse, qvae foris*

foris aguntur. Ecce dicamus: (1) Non audiunt. Numqvid Deus non audit? *Qvid ergo laboras investigare, qvid audiant & qvantum audiant sancti, qvos oras; cum ipse Deus audiat, propter qvem oras? Ipse videt humilitatem tuam, qvi remuneraturus est devotionem tuam. Tamen si audiunt, & qvantum audiunt,* qvid est audire, nisi scire? *Unum enim est lumen, in qvo & audiunt ad percipiendum, & vident ad cognoscendum: in qvo si qvid forte foris agitur, qvod modo interim non audiunt, aut non vident, mysterium est dispensationis, non detrimentum felicitatis. Inveniuntur tamen qvidam sanctorum Patrum* (Gregorium M. intelligit in Jobum, &c.) *qvaedam ita dixisse,* qvasi nihil sit in creaturis, qvod non videant, qvi videntem omnia vident. *Ego amplius judicare non praesumo, nisi hoc solum, qvoniam* tantum vident, qvantum illi placitum est, qvem vident, & in qvo vident.

Magister Sentent. lib. 4. dist. 45. *Non est incredibile,* (minime igitur certum, & de fide) *animas sanctorum, qvod in abscondito faciei Dei veri luminis illustratione laetantur, in ipsius contemplatione ea, qvae foris aguntur, intelligere, qvantum vel illi ad gaudium, vel nobis ad auxilium pertinet.* Gabr. Biel in Canonem missae lect. 31. citato illo, qvem (2) ante adduximus ex Hugone de S. Victore de Sacramentis loco, inqvit: *Unde probabiliter dicitur, qvod, licet non necessario seqvitur*

(1) Non audiunt] Vide pag. 341.
(2) Ante] Pag. 282.

tur ad sanctorum beatitudinem, ut orationes nostras audiant, de congruo tamen Deus eis revelat omnia, qvae ipsis ab hominibus offeruntur, *sive ipsos magnificando & laudando, sive eos orando & auxilia implorando.* Cajetanus in 2. 2. qv. 88. art. 5. *Certa ratione nescimus, an sancti nostra vota cognoscant, qvamvis pie hoc credamus.* Pag. 284.) Guil. Estius in 4. Sent. dist. 45. §. 18. circa finem: *Si recte invocantur sancti, ut habet totius Ecclesiae fides: ergo* valde probabile est, *immo plus qvam probabile, qvod preces invocantium se cognoscant. Qvamvis autem tridentini Concilii patres istud tanqvam rem fidei definire noluerint, docent tamen sess.* 25. p. 507. eos impie sentire, qvi asserunt, stultum esse, in cœlo regnantibus voce vel mente supplicare; qviqve sanctorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse dicunt idololatriam. *Et rursus ibid.* sect. 20. circa finem: *Non est necesse affirmare, qvod semper omnes sancti cum Christo regnantes cognoscant particulariter omnium & singulorum preces, qvomodocunqve generaliter ad se directas. Et forte ob hujusmodi dubitatiunculas non fuit visum Patribus trid. concilii qvaestionem hanc, an sancti preces viventium cognoscant, absolute definire.*

G. Cassander in epist. 19. ad Jo. Molinaeum. p. 1108. & 1109. *De interpellatione sanctorum jam olim in litaniis publicis usitata, scripsi,* non videri mihi, cur minus liceat beatos illos spiritus ex qvadam pii desiderii redundantia compellare, atqve exhortari, ut id faciant, qvod eos ultro facere

facere credimus; *ut perinde valeat*, Omnes sancti orate pro me, *atq;* utinam omnes sancti orent pro me. *Huc me primum induxit*, *qvod* de hac qvaestione, an, qvatenus & qvomodo sancti cognoscant & exaudiant singulorum eos interpellantium preces, nihil apud veteres neqve recentiores definitum, sed probabiliter tantum disputatum *videam*. *Notum est, qvid Augustinus de Cura pro mortuis ea de re disputet. Et Scotus manifeste asserit*, non esse ex ratione beatitudinis, qvod beati audiant orationes nostras, probabile tamen esse, qvod Deus ipsis revelet. *in 4. dist. 45. qu. 4. &c. Movit qvoqve me potissimum, qvod apud Hugonem de S. Victore legeram, non ideo inanes fore nostras preces, qvibus sanctos ad orandum pro nobis invocamus, etiamsi concedamus, eos voces postulantium non audire:* Ecce, *inqvit*, dicamus, non audiunt, nunqvid Deus non audit? Qvid ergo laboras investigare, qvid audiant, & qvantum audiant sancti, qvos oras, cum ipse Deus audiat propter qvem oras? Pag. 285.) *Qvare cum viderem, non esse necessarium, ut statuamus, sanctos intelligere nostras preces, credebam, ad calumnias nonnullorum repellendas satis esse, si dicamus*, per modum desiderii *eas interpellationes explicari posse; qvod minus habet absurditatis, & divinarum literarum exemplis congruit. Si qvis autem hujusmodi compellationes* pro intimatione *qvoqve* desiderii, & directa (*ut ita loqvamur*) allocutione *haberi velit, non repugno. Crediderim tamen, hujusmodi intimationi* tacitam conditionem subesse,

debere, *qualem* (1) *Gregorius nazianz. in oratione funebri fororis Gorgoniae exprimit, cum ait,* Proinde si nostri sermones vel parumper tibi curae sunt, honorqve talis sanctis a Deo donatur animabus, ut talia rescisçant, suscipe & tu sermonem nostrum. Georg. Wicelius in Methodo concord. eccleſiast. p. 47. *Qvid consilii dabitur, ut non prorsus sublata intercessione* (sanctorum,) *amicitia inter nos sancta fiat?* Eccleſiastici ponant modum dogmati suo, *& non faciant articulum symboli ex pia persuasione.*

Jo. Baptista Folengius, monachus benedictinus, Jac. Aug. Thuano Hist. lib. 23. multum laudatus, in 1. Joan. 2. 1. *Absurdum minime est,* ait, *opinari, ut inter qvos una est charitas, una etiam sit voluntatis, atqve ad ferendas his, qvi in acie adhuc laborant, suppetias,* desiderium & affectus, *qvem convenientissima voce* precationem *appellarunt sancti Dei interpretes. Qvid, oro, Ecclesiae puritati officit istiusmodi persvasio? Nihil certe video detrahi posse fidei candori, si milites jam in tuto positos pro his, qvi in agone etiam num contendunt, solicitos esse credamus.* Nihil hic de singulari cognitione & intercessione dicitur. Jo. Barnes. in suo Cathol. rom. pacifico (2) manuscr. sect. 10. de Invocatione sanctorum: *Ex praxi interpellantium sanctos, non*

(1) Gregorius nazianz.] Vide p. 286. 287.

(2) Manuscripto] At jam impressus habetur in Edwardi Brownii Fasciculo rerum expetend. & fugiend. De qvo vide celeberrimos collectores Actor. erudit. lipsi. A. 1691. p. 141.

non est necesse inferre, eos nos certo audire : Pag. 286.) *satis est, compellatores eorum* pie id credere, *sese ab illis audiri.* Et in Paralipomenis ad sect. hanc affirmat, *sanctos Patres, quando mente praesentes sanctos alloquuntur & orant,* * tacitam conditionem subaudire. Adducit deinde locum Nazianzeni de laudibus Gorgoniae supra p. 278. citatum, & illud orat. 1. contra Julianum, εἴ τις ἀΐδηπις, & de Basilio, ὡς ὄιμαι, item illud Hieronymi in Epitaphio Nepotiani, *Non audit, quicquid dixero,* nec non August. de Cura pro mortuis cap. 13. & de Spir. & litera cap. 29. (sed falso videtur scriptum) & Orig. lib. 2. in ep. ad Rom. concluditqve: *Si non sit certum, sanctos clare videre Deum, certum esse nequit, quod res nostras clare aut certo sciant; pie tamen credimus, sanctos nostrarum rerum curam gerere, &* credulitatis hujus suspiciones *non desunt probabiles, nempe* (1) Eph. 2. 19. dicitur: Sumus concives & domestici & commembra sanctorum. *Pronum ergo est suspicari, eos conversantes cum Christo familiariter, multa ab eo de nobis petere & discere.* (2) *Angeli ad nos missi sciunt distincte res nostras. Tob. 12. 12. 15. Zach. 1. 12. Dan. 10. 12. Matth. 18. 10. Cur non referant aliis?* Haec ille.

Jeremias, patriarcha constantinopol. in Censura, cap. 21. *Neqve aut Petrus aut Paulus ipse exaudit eorum quemquam, qui illum invocant, sed* gratia & donum, *quod habent, juxta illud p omissum:* Ego vobiscum sum *usqve ad consummatio-*

* Tacitam conditionem] Vide supra pag. 285.

nem seculi. Nnqve mirum est, ita sentire Ecclesiam orientalem, qvum sanctos ante diem judicii Deum clare videre neget. Archiep. spalat. de Rep. eccles. lib 7. cap. 12. n. 11. *Sanctorum animas beatitudine sua inchoata cum Christo frui in cœlis, licet nondum ante resurrectionem perfecta, posui.* In atriis eas esse, non in regiis cubiculis, *dixerunt aliqvi viri sancti orthodoxi scriptores: ac proinde, meo qvidem judicio, nondum aptae sunt ad perfecte nostra curanda; qvantum tamen earum status fert, & inchoata illa reqvirit beatitudo,* (ac multo plus, si jam perfecta fruuntur gloria intra regia cubicula, qvod multi censent, & ego id eis ut probabile relinqvo) *illas apud Deum pro nobis mortalibus, etiam in particulari intercedere, videtur Ecclesiae catholicae id perpetuo fuisse certissimum.* Audacter sane hoc dictum, ut ex ante dictis liqvidissime patet, nisi dextre accipiatur. Et n. 27. affirmat, *sanctorum animas cognoscere nostras preces, atqve hoc dogma certum esse, licet* qvomodo *& angeli & sanctorum animae cognoscant nostra, & nostras audiant preces, praesertim corde solo fusas, nobis ignotum sit.* Ibidem tamen ex Cassandri epist. 19. ad margi. nem citata subjungit: *Optime sane Hugo de S. Victore putat,* non ideo inanes fore nostras preces, qvibus sanctos ad orandum pro nobis invocamus, etiamsi concedamus, eas voces postulantium non audire. *Nam neqve hoc dubium, audiant, nec ne, impedire potuit Gregorium nazianzenum, ne invocaret sororem suam Gorgoniam defunctam. Proinde inqvit:* Si qvid, &c. *Videtur itaqve*

itaqve in his sanctorum invocationibus saltem tacita *adesse* conditio *talis, qvalem expressit Gregorius, & invocatio haec* magis est voti & desiderii, *qvam allocutionis.* Haec ille ; sed qvae male cohaerere videntur. Ita saepe illi, licet alias viro doctissimo, & controversiarum hodiernarum intelligentissimo, in suis libris accidit, ut, dum in diversa animus raperetur, & utriqve parti gratificari impensissime studeret, haud pauca non satis attente & considerate scriberet. In opere tam longo, laborioso ac invidioso, nihil mirum, bonum qvandoqve dormitasse Homerum.

De *modo* autem, *qvo sancti preces nostras omnes* intelligunt, qvantopere dubitent Romanenses ipsi, an scilicet a principio beatitudinis suae videant omnia, qvae a nobis geruntur, *in speculo divinitatis*, ut inepte appellant, sive in intuitu divinae essentiae; an *ab ipso Deo revelentur* orationes nostrae illis, qvos invocamus, eo ipso momento, qvo oramus; an *per angelos*, qvi nunc ascendunt in cœlos, nunc inde ad nos descendunt, cognoscant; an *per animas sanctorum de corporibus in cœlum migrantes*; an deniqve *aliqva alia ratione* nobis incomperta, neminem latet, qvi ipsorum scripta legit. Videantur * Bellarminus & caeteri ejus gregales atqve etiam Protestantes. Pag. 288.) Aliqvid probabile certe afferri potest, qvomodo qvaedam qvae hic geruntur, ea scilicet, qvae Deus illis nota vult, intelligere

* Bellarminus.] Lib. 1. de Sanct. beatitud. c. 20. sect. *De modo autem*, p. 299.

possint, sed nihil certi. Det Dominus pro immensa sua gratia, ut ad sobrietatem sapiant omnes christianae pietatis cultores, praesertim in iis, qvae non sunt clare in scripturis revelata, nec curiosas & inutiles consectentur aut scrutentur qvaestiones. Atqve haec de angelorum & sanctorum interceſſione sufficiant.

Pag. 289.

Pars altera in qva *De Angelorum & Sanctorum* Invocatione agitur.

CAP. I.

In qvo angelorum & sanctorum invocationem, variis ipsorum Romanensium testimoniis, non esse simpliciter necessariam, ostenditur.

Videri

Videri possent Patres concilii tridentini necessitatem invocandi sanctos astruere, qvando sess. 25. * c. 2. decernunt, *impie illos sentire, qvi negant, sanctos invocandos esse*; verba enim haec postrema, ambiguum, ut constat, habent sensum. Sed qvum ibidem statuant tantum, *bonum & utile esse suppliciter illos invocare*, nos judicium charitatis secuti, hanc invocationem illis non simpliciter necessariam visam esse existimamus.

Bellarminus etiam, cum titulum hunc praefixisset cap. 19. lib. 1. de Sanctorum beatit. *Sanctos esse invocandos*, & qvamvis aperte etiam necessitatem istiusmodi invocationis asserere videri possit cap. 25. ejusdem libri, cum ad commune Protestantium argumentum, (Pag. 290.) qvod invocatio sanctorum nullum habeat scripturae mandatum, respondet, *nullum certe mandatum reqviri, qvando ipsa nos impellit necesitas*, hanc tamen solum thesin subjungere contentus fuit cap. 19. *Sancti sive angeli, sive homines, pie atqve utiliter a viventibus invocantur.* Et cap. 10. respondens ad locum Ambrosii, sive alicujus alterius potius in 1. ad Rom. sic inqvit: *Qvod in fine addit*, ad Deum promerendum non esse opus suffragatore, *intelligitur ex parte Dei: tamen* ex parte nostri opus esse suffragatoribus, *vel saltem* id esse utilissimum, *idem Ambrosius clarissi-*

* Cap. 2.] Vel potius decreto de Invocatione & veneratione & reliqviis Sanctorum, pag. 507. edit. colon. A. 1672.

rissime docet. Jo. Faber, episc. viennensis, contra Oecolampad. de Intercessione Sanctorum, pag. 169. scribit: *Contendit Oecolampadius*, in meis scriptis me praecepisse, ut sancti invocentur. *Quod ego in me confictum assero, & qui legent accuratius, ita esse comperient: non enim praecepi, sed nos hoc* posse facere *affirmavi: nec enim me latet, quot Mosis tabula praecepta complectatur.* Suarez in Defensione fidei catholicae adversus anglicanae sectae errores, lib. 2. cap. 9. *In hoc puncto* (de invocatione sanctorum loqvitur) *necessarium est*, opus a fide, & usum a judicio secernere. *Nam licet alicui satis fortasse possit esse ad salutem, Deum per J. Christum invocare, etiamsi sanctos non invocet; non tamen sola per Christum invocatio satis erit ad salutem*, si de sanctorum invocatione male sentiat vel judicet, *qvia per hoc judicium pertinax haereticus constituitur. Deinde, quamvis homini de fide invocationis sanctorum recte sentienti, usus talis invocationis possit non esse impositus sub praecepti necessitate, & ideo satis illi esse possit, Deum per Christum invocare: multis vero, qvibus necessitas invocandi sanctos ex officio & debito ac praecepto incumbit, non satis est, Deum per Christum invocare, nisi sanctos invocando obligationi suae ac praecepto sibi impositio satisfaciant, &c.* Nicol. Serarius de Litaniis lib. 2. qvaest. 25. *An catholico cuilibet necessarium sit, sanctos invocare? Audire*, inqvit, *licet tam catholicos qvam haereticos, qvi hoc interdum scisciteutur, & iis breviter & clare, isto fere modo respondendum.* 1. *Catholico neces-*

necessarium est credere, rectam & christianae pietati consentaneam esse sanctorum invocationem ; partim qvia tota illa docet catholica Ecclesia , partim qvia & facit. Pag. 291.) 2. Cum publicis interest catholicus qvispiam precibus, *sive in liturgia, sive in litania , sive in similibus aliis , & cum publicas precari preces debet, verbi causa, si ordini sacro initiatus sit, beneficium habeat ecclesiasticum , vel alia qvacunqve de causa , tenetur is sanctos invocare, qvia vel suam precibus publicis, si qvidem earum velit esse particeps, mentem ac voluntatem conjungere, vel eas etiam totas ac integras probare ac orare debet.* 3. Cum privatim orat qvis, *sive domi hoc agat , sive in templo , ut publicanus ille Luc. 18. 13. aut alibi, nulli ulla catholico lex aut necessitas , ut sanctos invocet ; sed solum, nullo sanctorum adhibito precatore, affari & invocare Deum potest.* 4. Si qvis omnibus necessario invocandos sanctos *pertinaciter doceret , non aliter haereseos damnaretur, qvam qvi res alioqvi bonas , sed adiaphoras, omnibus ad salutem necessarias contenderet.*

Cardin. Perronius in ep. ad seren. M. Brit. Regem, Jacobum VI. distinguit in hac re atqve id genus aliis , *inter necessitatem actionis & necessitatem approbationis.* Vide resp. Casaub. pag. 30. & Liturgiam ecclesiae anglicanae improbat, qvia invocationem sanctorum , qvi in cœlis sunt, damnat. p. 46. Immo episcopus wintoniensis, vir gravissimus, in sua Responsione ad cap. 10. lib. 5. Replicationis cardinalis Perronii , inter opuscula posthuma pag. 57. refert, saepe si-

bi a Cl. Is. Casaubono narratum, qvod sibi cum cardinale de invocatione sanctorum dissertanti, cardinalis libere fassus fuerit, *nunqvam tota sua vita se qvenqvam sanctorum orasse, nisi cum forte processionem seqvi contingeret; tunc qvidem cum clericis cantasse*, ora pro nobis, *sed non alias*. Georg. Cassander in Consult. art. 21. pag. 986. *Haec, qvae de interpellatione sanctorum dicuntur*, non eo pertinent, ut simpliciter horum interpellatio ad salutem necessaria putetur; (*notum est enim illud Chrysostomi Homil. de Profectu evangel.* Caeterum non opus tibi patronis apud Deum, sed, licet solus sis, patronoqve careas, omnino tamen voti compos eris) *sed ut ne temere universam Christi Ecclesiam damnemus, qvia hujusmodi interpellatione tam regnantium, qvam peregrinantium sanctorum utilem esse Ecclesia judicavit: item, ut nec superbe hujusmodi sanctorum preces rejiciamus & aspernemur.* Pag. 292.) Pontificius ille anglus anonymus F. T. qvi contra responsionem episcopi eliensis, ad cardin. Bellarmini Apologiam anglice scripsit, c. 7. n. 29. fatetur, *sanctorum invocationem ad salutem non esse necessariam*. Videatur episcopi Defensio per Collinum pag. 276.

Bonum est, qvandoqve rogare sanctos, inqvit Jo. Barnesius in suo Catholico-romano pacifico, sect. 10. de Intercessione Sanctorum, *ut Deum orent pro nobis ex affectu humanitatis, qvo ipsi in nos feruntur*. Non igitur simpliciter necessarium est. Archiep. spalat. in Ostensione errorum Fr. Suarezii cap. 2. n. 20. *Invocationem Sanctorum*

ctorum non esse ad salutem necessariam (*quod lubens lego & amplector*) *concedit Suarez, & sufficere, si fideles ad Christum solum mediatorem confugiant. An vero articulus fidei sit*, licite & utiliter posse sanctos invocari, *ita ut haeresis sit id negare, disputo lib. 7 suo loco, & ostendo, hunc nullo modo posse esse articulum fidei: sed si sermo sit de invocatione religiosa, esse ethnicismum, Dei proprium honorem in creaturam transferentem. Si vero invocatio sit pure humana, eam esse tolerabilem, sed periculosam.* Haec ille.

CAPUT II.

In quo eorum invocationem religiosam, aut orationem ad eos proprie loquendo, illicitam esse demonstratur.

INvocationem angelorum & sanctorum plurimi Romanenses actum esse religionis, seu religiosi cultus, vel duliae religiosae, & orationem ad eos *religiosam* esse, affirmare haud verentur. Bellarm. lib. 1. de Sanct. beatit c. 12. *eximium adorationis genus* appellat. Pag. 293.) *Sanctos non solum honoramus eo cultu*, (inqvit Jo. Azor. Inst. moral. lib. 9. cap. 10.) *qvo viros virtute, sapientia, potentia aut qvalibet alia dignitate praestantes*, sed etiam divino cultu & honore, qvi est religionis actus. *Nam ille cultus, qvi viris primariis defertur, non est religionis, sed alterius*

longe

longe inferioris virtutis, qvae obſervantia *vocatur, actus & officium. Sed divinos cultus & honores Sanctis non damus propter ipſos ; ſed* propter Deum, *qvi eos ſanctos efficit.* Nicol. Serarius de Litaniis lib. 2. qvaeſt. 27. hac ipſa de re verba faciens: *Qvid,* inqvit, *ſi & una religionis virtus ſit, qvae latriam duliamqve contineat? Certe plurimis atqve ſapientiſſimis ea eſt opinio.*

Ad orationem tamen religioſam, qvocunqve inſigniatur nomine, ſive latriae, ſivae duliae, ſoli Deo deberi, pariter & omnes illius actus atqve officia, clariſſime docent tam ſcripturae qvam Patres, qvemadmodum Proteſtantes copioſe demonſtrarunt. Et ſcripturae qvidem cum alibi, tum Pſal. 50. 15. & Pſal. 65. 3. Rom. 10. 14. Ad locum hunc Rom. 10. Bellarminus lib. ſaepe citato cap. 20. card. Perron. Replicat. lib. 5. cap. 20. pag. 149. aliiqve etiam Romanenſes abſurdiſſime reſpondent, *non poſſe qvenqvam ſanctos invocare, ut ſanctos & amicos Dei, qvi ſuo modo in eos non credit, id eſt, non credit eſſe ſanctos, nec in eis ſperat, ut in patronis, nec eos, ut tales, diligit:* allato ad hoc probandum illo ad Philem. verſ. 5. *Audiens tuam charitatem & fidem, qvam habes in dominum Jeſum, & in omnes ſanctos.* Nova certe eſt haec theologia, & veteribus plane incognita, qvi *credendum in Deum* ſemper dixere, nec in qvenqvam praeterea, * *hoc ſenſu.* Gregorius nazianz. orat. 37. Ruffinus in Symbolum inter ope-

* *Hoc ſenſu.*] Vide Bellarmini expoſitionem lib. 1. de Beatitud. ſanct. c. 20. & autoris noſtri pag. 289.

opera Cypriani, Augustini, sive qvis est alius tom. 10. operum Augustini, serm. 131. *Sciendum est, qvod* ecclesiam credere, *non tamen* in ecclesiam credere *debeamus: qvia ecclesia non est Deus, sed domus Dei est.* Pag. 294.) *Credere in aliqvem*, inqvit Estius in locum ad Philem. citatum, *ecclesiastica phrasi e scripturis desumta, professio divinitatis est. Vnde & Christus, qvando dixit* Joh. 14. 1. Creditis in Deum: & in me credite, *Deum se esse significavit. Qvanqvam Hieronymus super locum sine scrupulo concedit, adeoqve affirmat, etiam in sanctos credendum esse: sed hoc sensu, qvia qvi credit in Deum, consequenter omnia credit, qvae de sanctis Deo autore tradita sunt in scripturis. Qvin & apud veteres hic sermo legitur*, credere in sanctam ecclesiam. Sed nota, lector, haud alio sensu, qvam qvo dicunt alii fere omnes, *credo sanctam ecclesiam. Sed nobis*, inqvit porro Estius, *admodum probatur Theodoreti distinctio, qva singula reddantur singulis, ita qvidem, ut* fides ad dominum Christum referatur, charitas ad omnes sanctos. *Sicut Coloss. 1. 4. legitur:* Audientes fidem vestram in C. J. & dilectionem, qvam habetis in sanctos omnes, *i. e. christianos egenos & afflictos.* Alias ineptas, qvae a Romanensibus adhibentur ad hunc & consimiles locos responsiones silentio praetereo. Legantur Protestantium hac de re disputationes.

Patres orationem semper definiunt per relationem directam & expressam ad Deum, & ad nullum alium. Videantur qvinqve illae orationis defi-

definitiones, qvas Bellarm. lib. 1. de Bonis operibus in particulari, qvi est de oratione, cap. 1. ex patribus, Basilio, Gregorio nysseno, Chrysostomo, & Johanne damasc. collegit. Innumeris Patrum testimoniis probari posset, Deum solum oratione sive invocatione religiosa colendum & adorandum esse. Sed qvia luculentissime id ab aliis demonstratum est, nos hoc labore supersedebimus. Videantur tamen hi Patres: Tertull. de oratione cap. 1. & cap. 9. & Apologet. cap. 30. Irenaeus lib. 1. cap. 23. & cap. 35. lib. 2. 17. Orig. contra Celsum lib. 5. & 8. Athanas. orat. 4. contra Arrianos: *Nunqvam qvispiam precaretur aliqvid accipere a Patre & angelis, aut ullis rebus creatis.* Ambros. de obitu Theodosii: *Sed tamen, tu solus, Domine, invocandus es; tu rogandus, ut eum in filiis repraesentes.* de Interpellatione lib. 3. cap. 12. Chrysost. hom. 6. & 9. in ep. ad Coloss. & hom. in 1. Cor. 1. 2. Basil. in psal. 5. 3. *Oratio siqvidem non ad hominem, sed ad Deum solum dirigitur.* S. Ephrem tom. 1. qvi germanus est illius fœtus, Deum sic affatur: *Elécha, vvesavvecha lam etlab,* (ut habent verba in libello Moronitarum Romae impr. 1584. lingua qvidem arabica, sed characteribus syriacis) id est, *Ad te, & non nisi ad te, facio orationem.* Augustin. tract. 23. in evang. Joannis: *Haec est religio christiana, ut non colatur, nisi unus Deus, qvia non facit animam beatam, nisi unus Deus.* & lib. 22. contra Faustum: Pag. 295) *Colimus martyres cultu dilectionis & societatis, quo & in hac*

hac vita coluntur homines sancti. & de Vera relig. cap. 55. *Honorandi sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem; charitate, non servitute honoramus eos.* Hieron. epist. ad Riparium adverſ. Vigilant. Chryſoſt. libris 2. de orando Deo Concil. Laodic. can. 35. *Non oportet christianos ecclesiam Dei relinquere, & abire, καὶ ἀγγέλους ὀνομάζειν atque angelos nominare,* (pro angelis admodum inepte & abſurde qvidam Romanenſes vel in textu legunt, vel ad marginem annotant, *angelos forte legendum, aut legi posse,* ut Caranza, Joverius, Crabbe, Surius, Binius, Henricus Caniſius, & alii) *& congregationes facere, quae omnia interdicta sunt. Si quis igitur inventus fuerit ταύτῃ τῇ κεκρυμμένῃ εἰδωλολατρείᾳ σχολάζων huic occultae idololatriae serviens, sit anathema, qvia dereliquit D. N. J. C. filium Dei, & se idololatriae tradidit.* Theodoret. in Coloſſ. 2. *Qui legem defendebant, eos etiam ad angelos colendos inducebant, dicentes, fuisse legem per eos datam. Mansit autem diu hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Quocirca Synodus quoque, quae convenit Laodiceae, quae est Phrygiae metropolis, lege prohibuit, ne precarentur angelos. Et in hodiernum usque diem licet videre apud illos, & eorum finitimos, oratoria sancti Michaëlis. Illi ergo hoc consulebant utique humilitate utentes, & dicentes, universorum Deum nec cerni nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri, & oportere se per angelos divinam sibi benevolentiam conciliare. Hoc autem*

autem dixit in humilitate & cultu angelorum. Et in cap. 3. Coloss. *Quoniam enim illi angelos jubebant adorare, ipse contrarium praecipit, ut & dicta & facta exornent recordatione Christi Domini.* Pag. 296.) *Et Deo*, inqvit, *& patri gratiarum actionem emittite per ipsum, non per angelos. Hanc etiam legem sequens laodicena Synodus, & volens veteri illi morbo mederi, lege cavit, ne precarentur angelos, & ne relinqverent D. N. J. C.* Ad haec loca Concilii laod. & Theodoreti Bellarminus, Perronius aliiqve Romanenses multa respondere solent, qvae ab aliis abunde confutata sunt. Sed hoc inprimis, qvod haeretici illi, de qvibus Paulus ad Coloss. Synodus laodicena, & Theodoretus loqvuntur, docuerint, *neminem posse per Christum ad Deum accedere, sed per angelos, illosqve idcirco excluso Christo religiose colendos esse.* Et citant Chrysost. hom. 7. in Coloss. sed nec Synodus, nec Theodoretus illis haereticis tribuit, qvod disertis & expressis verbis Christum mediatorem exclusserint aut rejecerint, sed cultum illum religiosum, qvo precum sacrificiis (qvando enim angelis, ut diis, proprie sacrificandum esse, docuisse illos, Bellarminus & Perronius affirmant, ineptiunt) angelos colendos esse docuerunt, pro Christi exclusione sive derelictione habent, immo, ut occultum qvoddam idololatriae genus, damnant. Chrysost. autem eo loco, qvem citant, affirmat, ideo dixisse haereticos illos, Non oportere per Christum accedere, sed per angelos, ἐκεῖνο γὰρ μεῖζον ἐστιν, ἢ καθ' ἡμᾶς,

ἡμᾶς, prae humilitate id dixisse, fortasse non vera, sed in speciem tamen apparente: *majus enim id esse, quam ut nobis conveniat*, recta scilicet adire Christum, & sine angelorum interventu; *indignum id esse majestate & amplitudine unigeniti*, quod per ipsum adduceremur ad Patrem; *humanae tenuitati commodius esse*, ut angeli nostrae adductioni inserviant. Inde autem factum, ut per totum caput illud, sursum apostolus & deorsum, quae de Christo, versaret, sanguinem crucis, passionem, dilectionem, quo vitiosam illam humilitatem excuteret, & ad Christum ἀμέσως vel sine angelis perveniri posse, indicaret: ut recte respondet episc. elienſis in resp. ad card. Bellarmini Apologiam cap. 8. p. 180. 181.

Immo quidam etiam ex Romanensibus ipsis, qui de invocatione sanctorum, praesentis Ecclesiae romanae doctrinam & praxin acerrime defendunt, adorationem & cultum, qui sanctis exhibetur, cujus illorum invocationem partem praecipuam constituunt, vi veritatis coacti concedunt, *non esse opus religionis*, ut quae circa cultum solius Dei versetur, sed peculiaris virtutis a religione distinctae, nempe *singularis observantiae.* Pag. 297.) D. Thomas 2. 2. qv. 81. art. 1. ait: *Religio importat ordinem ad Deum.* & art. 8. *Religio est virtus, exhibens Deo famulatum in iis, quae specialiter pertinent ad Deum.* Vasq in 3. D. Thomae tom. 1. disp. 98. cap. 1. *Cum religio circa cultum Dei solum versetur, cultus & honor, qui*

proxime sanctis defertur, ad ipsum non poterit referri; alioquin, si esset actus religionis, latria *quoque diceretur. Latria enim & religio idem sunt.* Suarez. de Orat lib. 2. cap. 10. n. 8. docet, *orationem, quam ad sanctos fundimus, non esse actum a virtute religionis elicitum, per se loquendo sed* a virtute duliae, qvam esse distinctam a religione, *supra ostensum est.* Greg. de Valentia lib. 3. de Idololatria cap. 7. *Cultus sanctorum, sicut neque aliorum hominum, proprie non est cultus religionis erga Deum, sed alterius definitae virtutis, re ipsa a religione distinctae, nempe singularis observantiae.* Vnde & Aqvinas expresse 2. 2. qv. 83. art. 4. ad 1. *Illi soli impendimus orando religionis cultum, a quo quaerimus obtinere, quod oramus, quia in hoc protestamur, eum bonorum nostrorum autorem; non autem eis, quos requirimus quasi interpellatores nostros apud Deum.* Vide etiam hic Adamum Conzen in Matth. 6. 9. qv. 2. *Nulla creatura,* inqvit, *invocanda est oratione religiosa, sed alia rogari potest, sive vivat in hoc seculo, sive cum Deo in cœlis conjuncta, per eum nostras necessitates agnoscat.*

Sed hisce missis, veniamus ad theologos moderatiores. Georg. Cassander in Defensione libri de officio pii viri p. 849. *Veteres, adducti scripturae testimoniis & exemplis, qvibus manifestum est: preces justorum hominum pro aliis susceptas plurimum apud Deum valere, ad haec certo persuasi, homines non extingui morte, sed Christo conjunctos beatam vitam agere, eorum qvoqve precibus in cœlo regnantium, se in hac vita peregrinantes juvari magno-*

gnopere optarunt ac postularunt, ut precibus illorum, qvos plurimum apud Deum valere credebant, nostris qvoqve precibus adjunctis, facilius a Deo patre, per unicum mediatorem & propitiatorem Christum, qvod vellent, impetrarent. *Neqve per hoc puram & legitimam Dei invocationem ullo modo corrumpi censebant; non sane magis, qvam cum in hac vita fratres obsecramus, ut nos precibus suis apud Deum laborantes adjuvent.* Pag. 298.) Hoc autem vel ipsi Scholastici viderunt, in qvibus Alexander Halensis qv. 92. membro 1. art. 4. disputans de eo, qvis sit orandus, *solum Deum simpliciter adorandum & invocandum* asserit; *ut a qvo solo sit omne bonum: sanctos vero magis se habere, ex parte orantium*, qvasi coadjuvantes, *qvam illius, qvi oratur. Haec*, inqvit, *nemo sanus, impietatis damnare poterit.* Vide & ejusdem Consult. art. 21. ubi p. 965. eadem legere est.

Jo. Barnesius * loco supra citato ait: *Invocatio sanctorum non est actus religionis, aut oratio*, theologice loqvendo, (qvod in Paralipom. adductis variis Patrum & qvibusdam Romanensium ipsorum testimoniis probat) *magis, qvam cum oramus viros justos hic viventes, qvos sanctos reputamus, ut sint nobiscum & pro nobis apud Deum comprecatores.* Atqve hic sententiam Cassandri modo allegatam laudat. Et rursus: *Proprie ergo loqvendo* non oramus aut invocamus sanctos religioso cultu, (*qvi soli Deo debetur*) *sed qvadam*

* Loco supra citato] Pag. 285.

humanitate eos monemus & rogamus, ut Deum pro nobis vellent religioso cultu interpellare.

Jeremias, patriarcha constantinop. in Censura de praecipuis, &c. cap. 21. *Nos dicimus*, ait, *invocationem quidem vere & proprie soli Deo convenire, illique primo & propriissime deberi*, eam *autem*, qvae sanctorum est, *invocationem* non proprie dici, sed ex accidenti, ut ita dicam, qvodammodo, & ex gratia & privilegio qvodam. *Neque enim aut Petrus aut Paulus ipse exaudit eorum qvenqvam, qvi illum invocant, sed gratia & donum, qvod habent, juxta illud promissum:* Ego vobiscum sum, usqve ad consummationem seculi. Hanc orientalis Ecclesiae sententiam approbat anonymus ille theologus A. J. C. gallus, in suo erudito ad concordiam inter christianos conciliandam tractatu, de Catholicis traditionibus, qv. 40. 205. 206. versionis anglicanae.

Archiepisc. spalat.* in Ostensione errorum Fr. Suarez cap. 2. n. 20. *Si sermo sit* de invocatione sanctorum religiosa, *est ethnicismus, Dei proprium honorem in creaturam transferens. Si vero invocatio sit* pure humana, *ea est tolerabilis, sed periculosa.* Et de Rep. eccles. l. 7. c. 12. n. 27. *Si sanctorum invocatio fiat* cum religioso cultu, *omnino sequitur*, injuriam fieri Deo; Pag. 299.) *qui tamen sciunt, & non negant, fideli patere aditum etiam immediatum ad Deum orandum, & sanctorum solum postulant patrocinium, eosque secum conantur habere comprecatores, idque ab eis postulant solo*

* In Ostensione] Post librum VI. de Rep. eccles.

solo humano, non religioso cultu, neqve se interim suaqve religioso cultu sanctis subjiciunt, ii profecto injuriam Deo nullam faciunt.

Ex dictis liqvido apparet, qvam inanes & frivolae sint distinctiones illae a card. Perronio in sua Replic. de sanctorum invocatione differente nuper excogitatae, ut clarissimae luci tenebras offunderet: Deo soli convenire *orationem directam, absolutam, summam sive supremam ac finalem & sacrificalem*; angelis autem & sanctis orationem tantum * *obliqvam sive indirectam, relativam, subalternam, transitivam, extrasacrificalem*, ut ita cum illo loqvamur. Honor enim & cultus religiosae invocationis, sive orationis *proprie sic dictae*, nulla ratione vili convenit creaturae, sed soli Deo, nam ille solus scit omnes cogitationes humanas, semperqve gemitus veros a simulatis potest discernere, omnipotens est, & omnipraesens, &c. in qvem deniqve fiducia cordis collocari possit.

Humanam autem Christi naturam, secundum qvam duntaxat proprie mediator noster est, hic semper exceptam volumus, tum qvia λόγῳ, secundae personae deitatis, unita est, tum qvia ad supremum gloriae gradum, supra omnes scilicet alias creaturas, a Deo Patre est evecta. Faceſſat hinc *Vbiqvitariorum*, uti appellantur, deliramentum; sed, qvod scripturae apertissime docent, non est idcirco negandum.

* Obliqvam sive indirectam.] Vide p. 300. 318.

CAP. III.

In qvo solam invocationem sive compellationem angelorum & sanctorum, ut una nobiscum, & pro nobis Deum orent, nec ut illicitam, neqve etiam ut inutilem, damnandam esse probatur.

NUdam angelorum & sanctorum compellationem, qva moneantur & invitentur, ut nobiscum, & pró nobis Deum orent, Pag. 300.) qvomodo a piis hic viventibus petimus, ut pro nobis apud Deum intercedant, suas preces nostris conjungant, iisdemq; nostram salutem sedulo commendent, cum Protestantibus iis, qvi paulo cautius & distinctius aliis, in hoc argumento loqvi amant, *advocationem* potius, qvam invocationem (*a calling unto, rather then a calling upon*) appellamus. Invocationis enim vocabulum, ut de sanctis usurpetur, Protestantium aures communiter vix ferre possunt; qvia *invocare Deum* proprie est religioso cordis affectu eum in se in auxilium, immo in cor suum vocare, ut Hieron. vel potius Beda in Proverb. lib. 1 cap. 2. & Augustinus lib. 1. Confess. cap. 2. testantur. Id qvod de sanctis dici neqvit; qvia verbum *invocandi* nuspiam in scripturis pro viventium compellatione accipitur, nisi forte qvis huc referat illud Esaiae 34. 12. *Regem potius invocabant*, juxta versionem

nem vulgatam; & illud Ose. 7. 11. *Ægyptum invocabant.* Advocationem appellare malunt R. Montacutius in suo tractat. de Invocatione sanctorum passim, J. Vsserius, archiep. armach. contra jesuit. hibern. de hac controversia plurimis in locis, R. Crakanth. in Defens. eccles. anglic. cap. 58. p. 370. ut alios omittam. Alioqvin in significatione vocis lata nihil vetat *invocationem* appellare.

Nullum extare scripturae mandatum, vel etiam idoneum & formale exemplum hujusce vel ullius omnino angelorum & sanctorum, atqve horum imprimis, advocationis seu compellationis, plurimi Romanensium ingenue fatentur. Eccius in Enchiridio cap. 15. sub fin. *Explicite non est praecepta sanctorum invocatio in sacris literis. Non in V. T. ubi populus alioqvin erat propensus in idololatriam, & Patres erant in limbo nondum beati (clara scilicet Dei visione)* * *Esa. 63.* Abraham nescivit nos. *Sub evangelio etiam non fuit praecepta, ne gentiles conversi crederent, se iterum induci ad cultum terrigenarum, ac pro veteri more sanctos, non ut patronos, sed ut deos adorarent, sicut Lycaonienses Paulo & Barnabae sacrificare volebant. Porro si apostoli & evangelistae docuissent sanctos venerandos, arrogantiae datum eis fuisset, ac si ipsi post mortem gloriam illam qvaererent. Noluit ergo Spiritus S. expresis scripturis docere venerationem sanctorum, sed ejusmodi firmatos in fide docuit per miracula & sanctorum auxilia, fusis ad eos precibus, illos vene-*

* Esa 63, 16.] Vel cap. 64. 2.

randos. Similiter Alanus Copus Dial. 3. *Nec desunt causae,* Pag. 301.) *cur scripturae disertam mentionem hujus invocationis non faciant.* Canisius in Cathech. fol. 230. *sanctorum invocationem non constare ex scripturis* fatetur.

Tannerus jesuita in Compend. relat. colloq. ratisb. p. 37. *Fateantur ipsi* (Lutherani,) *quaeso, si lubet, multa fide infallibili & divina esse credenda, quae in scriptura sola non contineantur, nec ex ea sola evidenter deducantur, & tunc nihil cum illis amplius magnopere contendemus: fateantur, inquam,* purgatorium, *fateantur* invocationem sanctorum, cultum imaginum, transsubstantiationem in eucharistia, *& similia multa, quae Catholici credunt, aut observant.* Censura Colon. p. 230. concedit, *scripturam nusquam aperte docere sanctorum invocationem, seu implorare ab illis auxilium, nihilominus tamen esse credendam & recipiendam* contendit. Salmero in 1. Tim. 2. disp. 8. *Dicendum est, ideo non fuisse morem in V. T. adeundi sanctos intercessores, quia nondum erant beati & glorificati, ut modo sunt; ideo non debebatur illis tantus honos, quantus est iste. Erat olim periculum idololatriae, unde etiam sublatus fuit imaginum usus. Ad alterum vero, quod* non sit in N. T. expressum, *dicendum est, quod abunde id expressum fuerit, si non scripto, saltem* traditione viva & consuetudine, *quae vim legis habet, & durum esset, id judaeis praecipere, & occasio daretur gentibus putandi, sibi exhibitos multos deos pro multitudine deorum, quos relinquebant. Et hoc, quantum ad scripturas. Nam quantum ad verbo &*

bo & ore traditam doctrinam, non est dubium, quin ecclesiis apostoli eam tradiderint. Videatur etiam Peresius de Traditionibus. Tertia parte de Cultu sanctorum fol. 140. *Et quod* ante Cornelium martyrem, inqvit, nulla extet mentio (*quod ego viderim*) *invocationis & intercessionis sanctorum, in causa forte fuit modestia & humilitas apostolica. Quid enim dicerent, qvi eos haec docentes audirent, nisi qvod de se magna praesumerent, & se qvasi deos facerent? Cum ergo toti intenti essent praedicationi & divulgationi evangelii, & aliarum rerum, qvae magis ad substantiam salutis attinebant, & captum etiam hominum excedebant, expectabant circa haec apertam Dei voluntatem, frequentia miraculorum non multo post declaratam.* Pag. 302.) Card. Perron. in Replic. contra M. Brit. Regem l. 5. p. 981. ingenue fatetur, *de invocatione sanctorum nullum neqve praeceptum, neqve etiam exemplum illius formale in S. scripturis inveniri.* Vide Molinaei Resp. lib. 7. c. 6. Bellarm. ipse de Sanct. beatit. lib. 1. cap. 19. sect. *Item Exod. 32. Notandum est*, inqvit, *qvia ante Christi adventum sancti, qvi moriebantur, non intrabant in cœlum, nec Deum videbant, nec cognoscere poterant ordinarie preces supplicantium, ideo non fuisse consvetum in T. V. ut diceretur*, Sancte Abraham, ora pro me. Idem etiam legere est c. 20. sect. *Sed dices.* & apud Suarezium in 3. part. Thomae tom. 2. disp. 42. sect. 1. Qva conscientia igitur Bellarmiuus cum aliis Romanensibus *e V. T. libris* invocationem sanctorum probare nititur, immo exempla illius plurima *in utroqve*

testamento extare, cap. 20. haud veretur affirmare? Certe nullus omnino scripturarum vel V. vel N. T. locus a Romanensibus pro invocatione sanctorum adduci solet, qvem non veteres pleriqve omnes, & ex Romanensibus ipsis aliqvi doctissimorum rectius interpretentur. De singulis locis vide Vossium, Mornaeum, Chemnitium, Chamierum, aliosqve Protestantes.

Duo autem sunt scripturae loca, qvae angelorum advocationi sive compellationi haud parum favere videri possint, de qvibus propterea nonnihil nobis dicendum. Gen. 48. 16. *Angelus*, inqvit Jacobus, *qvi eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Hic aperte, ait Bellarm. cap. 19. sect. *Sequitur qvinta*, sanctus Jacob angelum invocavit. Respondent Protestantes, intelligendum hunc locum non de angelo finito & creato, sed de Christo, *angelo magni consilii*, qvem LXX. interpretes legunt Esa. 9. 6. sive angelo fœderis, ut appellatur Mal. 3. 1. atq; ita intellexisse Novatianum de Trinitate cap. 15. Athanas. contra Arianos orat. 4. Cyrill. alex. Thesauri lib. 3. cap. 1. Chrysost. in Gen. cap. 48. hom 66. Procopium gazaeum in Gen. 48. aliosqve nonnullos Patres. Sed qvia alii cum veteres tum recentiores Protestantes, *angelum creatum* hic loci intelligunt, ut Chrysost. sermone de Ascensione, Basil. lib. 3. contra Eunomium, qvi citant hunc locum, ut probent, angelis homines esse curae; Calvinus similiter Instit. lib. 1. cap. 14. §. 6. etsi

6. etsi in comment. in Genes. dicat, *necesse esse eo loco Christum intelligi*; item Musculus & Mercerus in Genesin, aliiqve, Pag. 303.) & qvidem recte; patet, nullam hic esse directam & formalem angeli invocationem seu compellationem, *angele Dei, benedic pueris istis*, sed duntaxat *vehemens desiderium*, qvo Jacob ita fieri cupiebat, *sive votum* & seriam praesidii angelici exoptationem: qvomodo August. lib. 7. de Baptismo cap. 1. *Adjuvet*, inqvit, *nos orationibus suis Cyprianus*, &, *donante Domino*, *qvantum possumus*, *bona ejus imitemur*. Et in Concil. Chalcedon. art. 11. acclamatum est a Patribus: *Flavianus* (qvi in ephesina secunda Synodo, λησταῖς dicta, caesus fuerat, cum Dioscoro se opponeret) *post mortem vivit*, *martyr pro nobis orat*. Qvi locus a Bellarm. & ab omnibus fere Romanensibus pro invocatione sanctorum tanqvam maxime illustris adfertur, cum tamen votum duntaxat sit, non formalis invocatio sive compellatio, qvae fere fit vocandi casu: *Ora, martyr, pro nobis*. Vide episc. eliensis Resp. ad Bellarmini Apol. cap. 1. pag. 38. 39. Qvam insolenter autem hic insultet Romanensibus aliisqꝫ etiam Crakanthorpius in Defens. eccles. anglic. cap. 59. pag. 383. dum haec verba, *martyr pro nobis oret*, longe aliter, qvam vel Romanenses, vel Protestantes caeteri omnes, (qvod qvidem sciam) intellexerunt, explicanda esse contendit, apud ipsummet videatur. *Expediam*, inqvit, *paucis, qvaenam verborum istorum mens sit, eoqve libentius, ut non fraudes solum tuorum hominum videas*

affa-

(affatur archiep. spalatinum) *sed & ineptias, & qvam vere infantuli sint in conciliorum & Patrum lectione, in qvibus ultra extremum corticem nil sapiunt.* Haec ille, non sine singulari jactantia & vanitate.

Immo G. Cassander, cum dubitaret, an sancti cognoscant & exaudiant singulorum eos interpellantium preces, ut supra ostendimus, illud in litaniis, *omnes sancti orate Deum pro me*, sic intelligendum esse censuit: *Vtinam omnes sancti Deum orent pro me! qvam velim, ut omnes sancti Deum orent pro me! Qvis autem*, inqvit porro, *cum Deum orat, non cupiat, omnes, qvotqvot in cœlo & terra sunt, pios preces suas una cum suis precibus conjungere?* In * schol. *ad* Hymnos eccles. pag. 242. Pag. 304.) Et archiepiscopus spalat. lib. 7. de Rep. eccl. cap. 12. n. 27. ait, *invocationem hanc magis esse voti & desiderii, qvam allocutionis.*

Alter locus est Apoc. 1. 4. *Gratia vobis & pax ab eo, qvi est, &c. & a septem spiritibus, qvi in conspectu throni ejus sunt.* Hunc locum pro invocatione angelorum vehementer urget Mart. Becanus disp. de Invocatione sanctorum, cum aliis nonnullis Romanensibus. Respondent Protestantes: *Septem spiritus* multos hic interpretari Spiritum sanctum septiformem, cujus septem dona numerantur, ut Primasium, Bedam, Ansbertum, Rupertum, Haymonem, Thomam, &c. alios, (qvod idem est) septem dona Spiritus sancti

* In schol. ad hymn. eccles.] Item in Epistolis, p. 1108.

sancti, ut Victorinum martyrem, & Joachimum abbatem: utroqve modo Anselmum. Consentit & Alcasar jesuita in locum: *Bona*, inqviens, *theologia non fert, ut gratia & pax evangelica ab angelis postuletur.* Sed dicunt alii, probabilius esse, hos septem spiritus esse angelos, qvi sunt in conspectu Dei, non ut aeqvales, sed ut ei ministrantes. Ita Aretas, Ribera, Basilius Vega, multiqve alii Romanenses. Inter Protestantes Beza in locum: *Dei majestati*, inqvit, *adjungit suos stipatores*, (hos septem spiritus) *non qvasi illos ulla in parte vel Deo exaeqvet, vel cum Christo conferat. Sicut etiam Paulus testes una citat* Deum, Christum & angelos. *1 Tim. 5. 21. Nam qvod septem hos spiritus* nonnulli pro spiritu sancto acceperunt, cujus septiformis sit (ut loqvuntur) gratia, manifeste refelli potest vel ex eo, qvod scribitur infra, c. 5. 6. Ac ne qvis hoc loco offendatur, qvasi ad istos spiritus aliqvid transferatur, qvod ad deitatem tantum pertineat, septem isti spiritus, ut ministri ante thronum collocantur: ergo etiam coram Christo, ut qvi Deo Patri assidet. *Denique ut nemo possit de hoc ambigere, iidem isti septem spiritus infra cap. 5. 6.* agni cornua & oculi (*i. e. ministri*) *dicuntur.* Haec ille.

Drusius praeteritorum lib. 10. ad illud Apoc. 1. 4. *Spiritus*, ait, vocari angelos, juxta illud, *Qvi facit angelos suos spiritus. Septem* autem angelos esse, qvi ministrant in conspectu throni ejus, docere nos historiam Tobiae. Hos aliis *archangelos*

los appellari. Pag. 305.) Vnde rursus (ut hoc obiter dicamus) patet, qvam infirmo argumento pugnent rigidiores Protestantes contra veritatem libri Tobiae propter septem angelos coram Domino astantes, qvorum ille meminit cap. 12. vers. 15. Vide Serar. in locum Tobiae pag. 107. &c. Juxta horum igitur sententiam, qvamvis Joannes iisdem verbis obliqvis, & a Deo, & a Christo, & a septem illis spiritibus gratiam & pacem postulet, qvod tamen ad Deum & Christum attinet, *invocatione religiosa* usus est; qvod vero ad septem spiritus, *votum & serium animi sui desiderium*, qvo ab illis, tanqvam spiritibus administratoriis, & in ejusmodi negotio curam nostri habentibus, gratiam & pacem optat, expressit. Votum igitur hic rursus cernere est; non formalem & directam invocationem seu compellationem angelorum.

Neqve tamen propterea haec angelorum & sanctorum compellatio, ut una nobiscum, & pro nobis Deum orent, *ut illicita* rejicienda est, licet nullum istius rei mandatum, nullum exemplum formale in scripturis inveniatur; ut Protestantes hodie communiter contendunt. * Episcopus elienſis, vir alioqvi doctissimus, in Responsione ad cardin. Bellarmini Apologiam cap. 1. pag. 37. eo usqve provehitur, ut affirmet, *licet*

* Episcopus elienſis.] *Lancelotus Andreas*, qvi primum fuit episcopus ciceſtrienſis, dein elienſis, & tandem wintonienſis.

* *licet sanctos, qvos compellamus, nos audire liqveret vel maxime ; a nobis tamen eos invocandos vel compellandos non esse, cum praeceptum ea de re nullum acceperimus ; praeceptum autem acceperimus in lege disertis verbis:* Qvod tibi praecepero, hoc tantum facias. *Deuteronom. 12. 32. Inde,* inqvit, *id tantum audemus facere, de qvo praeceptum habemus.* Et pag. 38. *Atqve ut praeceptum haud ullum, ita nec exemplum.* Vide etiam pag. 45. Audiatur R. Montacutius, praesul nunc anglicanus, contra J. C. Bulengerum Antidiatriba 1. p. 23. sic scribens: *Tu mihi proba, & demonstra, Bulengere, posse me certum esse de scientia sanctorum particulari, qvocunqve tandem modo acqvisita, (id enim tibi largior, neqve enim de matutina aut vespertina scientia litigabo vel sollicitus ero) ego certe, qvod ad me ipsum attinet, sanctos defunctos, beatam virginem* θεοτόκον, *sanctissimos apostolos, caeterosqve glorioſissimos martyres, Stephanum, & alios, de qvorum constat aeterna felicitate,*

Pag. 306. *non verebor adire, interpellare, alloqvi, supplicibus precibus deprecari, habeant me commendatum & adjutum suis intercessionibus apud Deum patrem, per J. Christum, generis humani* μεσίτην *&* ἀπολυτρωτήν. *Nimirum non ad alium modum, qvam qvo & possum & debeo e vinculo illo charitatis in communione sanctorum, viros virtute & sanctitate conspicuos, nec non ecclesiae praesules, & ad sacra altaria Deo inservientes obsecrare, velint*

pro

* Licet sanctos, qvos compellamus, nos audire liqveret maxime] Vide pag. 323. 326. 330.

pro me apud Deum intercedere. Ita unum hoc demonstra & doce, in hac causa, sanctorum scientiam πειρᾶσθαι. De caeteris convenit inter nos facillime: de sanctorum intercessione & interpellatione non laborabimus. Vide eundem in eandem sententiam in tract. anglic. de Invocat. sanct. pag. 119. Rob. Burhillus, anglus, contra M. Becani Controversiam anglicanam, & pro episcopi eliensis Resp. ad Apolog. Bellarm. cap. 6. qv. 21. *Episcopus*, inqvit, *non vult nihil in qvocumqve rerum genere fieri, qvod praeceptum non est.* Sed de iis tantum rebus loqvitur, in qvibus substantialis pars aliqva divini cultus ponatur. *Et rursus Deut. 4. 2. de tota lege dicitur: Neqve addite ad id, qvod praecipio vobis, neqve detrahite*; puta, qvoad substantiam cultus divini. Et Deut. 12. 32. *In cultu Dei* (puta, qvoad rerum substantiam) *nihil faciendum, nisi qvod ipse expresse praeceperit.* Similiter & Collinus in sua episcopi defensione supra citata respondet pag. 305.

At in sanctorum invocatione sive interpellatione, ne ipsi qvidem Romanenses, saltem doctiores & modestiores, substantialem aliqvam partem cultus divini ponunt, cum non simpliciter eam necessariam esse existiment, ut pag. 289. demonstravimus, sed ritum tantum sua natura adiaphorum, licitum, immo pium etiam, & utilem. Audiatur, qvaeso, episcopus ipse pag. 36. *De iis, qvae ad salutem necessaria, verba Regis sunt; qvae vero cardinalis adduxit, privatae devotionis obsequio a qvibusdam facta, publica ecclesiae doctri-*

doctrina vel necessitate ulla facienda ab omnibus non proponuntur. Multum interest, animine ardore abreptus quis rem faciat, cui indulgeri potest, (at non, inqvam ego, si rem illicitam & praecepto divino repugnantem faciat, ut hodie putatur a plerisqve Protestantibus, si qvis sanctos interpellet) *an qvasi id ei, si salvus esse velit, necessario sit faciendum.* Pag. 307.) Nec enim de vestris, credo, qvispiam ita frontem perfricabit, ut affirmet, tam haec necessaria esse, ut, qvi qvotidie sedulo Deum per Christum invocet, (uti christianum decet) etsi sanctos non interpellet penitus; aut qvi reliqvias haud unqvam viderit, vel si viderit, dubius animi sit, an verae reliqviae sint, nec proin adoret, *salutem consequi non possit, aut anima ei inde valde periclitetur.*

Multos ritus, tanqvam licitos & pios a Patribus acceptos, de qvibus nullum praeceptum, nullum etiam exemplum in S. scripturis invenias, retinet & usurpat hodieqve Ecclesia anglicana ipsa, ut consignationem frontis baptizati per signum crucis, geniculationem in percipienda eucharistia, jejunium qvadragesimale, & alia jejunii stata tempora, & id genus multa alia, Puritanis frustra reclamantibus, & continuo objectantibus: *Ne addite ad id, qvod praecipio vobis.* Satis est, qvum res tantum adiaphora sit, *si sacris literis non repugnet*, sed cum iisdem congruat. Patres certe adducti scripturae testimoniis & exemplis, (ut inqvit Cassander loco supra citato) qvibus manifestum est, preces justo-

rum hominum pro aliis suscepta plurimum apud Deum valere; ad haec certo persvasi, justos non extingui morte, sed Christo conjunctos, beatam vitam agere, & multo nunc ardentius, qvam unqvam antea, pro nobis orare, cum sint majori charitate praediti, qvam antea, &, ut loqvitur Cyprianus sermone de Mortalitate, *de sua immortalitate securi, & de nostra incolumitate solicit.*, eorum qvoqve precibus in cœlo regnantium, se in hac vita peregrinantes juvari magnopere optarunt, (qvod nemo non licere dixerit) ac postularunt, qvatenus scilicet illis rerum nostrarum sensus esset: etsi enim ἰδιοπάθειαν, ut Protestantes qvidam loqvuntur, ac particularem necessitatum & calamitatum nostrarum sensum illos obtinere maxime incertum sit, συμπάθειαν tamen seu *compassionem & communem sensum*, qvem habent ex Dei verbo & propria experientia, qvis sanae mentis illis ademerit? atqve votum illud suum ac desiderii vel omnes in universum, Pag. 308.) vel nominatim qvoqve aliqvos ex iis, tanqvam spiritu & animo praesentes, appellando, tum in publicis tum in privatis precibus declararunt: non qvo illos mediatores summos & propitiatores apud Deum constituerent, sed ut precibus illorum, qvas plurimum apud Deum valere credebant, nostris qvoqve precibus adjunctis, facilius a Deo Patre per unicum mediatorem & propitiatorem Christum, qvod vellent, impetrarent.

In Patribus etiam, qvi nicaenum concilium pri-

primum praecessere, id est, tribus primis vixerunt seculis, nihil legere est, unde certo ac perspicue invocatio, sive directa compellatio in precibus aut angelorum aut sanctorum, probari possit.

Frustra sententiae contrariae probandae citat Bellarminus Dionysium areopagitam cap. 7. Eccles. hierarch. *Impossibilium superflua spe ille suspensus est, qvi sanctorum flagitat preces, & naturae ipsorum consentaneas sacras operationes abigit*; cum autor ille, qvisqvis fuit, posterior fuerit nicaena synodo, ut supra diximus, cum de Purgatorio ageremus. Neqve etiam clare loqvitur locus de directa petitione per modum formalis compellationis precum sanctorum defunctorum pro aliis, sed de precibus sanctorum, sive ἐν τῷδε τῷ βίῳ, sive defunctorum, ad Deum qvatenus pro aliis valeant. Irenaeus etiam lib. 5. contra haereses, ultra medium: *Et sicut illa* (Eva) *seducta est, ut effugerit Deum, sic haec* (Maria) *svasa est obedire Deo, ut virginis Evae virgo Maria fieret advocata.* (ubi Bellarminus exultans exclamat: *Qvid clarius?*) nihil probat. Cui enim verisimile fiat, ut recte respondet Vossius disp. historica prima de Invoc. sanctorum thes. 1. hoc Irenaeum unqvam scripsisse, ea saltem mente, qva vult Bellarm. qvippe seu Eva statim post obitum, sive, ut Patres censent, demum cum Christo in cœlum translata fuit, sane multo ante Mariam in cœlum fuerit translata. *Sed sine dubio*, inqvit, παρέκλητον scipserat Irenaeus:

(scripsit *enim graece*) *quae vox cum* consolatricem *hic significaret*, (*solatium enim Evae post peccatum, promissumque salvatorem in Maria virgine fuisse dici potest, non quidem* καθ' αὐτήν, Pag. 309.) *sed metonymice vel synecdochice, qua salutaris incarnationis organum futura erat*) *vetus interpres* advocatam *vertit, quomodo & Tertull. ac Novatianus aliquoties Christum dicunt, apud Johannem discipulis promittere* alium advocatum; *cum* advocati *appellatio magis conveniat Christo,* consolatoris *autem Spiritui sancto.* Vide hic Chemnitium, Chamierum aliosque etiam Protestantes. Sermo de Sanctissima deipara falso Athanasio tribuitur, ut confitetur Petrus Nannius, professor lovanienſis, in praefat. Athan. immo ipse Bellarm. lib. de Script. eccles. in Athanasio, & Baronius in Annalibus anno 48. num. 19. & seq. Locus, qvi ex Eusebio lib. 13. Praeparat evang. cap. 7. citatur a Bellarmino aliisqve Romanensibus, in latina versione Trapezuntii corruptus est, ut saepe respondetunt Protestantes, qvos consule. Confer tantum exemplar graecum cum trapezuntina translatione, & luce clarius apparebit. De aliis, qvi concil. nicaenum praecesserunt, vel potius praecessisse a qvibusdam Romanensibus finguntur, lege eos, qvi hanc controversiam fusius pertractant. Peresius de Traditionibus parte tertia de Cultu sanctorum pag. 140. fatetur, * a tempore Cornelii martyris tantum, scriptis sanctorum

* A tempore Cornelii martyris.] Vide pag. 301.

rum, intercessiones sanctorum, (particulares scil.) commendatas, & a tempore Basilii invocationes sanctorum in scriptis Patrum memoratas fuisse. *Licet*, inqvit, *cum non appareat illos ista dogmata primos docuisse, sed qvasi jam vetustate qvadam firmata ipsa recensuisse, & exemplis commendasse, nulli dubium sit, qvin de divino magisterio descenderit, qvod universalis Ecclesia martyrum & sanctorum doctorum circa haec docebat.* Censura colonienſis pag. 209. affirmat, sanctorum invocationem etiam apud priscos Patres ante seculum III. vulgarem ac usitatam fuisse: sed nullum profert ex Patribus testimonium ante Basilium & Gregorium nazianzenum. Card. Perron. Repl. suae pag. 104. diserte ait, *in Patribus, Apostolorum seculo vicinioribus, nullum penitus istius consuetudinis invocandi sanctos vestigium reperiri.* Vide Molinaei Resp. lib. 7. cap. 7. p. 24. Neqve ii, qvorum scripta adhuc supersunt, Justinus martyr scilicet, Ignatius, Irenaeus, Clemens alexand. Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Athanasius, Eusebius, aliiqve numero tam pauci sunt, ut, qvae fuerit veteris illorum seculorum ecclesiae fides & praxis, Pag. 310.) nos abunde edocere neqveant. Hinc frustra card. Perronius cum aliis qvibusdam Romanensibus excipit, *maximam partem vetustissimorum illorum scriptorum periisse.* Sed, Deus bone, qvam irreverenter, injuriose & contumelioſe de Patribus primorum illorum seculorum loqvitur C. Perron. pag. 1044. 1045!

qvod scil. *in scriptis suis contra gentes saepe dixerint, non qvae crederent ipsimet, sed ea dissimularint & dixerint, qvae causae suae inservirent, ad objectiones gentium refellendas; qvod multa celaverint, dissimulaverint*, (& deguisent) *& alienam qvasi personam interdum induentes occultaverint; qvod, qvantum potuerunt, fugerint & declinarint occasiones omnes verba faciendi de precibus ecclesiae ad sanctos, ne gentiles existimarent superficialem qvandam esse convenientiae seu conformitatis speciem (licet falsam & aeqvivocam) inter illud, qvod ab ecclesia sanctis praestabatur, & illud, qvod gentes falsis suis diis deferebant, atqve inde ansam arriperent, licet immerito, propriam ecclesiae praxin in ipsos Patres retorqvendi.* Haec omnia verbatim ille. Vide episc. winton. contra Perron. p. 51. 52. Atqve haec illius est, qvam mirifice jactare solebat, erga Patres veteres reverentia, scil. illos insignis hypocriseos insimulare. Multum ille, Romae cum esset Anno 1605. gloriatus est coram Fr. Suario aliisqve permultis, de responsionibus novis ad Patrum, qvae a Protest. opponuntur, testimonia a se excogitatis, & *qvarum*, ut ipsemet inqvit in epist. ad card. Bellarminum, *auctor ante me nullus.* Vide Vitam card. Bellarm. lib. 2. cap. 7. R. 3. Certe ut de multis aliis illius responsionibus nunc sileam, indigna est haec proxime allata tantae eruditionis tantaeqve famae viro, eoqve cardinali.

Neqve tamen hoc nomine compellatio angelorum vel sanctorum in precibus, de qva dictum,

dictum, rejicienda seu damnanda est. Multi enim, ut constat, ritus liciti & utiles, a Patribus & conciliis subseqventium seculorum, inprimis qvarti & qvinti, in ecclesiam invecti sunt, de qvibus in praecedentium seculorum scriptoribus nihil legere est. Par enim & aeqvale fuit jus ecclesiae qvarti seculi, atqve trium praecedentium, ritus licitos & utiles instituendi. Nemo, nî fallor, sani cerebri hoc negaverit. Qvare pergamus.

Pag. 311.) Circa annum Christi trecentesimum septuagesimum, ad sanctorum invocationem publice praeire populo cœperunt illi, qvibus cura ejus instituendi commissa erat; ut ingenue fatetur Vossius disp. histor. secunda de hoc argumento, thesi 1. *Ac in Graecia qvidem primi, vel e primis, funem hunc duxerunt Basilius, Nyssenus, Nazianzenus*, ut inqvit ille. Basil. M. in orat. in 40. mart. *Qvi aliqva*, ait, *premitur angustia, ad hos confugit* καταφεύγει: *qvi laetatur, ad hos recurrit*, ἐπ' αὐτὸς ἀποτρέχει. Male interpres latinus, qvem Bellarm. multiqve alii Romanenses sequuntur: *Qvi aliqva premitur angustia, ad hos confugiat; qvi rursus laetatur, hos oret.* Vide episcopi elienf. Resp. ad card. Bellarm. Apol. cap. 1. p. 40. Chamierum, aliosqve. *Ad hos*, dicit Basilius, i. e. ad horum martyrum memorias, scilicet ubi Deum oret, & martyrum preces cum suis conjungi postulet. Vnde paulo post, μετὰ μαρτύρων τε γενέσθω ἡ αἰτήμα-

τα ὑμῶν, *cum illis martyribus fiant preces vestrae.* i. e. cum illorum precibus vestras jungite preces. Et licet haec, *ad hos confugit, ad hos accurrit,* indicantis modo dicuntur, non imperantis; nihilo tamen minus intercessioni seu interpellationi sanctorum favet hic locus Basilii, ut recte notat Fronto Ducaeus in Notis in hunc locum, cum constet, nunqvam haec sanctum hunc patrem, ut exemplum imitandum, prolaturum fuisse, qvae non probaret, aut qvae in crimen idololatriae vocari possent; praesertim cum addat, eos, qvi sic orant, exaudiri: at peccatores non exaudit Deus. Joan. 9. 31. Deniqve πρεσβυτὰς δυνατωτάτους, *legatos* h. e. oratores intercessoresqve *potentissimos* eos appellat. Vnde & Vossius ipse loco supra citato, *Ingenue,* inqvit, *interea fatemur, zelum hunc populi non improbari Basilio. Hoc enim satis docet* ἐκφώνησις *ad martyres, qvam subdit.*

Illustris est locus apud Gregorium nyssenum, fratris Basilii admiratorem & sectatorem studiosissimum, orat. in B. Theodorum martyrem, circa finem: *Intercede,* inqvit, *ac deprecare pro patria apud communem regem & dominum.* Suspicatur Chamierus de Vno mediatore lib. 8. cap. 7. n. 27. orationem eam non esse Gregorii nysseni. Pag. 312.) Similiter & * episc. wintoniensis in Resp. ad cap. 20. lib. 5. Replic. contra Perron. p. 56. 57. Sed non sic diligentissimus Vossius loco cit. cui locus hic valde illustris videtur;

* Episc. Winton.] Vide annotat. ad p. 305.

detur; (*Nyssenum vero sic sensisse*, inqvit, *minus mirandum, cum admirator & sectator fuerit fratris Basilii*) neqve etiam Cocus aut Rivetus critici.

Gregorius nazianz. orat. in S. Cyprianum, (ubi obiter observa, propter autoris errorem de Cypriani illius, qvam laudat, persona, orationem tamen non esse rejiciendam, satis liqvidae enim fidei alioqvi esse, & vere Gregorii naz. multis viris doctissimis videri) *Virgo Justina*, ait, *virginem Mariam rogat, ut sibi periclitanti opem ferat.* Durior est, inqvit Chamier. de Cultu creatur. lib. 20. cap. 5. hic locus. Vossius similiter clare sententiam Gregorii nazianz. explicare affirmat. Male autem, *illud puellae factum non qvidem a Gregorio nazianz. reprehensum; sed cum idem ejusdem sexus multae facerent, acriter reprehendisse Epiphanium eodem seculo in Collyridianis*, respondet doctissimus episc. eliensis contra Bellarm. p. 42. & contra Perron. p. 34. Adorationem tantum religiosam B. virginis per orationem proprie sic dictam & per oblationes in Collyridianis reprehendit acriter, & qvidem merito, Epiphanius; non autem nudam illius compellationem, ut nos orationibus suis apud Dominum adjuvet, vel ille, vel qvisqvam alius ex Patribus. Videatur & finis orat. illius, & orat. 20. in Basil. & 21. in Athanas.

Citatur a Bellarmino aliisqve Romanensibus, a Vossio etiam, locus, ut videtur, insignis

ex Chrysost. * homil. 66. ad pop. antioch. sive potius (nam ex 80. illis homiliis ad pop. antioch. primae tantum viginti & una Chrysostomi sunt. Videatur Possevini Apparat. in Chrysost. & Bellarm. ipse lib. de Scriptorib. eccles. in Chrysost.) hom. 66. in 2. Cor. de imperatore ad sepulchra martyrum δεομένῳ τῶν ἁγίων, *sanctos orante*, ut pro se apud Deum intercedant. Versiones tamen sunt ab ipsis Romanensibus editae, in qvibus nihil tale reperias, nec vel paginas integras, qvae clausulam illam vel antecedunt vel seqvuntur. Vide episc. elienſem contra Bellarminum p. 14. & contra Perron. p. 30. 31. Jo. Garetius de Sanctorum invocat. p. 96. citat sub nomine Theodori cujusdam Daphnopathi, qvi seculis aliqvot post Chrysostomum vixit. Sed extant haec verba in graecis, qvos habemus, codicibus, etiam in illa laudatissima H. Savilii editione Chrysostomi. Pag. 313.) Chamierus heic versionem accusat, *male enim redditum:* Fastu deposito stat sanctis supplicaturus, ut pro se apud Deum intercedant, & tentoriorum opificem ac piscatorem patronos etiam defunctos orat, qvi diadema gestat. *Graece enim*, inqvit, *habes* δεόμενον τῶν ἁγίων: & postea δεῖται, &c. *Ast id verbum norunt omnes, non tantum esse* orare, *sed etiam* indigere. *Longe melius reddideris:* Fastu deposito stat *indigens sanctis*, ut sibi ad Deum praeeant; *& tentoriorum opifice*, &c. *patronis etiam defunctis indiget is*, &c. Sed inane & ineptum est

* Homil. 66. ad pop. antioch.] Tom. 4. edit. Erasm. p. 603.

est hoc subterfugium. Locus enim Chrysostomi recte perpensus exposcit, cum aliis omnibus interpretibus tam rom. qvam protestantibus sic reddamus: *Fastu abjecto supplex stat*, sanctos obsecrans vel orans, *ut ipsi apud Deum sibi praesidio sint*, ὥστε αὐτῶ παρεῖναι παρὰ τῷ θεῷ, *vel intercedant pro ipso apud Deum.* Episc. eliensis contra Bellarm. p. 41. *Si detur denique, qvod istuc sic narret Chrysostomus; factum hic narratur modo, statutum nullum recitatur. Factum autem voluntarium, ut liberae devotionis; non vero ut rei, ad salutem aetern. necessariae.* Sed neq; hoc qvaeritur, an imperatoris factum officium fuerit pietatis simpliciter necessarium, sed an licite & pie & consentanee ecclesiae tunc tunc temporis doctrinae & praxi istud fecerit, & an Chrysostomo probatum vel improbatum fuerit. Vt adhuc certius Chrysostomi mentem super hac re intelligas, audi illum tom. 5. sermone in sanctas martyres, Berenicen, Prosdocen & Domninam * p. 481. edit.: Savil. μὴ μόνον ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς ἑορτῆς ταύτης, ἀλλὰ καὶ ἐν ἑτέραις ἡμέραις παρεδρεύωμεν αὐταῖς, παρακαλῶμεν αὐτάς, ἀξιῶμεν γενέσθαι προστάτιδας ἡμῶν. *rogemus, obsecremus eas, petamus, postulemus ab illis, ut praesidio nobis sint, vel nobis patrocinentur*, πολλὴν γὰρ ἔχουσι παῤῥησίαν, ἐκεῖ ζῶσαι μόνον, ἀλλὰ καὶ τελευτήσασαι, καὶ πολλῷ μᾶλλον τελευτήσασαι. *Nunc enim*

* Tom. 5. pag. 481. edit. Savil.] Tom. 1. pag. 568. edit. Morell. & francofurt. A. 1698.

enim stigmata gestant Domini. Alia loca, ut qvae minus clara sunt, silentio praetereo. Ridiculas R. Montacutii responsiones ad locum proxime ex Chrysostomo citatum, vide in ejusdem tractatu de Invocatione sanct. p. 106. & aliqvot seq. Pag. 314.)

Eodem tempore in occidente consuetudinem eandem probavit & secutus fuit Ambrosius, qvi plurimum Graecos imitari, saepe etiam exscribere solet. *Atqve inprimis illustris est*, inqvit Vossius, *ejusdem locus lib. de Viduis, ultra medium:* Obsecrandi sunt angeli, qvi nobis ad praesidium dati sunt, martyres obsecrandi, qvorum videmur nobis qvoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis nostris rogare, qvi proprio sanguine etiam, si qvae habuerunt, peccata laverunt. *Durior est*, inqvit Chamierus, *hic locus*, qvia scilicet per figuram prosopopoeiae vel apostrophes eludi non posse cernebat. Loca enim Patrum, Basilii, Nazianzeni, & qvorundam aliorum, qvi inter concionandum sanctos compellaverunt, eorum pro se ipsis & aliis preces serio expetentes, eludere solent multi Protestantes per figuram prosopopoeiae vel apostrophes, qvalis est illa oratoris ad mortuum, *O Marce Druse te appello*, & illa poëtae ad alium, *Audisne haec Amphiaraee sub terram abdite?* non attendentes interim, vel plane rejicientes illorum testimonia, qvi vel sanctorum interpellationem nobis commendant, vel narrant, a qvibus interpellati sunt.

Doctis-

Doctissimus * elienſis contra Bellarm. p. 45. & contra Perron. p. 38. 39. reſpondet, ab Ambroſio adhuc neophyto ſcriptum fuiſſe librum illum de Viduis, idqve ex eofacile deprehendi poſſe, qvod ibidem dicat Ambroſius, *laviſſe martyres ſua peccata proprio ſanguine*; ſuperfluum enim certe ſic eſſe ſanguinem Chriſti: & qvod addat, *ſi qva habuerunt peccata*, dubitans qvaſi, an martyres ulla habuerint peccata, nec ne. Sed an fuerit Ambroſius neophytus, nec ne, cum librum illum ſcriberet, (ſcripſit certe primo ſui epiſcopatus anno, ipſo Elienſi confitente) non laboramus; certe ex iis, qvae ille carpit, minime apparet, eum tunc adeo in theologia hoſpitem fuiſſe, ut ipſa pene illius principia ignoraret. Illud, *Si qva habuerunt peccata*, ſimile eſt dicto Jacobi cap. 5. 15. *Si peccata commiſit, remittentur ei.* Qvod ait, *laviſſe martyres ſua peccata proprio ſanguine*, idem affirmat Tertull. in theologia, credo, non infans, in fine Apologetici. *Qvis non, ubi reqviſivit, accedit? ubi acceſſit, pati exoptat? ut Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compenſatione ſanguinis ſui expediat? omnia enim huic operi delicta donantur.* Pag. 315.) Chryſoſt. etiam ſerm. de S. Luciano: *Qvemadmodum ii, qvi baptizantur aqvis: ita qvi martyrium ſubeunt, proprio ſanguine abluuntur.* Multi Patrum qvemadmodum baptiſmate aqvae peccata omnia tolli exiſtimabant & elui, ita & martyrio, qvod *baptiſma ſanguinis* appellabant, ut omni-

* Elienſis] Vide pag. 305.

omnibus doctis constat; nullum tamen in eo Christi sanguini, qvi solus est causa meritoria & principalis ablutionis nostrae a peccatis, injuriam inferentes. Baptisma enim aqvae, & illud sanguinis, *pro mediis tantum subordinatis, vel causis secundariis & instrumentalibus* habebant, per qvae virtus sanguinis Christi nobis applicatur. Sic *martyres & angelos observandos* dixerunt, ante illum, ut jam vidimus, Graeci Patres, qvorum ille sedulus fuit lector & imitator. Qvod citat Elienſis ex Ambr. magis provecto & melius edocto, ut ait, in cap. 1. ad Rom. *Ad Deum (qvem nihil latet, omnium enim merita novit) promerendum, suffragatore non est opus,* (certe nec obsecratore, inqvit Elienſis) *sed mente devota.* Primo non nesciebat vir doctissimus, commentarios in epist. paulinas, qvi Ambrosio vulgo ascribuntur, illius non esse, sed alicujus alias antiqvi scriptoris. Vide contra card. Perron. p. 41. 42. Secundo, ut ineptas aliorum responsiones omittam, non aliud vult auctor ille, ut recte respondet Estius in 4. Sent. dist. 45. §. 17. qvam, *non esse accedendum ad Deum per suffragatores, eo modo, qvo itur ad hominem;* qvasi videlicet Rex ille cœlestis egeat monitoribus, qvi causas supplicantium ei explicent simul, & precibus suis commendent, sicut egent reges terreni; cum Deus non tantum preces singulorum audiat, sed etiam intima cordis perspiciat. Vnde autor addit, tantum opus esse mente devota, scilicet ad hoc necessaria, ut Deus nos exaudiat.

Qvae

Qvae tamen mens devota loco & tempore suo non omittit aliorum etiam pro se suffragia implorare. Qvod adducit idem episcopus ex Ambrosio in obitum Theodosii: *Tu solus, Domine, invocandus es*, contra humanam & civilem (ut qvidem doctissimi theologi, etiam romanenses, appellant) sanctorum invocationem nihil facit, sed omnem religiosam invocationem soli Deo exhibendam esse, clarissime ostendit. Qvomodo etiam ipse Ambrosius fratrem Satyrum defunctum invocet, vide illius orationem in obitum Satyri, circa finem.

De mente Hieronymi, Gregorii naz. discipuli, qvis dubitet? In Epitaphio Paulae circa finem: *Vale*, inqvit, *o Paula, & cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva.* Pag 316.) *Fides & opera tua te Christo sociant; praesens facilius qvod postulas, impetrabis.* Non est hic inanis prosopopoeia vel apostrophe rhetorica, ut Protestantes vulgo affirmant, sed compellatio seria, & petitio efficax orationum Paulae, ex qva vir sanctissimus sibi auxilium pollicebatur. Erat solita Constantia fœmina cypria, (cujus generum ac filium Hilarionem de morte liberarat olei unctione) pervigiles in sepulcro ejus noctes ducere, & qvasi cum praesente ad adjuvandas orationes suas sermocinari, ut Hieronymus scribit in extrema Hilarionis vita. Et contra Vigilantium, qvi intercessionem sanctorum pro vivis, a qva eorundem interpellatio dependet, negabat: *De barathro pectoris tui cœnosam spurcitiem evo-*

em evomens, audes dicere: Ergo cineres suos amant animae martyrum, & circumvolitant eos, semperqve praesentes sunt, *ne forte, si qvis precator advenerit, absentes audire non possint.* Derisisse videtur Vigilantius eos, qvi sanctos invocabant, ut ex illis duabus vocibus *precatores* & *audire* colligere licet. An enim precatores suos martyrum animae audire qveant, nisi invocatae? Vnde, qvo erat genio, Hieronymus, adeo acerbe hic eum excipit. Nihil falsius, nihil etiam B. Hieronymo magis injuriose affingi potest, qvam qvod a rigidioribus Protestantibus fingitur, eum dogmate qvidem de intercessione beatarum animarum pro vivis a Vigilantio dissensisse, sed, qvantum ad dogma de invocatione sanctorum spectat, ei plane assensum, &, ut inepte loqvitur R. Crakanth. lib. saepe citato cap. 52. p. 330. *totum vigilantianum hic esse.*

CAP. IV.

Eadem sententia fusius adhuc comprobatur.

PRiusqvam, qvae huic sententiae firmandae ex Augustino proferri possunt, loca adducam, operae pretium duco, ad locum qvendam Augustini, in qvo omnes ad unum hic dissentientes mirifice exultant, & tantum non triumphant, accurate respondere. Pag. 317.) *Nam ex aliqvo Augustini rivulo qvicqvid refertur*, inqvit doctissimus episcopus elienſis contra

contra Bellarm. p. 46. *unica ejus sententia tanqvam sole siccatur, qvam habet* in opere suo palmari de Civitate Dei lib. 22. cap. 10. *Ad qvod sacrificium martyres, sicut homines Dei, qvi mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur: non tamen a sacerdote, qvi sacrificat, invocantur. Qvi minus autem a sacerdote,* inqvit elienſis, *qvam a populo? aut extra sacrificium cur liceat, qvod ad sacrificium non licet? Qvod non ad missam, cur ad matutinas? Qvod alioqvi licitum est, ecqva in sacrificio vis, vel altari, ut reddat illicitum?* Vide & contra Perron. p. 37. Respondere solent Romanenses, & qvidem vere, loqvi Augustinum loco citato de invocatione in liturgia, & ad altare, ubi, cum sacrificium Deo vere offeratur, (licet in illius sacrificii ratione explicanda multi Romanenses errent, ut alias, Deo volente, demonstrabimus) invocatio ad solum Deum dirigenda est. Sic enim Augustinus ibidem scribit: *Illi* (gentiles scil.) *talibus diis suis & templa aedificaverunt, & statuerunt aras, & sacerdotes instituerunt, & sacrificia fecerunt. Nos autem martyribus nostris non templa, sicut diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, qvorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus; nec ibi erigimus altaria, in qvibus sacrificamus martyribus, sed uni Deo, & martyrum & nostro, sacrificium immolamus.* Et statim post illa verba: *Non tamen a sacerdote, qvi sacrificat, invocantur.* Deo qvippe, inqvit, non ipsis sacrificat, qvamvis in memoria sacrificet eorum: *qvia Dei sacerdos est, non illorum. Ipsum vero sacri-*

ficium corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi. Et de Civit. Dei, lib. 8. cap. 27. *Quis audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus martyris, ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus*, Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, *cum apud eorum memorias offerat Deo, qui eos & homines & martyres fecit*? Eadem legere est contra Faustum lib. 20. cap. 21. Vnde in Canone missae post catalogum sanctorum subditur: *Et omnium sanctorum tuorum*: quorum meritis precibusque *concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio.* Pag. 318.) Vbi non sancti, sed solus Deus invocatur. *In liturgia*, inquit Wicelius in Methodo concordiae eccl. cap. 5. de Eucharistia p. 19. *non oratur ad divos, sed ad Deum unum, ut is ob amorem, quo erga divos ardet, calamitatem nostram in hoc periculosissimo vitae salo clemens respiciat.* Et Augustinus ait serm. 17. de Verbis apostoli: *Habet ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum martyres eo loco recitant ad altare Dei*, ut ibi non pro ipsis oretur, pro caeteris autem defunctis oretur: *injuria enim est orare pro martyre, cujus nos debemus orationibus commendari.* Vide etiam tract. 84. in Joan. ubi dicit: Commendari martyrum orationibus, non est directe eos invocare, *sed tantum rogare Deum, ut non nostris solum, sed ipsorum quoque pro nobis orationibus flectatur; ut, si non nostras, quae saepe frigent, illorum tamen ardentissimas pro nobis orationes audire dignetur.*

In

In missa qvidem catechumenorum, qvae non est proprie sacrificium, in versiculis post lectionem obiter sancti directe compellantur; sed in missa fidelium, qvae incipit ab oblatione, nunqvam sancti directe invocantur. Vide Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 8. Immo in Synodo carthaginensi 3. can. 23. cautum est, ut, *cum ad altare assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio*: licet istud non propter necessitatem, qvasi videlicet personam Filii vel Spiritus sancti ad altare compellare nefas sit, sed propter convenientiam factum sit; ut, cum in sacro illo mysterio commemoratio sacrosanctae illius oblationis, qva semet ipse Christus obtulit immaculatum Deo & Patri, peragatur, ad ipsum qvoqve sacrificium precum nostrarum, & gratiarum actionis dirigatur: ut recte Cassander observat in fine Hymnorum eccles. p. 298. Nam alioqvi in Canone missae Ecclesiae romanae in fine dicit sacerdos: *Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae, & praesta, ut hoc sacrificium, qvod oculis tuae majestatis* indignus obtuli, sit tibi acceptabile. Et 3. collectae ad Christum ipsum diriguntur, 1. *Domine Jesu Christe, qvi dixisti,* 2. *Domine Jesu Christe, fili Dei vivi.* 3. *Perceptio corporis & sanguinis tui, domine Jesu Christe.*

Ex qvibus omnibus liqvet, cur in oblatione & invocatione sacerdotis ad altare sacrificali, nulla sanctorum interpellatio adhibeatur, ut ait Augustinus, extra sacrificium tamen ea uti liceat. Neqve rejicienda est simpliciter distinc-

ctio perroniana * orationis sacrificalis, & extrasacrificalis: sed interpellationem sanctorum male ille orationem, si modo orationem proprie sic dictam intelligat, appellat. Pag. 319.) Augustino autem martyrum invocationem non improbari, qvod loco citato, & rursus p. 51 episc. elienſis affirmat, patet ex lib. de Cura pro mortuis cap. 4. *Sed cum talia virorum solatia requiruntur, qvibus eorum pius in suos animus appareat, non video, qvae sint adjumenta mortuorum, nisi ad hoc, ut, dum recolunt, ubi sint posita eorum qvos diligunt corpora, eisdem sanctis illos, tanqvam patronis, susceptos apud Dominum adjuvandos orando commendent.* Et paulo post: *Cum itaqve recolit animus, ubi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus.* Vide etiam cap. 15. & 16. *Mortuos*, inqvit R. Montac. contra Biding. Antidiatrib. 1. p. 21. *vivorum rebus non interesse opinabatur Augustinus, solertissimus omnium in fidei dogmatibus discutiendis. Cum vero qvaereretur*, qvomodo tum martyres implorabantur? *respondebat*, aliter dispensatum fuisse cum martyribus. *Viam ergo introducebat extraordinariam. Certum vult esse, propter usum tum freqventiorem, licet non de fide definitum*, martyres imploratos exaudire & adjuvare: *sed* qvomodo *adjuvent invocantes, definire, ait, vires superare suae intelligentiae.* Haec ille. *Qvanqvam*, inqvit Augustinus ista qvaestio vires

* Orationis sacrificalis & extrasacrificalis.] Vide p. 299.

res meae intelligentiae vincat, qvemadmodum opitulentur martyres iis, qvos per eos certum est adjuvari : *utrum per se ipsi asſint uno tempore tam diverſis locis, & tanta inter se longinqvitate diſcretis, ſive ubi ſunt eorum memoriae, ſive praeter ſuas memorias, ubicunqve adeſſe ſentiuntur; an ipſis, in loco ſuis meritis congruo, ab omni mortalium converſatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia ſupplicantium, ſicut nos oramus pro mortuis, qvibus utiqve non praeſentamur, nec ubi ſint, nec qvid agant, ſcimus. Deus omnipotens, qvi eſt ubiqve praeſens, exaudiens martyrum preces, per angelica miniſteria usqve qvaqve diffuſa, praebeat hominibus iſta ſolatia, qvibus in hujus vitae miſeria judicat eſſe praebenda, & ſuorum merita martyrum, ubi vult, qvando vult, qvomodo vult, maximeqve per eorum memorias, qvoniam hoc novit expedire nobis ad aedificandam fidem Chriſti, pro cujus illi confeſſione ſunt paſſi, mirabili atqve ineffabili poteſtate ac bonitate commendet. Res haec altior eſt, qvam ut a me poſſit attingi, & abſtruſior, qvam ut valeat a me perſcrutari.* Pag. 320.) Buceri candor hic placet, qvi in Defenſ. Reform. chriſt. cap. 43. ſic ſcribit: *Ea ratione & modo, qvae cœleſti eorum vitae conſentanea eſt, orant ſane pro nobis omnes ſancti. Virum vero peculiariter id faciant pro iis, qvi ipſos invocant, vel memorias eorum honoribus afficiunt, vel ipſorum cognati aut affines ſunt, an vero generaliter pro omnibus, ut pro electis D. N. J. Chriſti, id D. Auguſtinus fatetur adhuc ſibi eſſe ignotum, qvoniam ſacra ſcriptura nihil de eo*

commemorat. Non dubitabat ille, qvin Augustini seculo sancti ipsi invocarentur, licet non in oratione liturgica; neqve tamen hanc ecclesiae vel piorum tunc temporis praxin damnasse Augustinum vel affirmat, vel etiam, si maxime affirmasset, unqvam probare potuisset. Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 21. *Populus christianus memorias martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atqve orationibus adjuvetur: ita tamen, ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum sacrificemus.* R. Montacut. in suo tractatu de Invocatione sanctorum, licet nullam non qvaerat rimam, qva elabatur, ut clarissima veterum testimonia eludat, pag. tamen 214. 215. 216. respondere cogitur, dicta Augustini, qvae pro sanctorum invocatione allegantur, immo paene omnia, qvae in hanc sententiam ex veteribus produci solent, ex opinione tunc communiter in ecclesia recepta, loqvi *de martyrum tantum intercessione vel invocatione*, & qvidem *ad memorias eorum*, *vel in natali eorum die*, i. e. in passionis die, qvo martyres secundum vitam animalem ac temporariam orbi denascentes, vitam cœlestem vivere cœperunt; inde autem colligi non posse, sanctos omnes in cœlis viventes & angelos nobis interpellandos esse: speciali enim prae aliis omnibus saltem sanctis privilegio, ex probabili veteris ecclesiae sententia, in negotiis nostris procurandis gaudere martyres. Laudo, qvod ingenue martyrum saltem

saltem invocationem admisisse Augustinum fateatur, sed angelorum atqve aliorum etiam sanctorum compellationem piae vetustati probatam fuisse, perperam negat; ut ex praedictis clarissime constat. Doleo certe Joanni Barclaio in sua Paraenesi lib. 2 c. 7. p. 339. causam tam justam cum doctissimo elienti episc hic expostulandi datam: *Serenissimi Britanniarum Regis eleemosynarium hic*, inqvit, *alloqvi lubet. Illi Rex credit*, Pag. 321.) *alii multi credunt: & toties in culpa est, qvoties alios in culpa esse facit. Videat porro, qvanto errore negaverit, Augustino placere, ut martyres invocentur. In Respons ad Apologiam card. Bellarm. cap. 1. sic loqvitur:* Augustino autem assentimur. Nam Augustino martyres non invocantur. *Immo* inqvit, *invocantur martyres Augustino, nisi ipsi Augustino non credimus.* Vide locum Augustini lib. 22. de civit. D. cap. 8. *Florentinus*, inqvit hipponensis noster, *homo religiosus & pauper, qvi sartoris se arte pascebat, casulam perdiderat, & unde sibi emeret non habebat: ad viginti martyres, qvorum memoria apud nos est celeberrima, clara voce, ut vestiretur, oravit.* Loci hi sunt ex libris, qvi certo sunt Augustini; loci autem, qvi a multis aliis adducuntur, sunt ex scriptis dubiis vel suppositiis petiti. Aliorum qvarti & qvinti seculorum Patrum testimonia brevitatis causa omitto.

Qvod autem Protestantes, *privatas illas sanctorum compellationes*, ut loqvuntur, *temporibus Basilii & Nazianzeni usurpari coptas, tandem circa*

tempora Gregorii M. i. e. ante annos 1000. publicis litaniis insertas fuisse, & non prius, affirmant, id exigui est momenti, cum primo non Gregorii magni demum, sed Patrum etiam anteriorum seculorum, graecorum & latinorum, doctissimorum juxta ac sanctissimorum, temporibus, publice cum in scriptis tum in concionibus usurpatae & probatae fuerint istiusmodi compellationes, ut demonstratum est. Secundo narrat Walafridus Strabo lib. de Rebus eccles. cap. 28. litaniam sanctorum, post eusebiani Martyrologii epitomen, a D. Hieron. latine factam, credi in usum assumptam; vel potius, ut alii Strabonis mentem explicant, ante conversum ab Hieronymo Eusebii Martyrologium, tanto numero qvidem sanctos in litania recensitos non fuisse: tunc enim praecipui tantum aliqvot, ut B. virgo & alii, & qvi in unoqvoqve loco celebriores erant, nominabantur, caeteri universe compellabantur. Edito vero Martyrologio plurium nomina, qvod in Gregorio, cordubensi episcopo, in concilio episcoporum a Theodosio imperatore laudatum idem Strabo refert, memorari cœperunt. Vide Serar. de Litaniis lib. 1. cap. 4. aliosqve. Deniqve multis jam seculis in universa ecclesia, in oriente non minus qvam in occidente, etiam in aqvilone apud Muscovitas, Pag. 322.) litania est decantata; ut puta, *S. Petre, ora pro nobis.* Totius autem ecclesiae universalem consensum spernere aut damnare, res est longe periculosissima.

Certe

Certe *melius & modestius de hac sanctorum compellatione, in reformationis principio, praecipui qvidam Protestantium senserunt & scripserunt.* Si in ea sententia, qvam initio cum veteri ecclesia communem habebant, permansissent, atqve intra abusuum tantum reprehensionem constitissent, melius fortasse auctoritati & paci ecclesiae consuluissent; ut sapienter admonet G. Cassander in Consult. art. 21. M. Lutherus in epist. ad Georgium Spalatinum anno 1518. scripta, qvae adhuc extat: *Mi Spalatine*, non fuit mens mea unqvam, venerationem sanctorum esse superstitiosam, *neqve invocationes eorum pro causis vel corporalissimis. Hoc enim sapiunt haeretici illi vicini nostri Picardi in Bohemia, &c.* Et in epist. ad Erfurdienses anno 22. *Sinite, ut divorum implorent nomina, qvando ita volunt, ea tamen lege, ut sciant, sibi cavendum, ne qvam fiduciam & praesumptionem, persvasione falsa inducti, in ullum sanctorum ponant, sed in solum Christum.* Et in Purgatione qvorundam articulorum: *De intercessione sanctorum cum tota ecclesia Christi sentio, & judico, sanctos a nobis honorandos esse, atqve invocandos.* Et de Praeparatione ad mortem: *In mortis articulo B. virginem, suum angelum, & delectum a se apostolum, & sanctos reliqvos invocare non cesset, ut pro se intercedant ad Dominum.*

J. Oecolampad. in annotat. in serm. Chrysost. in Juventinum & Maximum martyres, Basileae excusis anno 1523. p. 163. *Sunt, qvi de sanctis volunt nihil audire aliud, qvam qvod dormi-*

ant & quiescant in Christo, expectantes revelationem & diem D. N. J. Christi, recepturi tunc utramque stolam simul: nunc neque intercedant, neque si intercedant, quod aegre admittunt, invocandi sint. Interpellandi officium dicunt soliu Christi esse, & nusquam scripturam nos adhortari, ut sanctos precibus nostris imploremus. Neque enim huc quadrat *illud ultimi psalmi*, Laudate Dominum in sanctis: *illud ex Job*, Convertere ad aliqvem sanctorum. *Habet opinio haec aliquid haud contemnendum, cui refragari fas non fuerit. Attamen ei per omnia neqvaqvam accesserim.* Neqve enim intercessionem sanctorum inficias ierim: Pag. 323) neqve impiorum & idololatrarum esse asseveraverim, cum illis implorare patrocinia sanctorum. *Caeterum precor votis omnibus, ut praetercursis sanctorum atqve angelorum omnium, qvae in medio sunt, cunctis agminibus, summa fide & alacritate, ad ipsum angelorum regem & cœlorum conditorem contendamus. Qvamvis a nullo exigere ausim: fidem enim ad mensuram cuiqve Deus ipse suppeditat; optarim tamen.* Et p. 166. 167. *Sancti qvoqve in cœlis sua charitate flagrantes, non desinunt pro nobis intercedere.* Qvid igitur mali, si hoc petamus fieri, qvod credimus Deum velle, etiamsi nihil tale praeceperit? *Qvid mali, si & commendemus patrocinia sanctorum, modo id circumspecte, opportune & modice fiat, pro auditorum qvalitate? Id qvod hic agit Chrysostomus, & Nazianz. qvoqve in laudibus Cypriani. Et observant hoc ferme omnes ecclesiae, tam orientis qvam occidentis.*

M. Bu.

M. Bucerus in Defens. contra * episcop. abrincensem: *Si quis*, inqvit, *perpensa infinita illa Dei in sanctos indulgentia & facilitate, & simul illorum in nos miseros adhuc conservos suos & commembra charitate, animi ardore huc prorumpat, ut illos ceu praesentes praesens appellet, proqve se intercedere ad Deum roget, id*, licet in nulla scriptura doceatur, si sic tamen fiat, nulli damnamus. Et postea: *In animis*, inqvit, *sic comparatis, uti videmus, nihil tribui humanis meritis, sed omnia misericordiae Dei, & redemptioni D. N. J. C. ita qvod divos, ut pro se orent, invocant*, licet id faciant absqve ullo & sensu & exemplo scripturae, damnare tamen non possumus. *Atqve hunc solum in modum videmus orthodoxis Patribus sanctorum cœlitum invocationem usurpatam & traditam.* Et in comment. in ep. ad Rom. cap. 8. p. 413. *Intercessio, qvam pridem divis tribuunt ecclesiae, non potest ex scripturis statui aliud esse, qvam* perpetua illorum vota de nostra redemptione consummanda. *Qvibus fidere ex se impium, qvaerere ea, incertum est: affectus tamen salutis, qvi eo usqve sese attollit, ut divorum qvoqve intercessionem in Christo, non prae Christo, qvaerat, non excutiens, qvam certum sit, qvo feratur, damnari non debet. Et hoc reverentiae detulisse veterum observationi hac in re, qvae scilicet usu, nullo autem oraculo scripturae inolevit, satis fuerit.* Joachi-

* Episcop. abrincensem] Qvi fuit Rob. Cœnalis sive, ut alias scribitur, Cenalis vel Senalis, primo episc. regiensis, dein abrincensis seu arboricensis. Vide Kœnigii Biblioth. V. & N. p. 180. & 746. & Hydii Catal. impressor. libr. bibl. bodl. part. 1. p. 179.

Pag. 324.) Joachimus Camerarius, vir doctiſſimus, in lib. de Piis catholicae eccleſiae precibus, cum de ſanctis hominibus jam Chriſto fruentibus loqvitur: *Pia*, inqvit, *affectio erga illos, & votum communium precum, non poteſt, ut opinor, damnari: cum neqve adverſetur doctrinae veritatis cœleſtis, & exempla vetuſtatis extent.* Qvem locum adducit Caſſander in Defenſ. libri de Officio pii viri pag. 847. Orationem illam in canone miſſae, *Omnium ſanctorum tuorum precibus concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio*, Phil. Melanchthon in Conſilio de moderandis controverſiis religionis, ſcripto ad Gallos anno 1535. *intolerabilem non eſſe* cenſuit: *Docti*, inqviens, *de hac forma deliberare poſſunt.* Vide etiam partem primam Conſil. theol. p. 234. Rich. Fieldus in Appendice ad lib. 3. de Eccleſia pag. 223. edit. ult. aſſerit, *nihil continere, qvod a Proteſtantibus improbetur.* Th. Mortonus Appellat. cathol. lib. 2. cap. 12. ſect. 2. pag. 227. *nullum in eo idololatriae periculum ineſſe poſſe, cum non ad ſanctos directe, ſed ad Deum dirigatur.* Audiatur etiam ſuper hac re auctor Enchiridii colon. in Decalogum pag. 253. *Si rem acutius perpendamus*, tota contentio (*modo abſit ſuperſtitio*) in verbis tantum ſita eſt. *Convenit enim, & absqve controverſia eſt*, ſanctos, qvi in Domino obdormierunt, ſedulo & continue orare pro nobis, veluti unius ejusdemqve corporis membra, *qvi noſtram ſalutem, ſine qvibus conſummandi non ſunt, expectant & deſiderant. Alioqvi articulus de ſanctorum communione ſymbolo fidei eximendus erit, aut*

aut ecclesia triumphans a militante rescindenda; qvod plane christianae aures abhorrent. Jam qvid prohibet, ut, qvos sedulo pro nobis Deum deprecari scimus, eorum etiam precibus concedi petamus, ut in omnibus divinae protectionis muniamur auxilo? *Certe non poterit nobis fructus communionis sanctorum ecclesiae triumphantis applicari, qvemadmodum nec alia, qvae symbolo continentur, nisi per fidem, qvae piis votis ac desideriis excitanda est. Ergo* etsi nihil sanctis hinc accedat, qvod eos interpellamus, ut Deum pro nobis deprecentur, tamen eo ipso fidem communionis sanctorum in nobis excitamus, *ut, qvod illi pro nobis assidue faciunt, nobis etiam applicetur, & salutare sit:* Pag. 325.) *qvemadmodum Aug. in lib. de Cura pro mortuis dicit*, non contemnendum esse affectum morientis, qvi desiderarit, post obitum corpus suum in basilicam martyris poni, si qvidem is crediderit, animam suam precibus martyris adjuvari. *Hoc enim*, qvod (ut *subdit*) ita credidit, supplicatio qvaedam fuit, & haec profuit, si qvid profuit. *Non respuit igitur ecclesia*, qvicqvid citra injuriam Dei fit, qvo fides in nobis excitatur, *veluti cum sanctis nos, tanqvam patronis, post Christum apud Deum adjuvandos orando commendamus: Deus enim cordis inspector est, & voti pietatem examinat, non structuram verborum. Nam qvid refert apud Deum, sive dicamus:* Scimus o Deus, S. Petrum orare pro nobis; ejus itaqve precibus concede, ut nos tuae protectionis auxilio muniamur: *qvam si di-*

si dicamus : S. Petre ora pro nobis ; *nisi qvod, qvantum ad nos attinet, cum sanctos nominatim appellamus, non solum fidem, sed etiam mutuae charitatis affectum exprimimus, persuasum habentes, apostolos & martyres, qvi adhuc in corpore constituti, & voluerunt & potuerunt pro caeteris orare, nunc tanto magis pro nobis esse solicitos, qvanto post coronas, victorias & triumphos nos ardentiori charitate complectuntur?* Haec omnia ille.

Is. Casaubonus in Resp. ad epist. card. Perronii pag. 929. *Respondet Rex: Primis nascentis ecclesiae temporibus, alium praeter unum Deum opt. max. fuisse orari solitum, demonstrari omnino haud posse. Postea morem esse introductum orandi ad memorias martyrum, ac paulatim coepisse apostrophas fieri ad sanctos, extra Dei cultum*: optari etiam & vota fieri, non ad illos qvidem primo, sed ut illi Deum orarent. Qvod si hac fine exempla nova stetissent, ne rex qvidem illorum temporum consvetudinem vehementer reprehenderet: certe non ita damnaret, ut qvod postea receptum est moribus. Et pag. 930. *Postremo seculi illius* (qvarti scilicet) *morem inter utilia aut licita si admiserunt pii Patres:* (sed cur dubitanter hac de re, de qva pii illi Patres nunqvam dubitarunt, loqvitur Casaubonus?) *at inter absolute necessaria ad salutem, nunqvam profecto posuerunt.* Sed nec doctiores Romanenses hoc asserunt.

Jo. Gerhardus Loc. theol. tom. 8. de Morte n. 377. *Sciendum est*, inqvit, *non esse qvaestionem*, de

de nuda sanctorum compellatione, qva sancti moneantur & invitentur, ut pro Ecclesia in terris adhuc militante orent, Pag. 326.) *qvomodo a piis in his terris viventibus vel coram vel per literas petimus, ut pro nobis apud Deum intercedant, suas preces nostris conjugant, iisdemqve salutem nostram fideliter commendent. Qvamvis enim*, inqvit, *nec hanc defunctorum sanctorum compellationem simpliciter probemus*, (neqve tamen simpliciter eam damnare audebat; sed rationes ipsius, cur non simpliciter probet, audiamus) *cum illi non amplius, ut sancti in terris adhuc viventes, rebus nostris intersint*, (esto: rogamus tamen non frustra, ut Deum pro nobis orent ex charitatis affectu, qvo ipsi in nos feruntur, & ex eo rerum nostrarum sensu, qvem habent. De generali nulla est controversia. Qvod ad particularem sensum attinet, non rogamus nisi hypothetice, εἴ τις ἐστι. Multa etiam scire possunt in particulari, de qvibus nobis nihil certo constat) *nec de tali compellatione praeceptum vel exemplum extet in scriptura*, (atqvi res tantum adiaphora est, ac proinde nullum de ea praeceptum vel exemplum in scriptura extans, necessario exigendum est) *cumque periculum subsit, ne ex tali compellatione absentium ad religiosam eorundem invocationem fiat progressus*: (sed non continuo propter periculum abusus, aut abusum etiam, qvem re ipsa cernimus, legitimus rei usus cum scandalo totius ecclesiae tollendus aut damnandus est) *tamen ex praxi & confessione Pontificiorum*

rum

rum constat, eos non esse tali sanctorum compellatione contentos, sed religiose eosdem invocare. Sed de erroribus qvorundam Romanensium hac in re, cum Deo, capite seqvente dicemus.

Fr. Whiteus contra Fisherum jesuitam in ipso disputationis suae hac de qvaestione vestibulo p. 288. timide sic scribit: *Etsi daretur, modum qvendam petendi aut compellandi sanctos & angelos,* ut nobiscum sint comprecatores, *& pro nobis apud Deum intercedant, licitum esse*; (citat hic ad marginem verba Alex. hal. 4. qv. 26. m. 2. artic. 3. de qvibus vide supra, & Buceri verba in Rom. 8. pag. 323. a nobis allegata, qvibus diserte affirmatur, veterum observationem hac in re damnari non debere) *invocatio tamen eorundem, juxta Ecclesiae romanae praxin, approbanda non est.*

R. Montacut. unus tunc ex Canonicis vindesorienſibus, coram rege Jacobo VI. tractans verba illa psal. 50. 15. *Invoca me in die tribulationis, &c.* Pag. 327.) & sanctorum atqve angelorum absentium invocationem stultitiae saltem & fatuitatis damnans pro concione, ipsomet confitente in tract. de Invocatione sanct. p. 96. & impotenter hic in archiepiscopum spalat. qvi concioni tunc interfuit, debacchans, ac mirifice paratragoedians, haec dixit: *De angelo custode fortasis ampliandum.* Non *qvia*, ut ait ipsius hyperaspistes R. Crakanth. contra archiepisc. spalat. c. 18. p. 375. *prolixiorem tractatum res haec desiderabat, aut qvia cum in angelo custo-*

locustode major sit Pontificiis & spes & species in hac invocationis causa, ampliorem quoque de eo orationem, quam temporis illius angustiae paterentur, habendam censuit: sed quia, ut ipse diserte mentem suam loco praedicto explicans dicit, cum opinione sit recepta, & quidem jam diu recepta fuerit, licet de fide non sit, unumquemque saltem justum angelum custodem habere, atque hunc praesentem semper adesse ex Dei mandato & deputatione, nihil absurdi esse existimabat in natura, neque analogiae fidei, aut scripturis ullo modo adversari, multo minus impium esse, dicere, *Sancte angele custos, ora pro me*, hoc scilicet suppositio, quod dictum est, & quod Patres semper maxime probabile esse censuerunt. Vide pag. 97. & seq. *Sed salus reip.*, inquit, *non vertitur in istis.* Idem ibid. pag. 183. respondens ad factum Justinae virginis a Nazianzeno orat. in Cyprianum memoratum, quae primum ad Deum confugit, sponsum suum Christum defensorem assumsit, deniqve virginem Mariam rogavit, ut periclitanti virgini opem ferret, &c. *Hanc*, inqvit, Romanenses compellans, *libertatem nobis concedite, & litem vobis jam non movemus. Si illi* (Romanenses) *hoc facerent ipsimet, & proselytos atque novitios suos in omnibus necessitatibus docerent facere, quod fecit virgo haec*, ad Deum *scilicet*, & Christum primo confugere, & deinceps ex abundanti, sive adjuvent sive non adjuvent, in auxilium advocare B. virg. Mariam, S. Petrum, S. Paulum, εἴ τις ἀϊδησις, *ut loquitur nazianzenus, non con-*

tenderemus. In Ecclesiae romanae praxi res longe aliter se habet. Haec ille.

Sed his missis, audiamus judicia theologorum moderatorum, & concordiae ecclesiasticae apprime studiosorum. Pag. 328.) Erasmus Ep. lib. 25. in ep. ad J. Sadoletum episc. carpentoract. pag. 984. *Constat, nullum esse in divinis voluminibus locum, qui permittit invocare divos, nisi fortasis huc detorqvere placet, qvod dives in evangelica parabola implorat opem Abrahae. Qvanqvam autem in re tanta novare qvicqvam praeter auctoritatem scripturae merito periculosum videri possit, tamen invocationem divorum* nusqvam improbo, nec improbandam sentio, modo absit superstitio; *qvam aliqvoties noto, nec id sine causa.* Et de Amabili ecclesiae concordia: *Religiosi affectus est, credere, sanctos nonnihil apud Deum precibus suis posse. Ac qvibus diversa sedit opinio,* pura mente, sinceraqve fide invocent Patrem, Filium & Spiritum S. nec obturbent odiose iis, qvi citra superstitionem implorant divorum suffragia. *Superstitio, qvam fateor in invocatione & cultu divorum esse plurimam, tollenda est. Pius ac simplex affectus interdum tolerandus est, etiamsi sit cum aliqvo conjunctus errore: ut enim nostra vota non sentiant divi, sentit tamen Christus, qvi & amat simplices animas, &, si minus per sanctos, recte pro sanctis dabit nobis, qvae petimus.*

Andr. Fricius, cujus aliqvoties nobis mentio supra facta est, lib. 4. de Ecclesia cap. 11. citatis hisce ultimis Erasmi verbis sic loqvitur: *Qvamobrem*

obrem moderate mihi & scienter Erasmus hanc sententiam sic temperasse videtur: Religiosi affectus est, &c. Et in fine capitis : *Cum igitur multi sint ita instituti, ut in causis religiosis acquiescere nulla in re possint, cujus demonstrationem habere non queant ex divinis eloquiis : par fuerit, ut sanctorum invocatio aut autoritatibus bibliorum confirmanda sit claris & certis:* (sed * nullam esse hujus rei necessitatem, saepe nobis dictum est) *aut* arbitrio cujusq; permittenda, nec qvisqvam ad eam cogendus: *sitque de earum qvaestionum numero, in qvibus cuique sensu suo abundare liceat.*

Episcopi Ecclesiae anglicanae in Pia & catholica christiani hominis institutione tempore Henrici IIX. edita, in explicatione praecepti decalogi tertii: *Caeterum precari sanctos, ut nobiscum apud Deum ac pro nobis intercedant in his, qvae a Deo petimus, qvaeqve a Deo solo nobis conferri expectamus,* modo non eos, ut ipsorum donorum & gratiarum datores, sed intercessores tantum veneremur, *vetustissimo simul & perpetuo catholicae Ecclesiae usu receptum & approbatum est.* Pag. 329.)

In libro Caesari tradito a qvibusdam viris doctis & bonis ad promovendam conciliationem, &c. Ratisb. an. 1541. (vide apud Goldastum Constitut. imperial. tom. 2.) artic. 19. qvi & dogmata qvaedam continet, qvae Ecclesiae autoritate declarata & firmata sunt: *Nec damnandum*

*Nullam esse hujus rei necessitatem] Vide huc p. 300, 305, 323, 326.

est, inqviunt, *si qvis* religiosa qvadam pietate, & animi qvodam errore, *in commemorationem tam intimae nostrae cum sanctis in Christo unionis, eos etiam* nominatim appellat: *sed extra preces, qvae ad altare offeruntur, in qvibus ad solum Deum Patrem per Christum dirigenda est oratio, ut habet Concil. carthag. 3.* sic tamen ut tota fiducia in solum Jesum Christum omnis boni auctorem reponatur, & nihil, qvod Deo proprium est, sanctis tribuatur, *tantum vero ut conservi, (qvi jam meruerunt fieri supernorum civium consortes) non secus qvam qvi nobiscum adhuc in carne sunt sancti Dei homines, ad juvandas nostras preces apud Deum implorentur.* De Georgii Cassandri sententia ex supradictis facile cuivis constat. Vide Consultat. art. 21. Defens. libelli de officio pii viri p. 849. & epist. 19. qvae est ad Joan. Molinaeum.

De sententia G. Wicelii lege Dissertationem ejusdem super hoc argumento Lipsiae impressam anno 1538. Et Method. concord. c. 14. *Qvid vero*, inqvit, *consilii dabitur, ut non prorsus sublata intercessione sanctorum, amicitia inter nos sancta fiat?* Ecclesiastici ponant modum dogmati suo, & non faciant articulum symboli ex pia persvasione. Partes non vociferentur impium, qvod est probabile, nec obturbent cupientibus suis precibus interceſſionem cœli civium accedere. *Æqva, ni fallor, haec conditio est, qvam si utrique accipiant, atqve eam non refugiant, pax est.*

Archi-

Archiep. spalat. l. 7. de Rep. eccles. c. 12. n. 20. & aliqvot seq *invocationem humanam*, &, ut loqvitur, *civilem angelorum*, *B virg. Mariae*, & *sanctorum in cœlis beatorum*, *antiqvam Ecclesiam puram adhuc & incorruptam usurpasse*, *fuse probat ex Patribus*; licet qvaedam, qvae allegat, testimonia, ex scriptis tantum dubiis, vel supposititiis deprompta sint. Et n. 27. ad ea, qvae Protestantes communiter objectant, qvod scilicet *absqve aliqva aut Dei aut Christi injuria non fiat*, qvod *sanctorum animae nostras invocationes non audiant*, deniqve qvod *nullum sit scripturae mandatum*, *vel exemplum*, *aut promissio de invocatione sanctorum*, respondet, & n. 28. docet, qvo sensu Augustinus de Civ. Dei l. 22. c. 10. negaverit sanctos a nobis invocari. Pag. 330.) Et tandem partes ad mutuam tolerantiam sic hortatur: *Ne ergo propter hunc invocationis sanctorum ritum schismata fiant. Qvi sanctos invocant, caveant, & plebem instruant saepissime, ne adsit periculum indebiti & illiciti sanctorum cultus idololatrici*, & bene has invocationes perpurgent, ac sanctorum invocandorum habeatur delectus, *cum sola canonizatio papalis non sufficiat: qvi vero invocationes hasce abjecerunt*, ne illas absolute ut in se malas damnent, si caute fiant, *sed ut periculosas omittant*, *& neutri alteros abjiciant*, *sed cum charitate tolerent*. Sic ille.

J. Barnesius in libro & loco* supra memoratis: *Bonum est, qvandoqve rogare sanctos, ut Deum*

* Supra] Pag. 285.

pro nobis orent ex affectu humanitatis, qvo ipsi in nos feruntur. Et ex praxi interpellantium sanctos, non est necesse inferre, eos nos certo audire. Satis est, interpellatores eorum pie id credere, se ab illis audiri. *Et theologi docent*, ad actum virtutis moralis, qvalis est religio, sufficere, pie credere, qvod adsit objectum, circa qvod versatur, *ut ad exercitium eleemosynae, satis est credi, illum esse pauperem, qvi stipem mendicato petit: esto, pauper non sit. Ita ut conversemur cum sancto, sat est, pie credere, eum rerum nostrarum curam gerere. Credulitatis hujus suspiciones non desunt probabiles.* Vide reliqva, qvae subdit, supra p. 285. 298. & auctorem Examinis pacifici, cap. 1. p. 10. versionis anglicanae, item auctorem libri de Traditionibus catholicis, qvaest. 40. ubi *invocationem sanctorum nec scripturis repugnare, neqve etiam inanem & inutilem esse*, licet sancti omnes interpellationes nostras non cognoscant, ex mente orientalis Ecclesiae ostendit; immo *ritum hunc ab antiqvitate in universali ecclesia receptum esse*, affirmat. Vide etiam finem tractatus pag. 233. 234. ubi controversiam hanc, inter orientalem Ecclesiam praesertim & Protestantes, *in verbis tantum* sitam esse judicat.

CAP.

Pag. 331.

CAPUT V.

Variae corruptelae & fœdi abusus in doctrina & praxi hodierna Ecclesiae romanae circa invocationem sanctorum monstrantur, & breviter refutantur.

AUdacter, si non etiam falso, docent multi hodie Romanenses, certum esse, immo de fide, qvod *sancti omnes orationes, qvas ad illos fundimus, etiam qvae solo cordis affectu proferuntur, cognoscant.* Bellarm. de Sanctor. beatit. lib. 1. cap. 20. *Etsi*, inqvit, *dubitatio esse possit, qvemadmodum cognoscant absentia, & qvae solo cordis affectu interdum proferuntur, tamen certum est, eos cognoscere.* Alexand. Pesantius in prima thes. qvaest. 12. artic. 10. disput. 7. concl. 6. *Notandum, qvod est de fide, beatos cognoscere orationes, qvas ad illos fundimus: alias frustra fierent.* Similiter docent & multi alii. Vide, qvae supra contra hanc sententiam disseruimus.

Non solum *ab angelis*, sed etiam *a sanctis regi & gubernari omnes fideles viventes*, male a Bellarmino lib. praedicto cap 18. aliisqve plurimis, ut dogma certum, statuitur. Neqve loca, qvae citantur ex Apoc 2. & 3. & Matth. 24. necessario aut clare id evincunt. Videantur doctissimi interpretes etiam e Romanensibus in loco. Consulantur etiam Protestantes. Existimarunt

qvidem veterum multi, *martyres*, utpote speciali prae aliis privilegio donatos, *nostros esse praesules*, ut loqvitur Ambros. lib. de Viduis, *& speculatores vitae actuumqve nostrorum*, sed probabili tantum opinione; certum autem id esse, & de fide, nunqvam statuerunt: neqve etiam sine expressa revelatione statuere potuerunt.

Male tam solicite & anxie scriptores multi, sed concionatores longe plures in Ecclesia romana, invocationem sanctorum urgent; perinde ac si *hujusmodi invocationis necessitatem* populo maxime persvasam optarent: qvam tamen aperte defendere non audent, doctiores saltem & modestiores ex iis. Pag. 332.) *Etsi enim bonum sit qvandoqve rogare sanctos*, inqvit J. Barnesius, *ut Deum pro nobis orent ex affectu humanitatis, qvo ipsi in nos feruntur*; tamen utilius est Deum religiose orare. *Et de hac re monerí deberet populus, ne plus religionis putent esse in rogandis sanctis, qvam in orando Deo.* Atqve hic citat Chrysostomum, qvi homil. de Profectu evang. expresse monet: *Per te ipsum Deum preceris. Neqve tam facile Deus annuit, cum alii pro nobis orant, ut cum ipsimet oramus.* Et Theophyl. in cap. 15. Matth. *Licet*, inqvit, *sancti orent pro nobis, tamen nos pro nobis ipsis petentes magis audimur.* Jac. Sadoletus, episc carpentoract. Epist. l. 4. ep. 2. ad Erasmum: *Illud item censuerim, cum jam accepta vulgo qvaedam sint, qvae suapte natura ita redolent pietatem, ut salum in eis*, qvod nimium est, subaccusari posse videatur; (*cujusmodi est*, qvorundam

san-

sanctorum veneratio, & picturarum crebritas) *non esse popularibus studiis obsistendum : non qvin* multo sit rectius, figere in Christo cogitationum summam; sed neqve ista a fide nostra aliena sunt, *& non qveunt omnes ad sublimiora illa facile ascendere.* Haec ille, sanctorum interpellationem non qvidem damnans, qvam a fide nostra non alienam esse censet, agnoscens tamen ingenue, multo rectius esse, in Christo cogitationum summam figere. Sed nimis molliter alas superstitionis popularis tangit, & tangi vult, cum ait, *populi opinionibus & studiis non esse obsistendum.* Dominicus Sotus de Justitia & jure l. 10. q. 5. p. 993. *Supremus scopus orandi esse debet, cor & mentem, qvam maxime fieri qveat, deificare. Qvocirca si possibile esset, in deitatem ipsam satius semper foret attendere. Qvod si vel in alios sanctos, vel in sacram virginem attendatur,* non sic debet illic mens gradum figere, ac si ultimus esset scopus: *de qvo indocta plebs saepissime errat, sed debet id tanqvam medium accipi, per qvod ad divinitatem, qvantum Deus dederit, ascendatur. Qvapropter oratio a sanctis sic describitur, qvod sit* ascensus mentis, *non in divas neqve in alias suppremas substantias, sed in Deum ipsum.* Haec ille. *Archiep. spalat.* de Rep. eccl. lib 7. cap. 12. n. 28. *Cum necessaria non sit invocatio sanctorum, & tutior ac utilior pro nobis precator sit Christus,* tutius & utilius erit, *ad ipsum solum confugere.*

J. Hofmeisterus, post multa e Patribus de invocat. sanct. testimonia coacervata, tandem,

concludit illa sententia, Pag. 333.) qvae extat, in libris de Visitatione infirmorum, qvi Augustino adscribuntur, lib. 2. cap. 2. *Tutius & jucundius loqvor ad meum Jesum, qvam ad aliqvem sanctorum spirituum Dei: plus debet mihi Christus, qvam alicui cœlestium spirituum.*

Sancti *orationis & intercessionis mediatores*, nisi in significatione vocis *mediatoris* perqvam lata, impropria, & scripturis inusitata, male a qvibusdam, immo a plurimis Romanensibus appellantur. Sed multo pejus eorum suffragia & preces hoc animo expetuntur, qvasi sint *exorabiliores Deo & Christo.* Sicut enim unus est Deus, ita qvoqve unus est mediator Dei & hominum, homo C. J. 1. Tim. 2. 5. *Homines omnes christiani*, inqvit Augustinus lib. 2. contra Parmenian. cap. 8. *invicem se commendant orationibus suis: pro qvo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verusqve mediator est.* Jo. Hesselius in 1. Tim. 2. *Ob eam causam*, inqvit, *Christus dicitur* mediator Dei & hominum, *qvia Deum hominibus reconciliat placando eum super peccatis commissis, & impetrando nobis spiritum obedientiae, qvo deinceps placeamus Deo. Itaqve ex dictis manifestum est*, sanctos homines & angelos non esse mediatores, ut scriptura loqvitur, *qvia non possunt per se ipsos Deo placere; immo ut impropria locutione mediatores dicantur, non tamen mediatores esse Dei & hominum, sed, sit ita loqvendum est*, mediatores ad mediatorem. *Qvicqvid enim aut angelus aut homo sanctus a Deo petit, id petit per Christum media-*

diatorem, neqve ipse ad Deum immediate accedit, ut Christus. Claud. Espencaeus in Digressione de Christo mediatore ad 1. Tim. 2. 1. cap. 120. *Non est*, inqvit, *qvod moderni hinc* (qvia scil. sancti pro nobis orant) *tam vulgarem de mediatore existimationem habeant, ut* alios mediatores, *nisi forte valde late & improprie captos, interponant, cum* mediatoris presse proprieqve accepti ratio *non in hoc sita sit, qvod pro caeteris oret; numqvid enim omnes tibi mediatores, qvi pro te orent? ergo universi, qvantumlibet peccatores, invicem alii aliis omnes omnibus mediatores sunt: sed in hoc, qvod reliqvorum omnium preces & merita in eo, ejusqve nomine, & per eum Deo placent & accepta sunt, Joh. 14. 16.* Pag. 334.) Jo. Barnesius: *Sancti non sunt mediatores nostri apud Deum, qvi interveniunt inter Deum & nos: sed potius sunt praeclara Christi membra, qvae dignantur esse nobiscum* collaterales comprecatores, *qvi se nobiscum facto agmine prosternunt coram agno, mediatore Christo, ut Deus per ipsum velit nobis esse propitius.* Qvod *mediatores* eos interdum appellant Patrum aliqvi, ut objicit Bellarm. l. cit. cap. 20. cum aliis multis Romanensibus, nominatim Bernardus, qvem *ultimum Patrum* recte cum N. Fabro appellaveris, ut supra dictum, id non nisi improprie & catachrestice faciunt. Qvomodo autem *majore studio, & pleniore fiducia plerique virginis matris & aliorum sanctorum*, qvos sibi patronos & advocatos delegerunt, nonnunqvam etiam obscurorum & incertorum, qvam

ipsius

ipsius Christi patrocinio & intercessioni se commendarint, *ac proprios Christi*, tanqvam jam advocati & intercessoris officio defuncti, *titulos ad matrem, tanqvam potiorem, vel certe leniorem & mitiorem*, transtulerint; neqve id a vulgo tantum imperito factitatum, sed etiam doctorum theol. scriptis & concionibus comprobatum, vide Cassandr. in Defens. libelli de officio pii viri p. 849. 850. & in Consult. art. de Meritis & intercessione sanctorum, aliosqve permultos. Inepte a Bellarm. de Bonis operibus in partic. lib. 1. cap. 15. singulae partes antiphonae illius, qvae incipit, * *Salve Regina*, in B. Mariam rectissime convenire asseruntur, & scripturae manifestissime eo detorqventur ab illo.

Qvod Ecclesia romana in solennibus qvoqve precibus ad Deum Patrem, *non tantum sanctorum intercessione, sed etiam meritis per Christum juvari* postulat, & qvidem more vetustissimo, (nisi sancti suis meritis, i. e. ex condignitate suorum operum, qvae ex justo & aeqvali valore ac pretio, pondere ac mensura, praemio vitae aeternae respondet, ut qvidam Romanenses, praesertim Jesuitae, hodie docent, qvae postulamus, nobis obtinere intelligantur) errore & culpa omni vacare, ingenue confitentur doctissimi qvidam Protestantes. M. Bucerus in disputatis Ratisbonae anno 1546. p. 596. *Cum in his precationibus* (intelligit publicas Ecclesiae preces, qvas

* Salve Regina] Vide Wicel. in Elencho abus. p. 24. edit. coloniensis.

qvas *collectas* vocant) *qvicqvid divorum tribuitur intercessionibus, vel meritis*, id totum non ab ipsis divis, sed a misericordia Dei, & per D. N. J. Christum petitur, *eo ipso, qvi sic orant, confitentur & testantur, se ea,* Pag. 335.) *qvae a Deo per sanctorum intercessionem & merita orant, agnoscere* esse gratuita Dei dona, *ne ipsis qvidem divis, per qvorum merita illi orant, debita,* & Deum divos suos glorificare, *ut propter ipsos etiam hominibus beneficiat. Nam & nos istud libenter agnoscimus atqve praedicamus*, Deum sanctorum suorum bona opera remunerari, non tantum in ipsis, verum etiam in iis, qvi ad illos pertinent, & pro qvibus intercedunt ipsi: *promisit enim se diligentibus, & in suis praeceptis ambulantibus benefacturum in mille generationes. Hinc domum Abimelechi regis, non nisi* Abraham *intercedente, sanare voluit,* & Moisi *donavit salutem totius populi, cum pro eo intercederet, ac* D. Paulo *animas omnium cum ipso navigantium.* num. 176. Haec ille. Idem contra abrincensem, *sanctis seu divis*, ut ipse appellat, *cœlestibus tribuit nostri summam charitatem, nostraeqve salutis voluntatem, Deo qvoqve illos tanti esse, ut propter eos nobis plurima largiatur.* Ibidem: *Sicut fidem ipsam*, inqvit, *bonorum operum ac meritorum fontem, donum Dei gratuitum agnoscimus, sic* & ipsa opera & merita, Dei gratuita munera confitemur, *qvae ex se nihil, ex dignitate autem Dei meritoqve Christi, id sive nobis, sive aliis merentur, qvod illis Deus ex ultronea sua benevolentia rependere statuit.* Ibidem: *Fatemur, eam esse communi-*

munionem Ecclesiae, ac mutuam Spiritus sancti totius divinae beneficentiae subministrationem, ut alii aliorum gratia, ingentia a Deo beneficia, tum interna tum externa, percipiant. Verbis illis Buceri primo citatis R. Fieldus in Appendice libri tertii de Ecclesia pag. 224. neminem Protestantium contradicere asserit. Videatur qvoqve Cassander in Consult. artic. de Meritis & intercessione sanctor. p. 971. & epist. 34. ad Renierum Solinandrum pag. 1127. & 1128.

Perperam non tantum intercessionem, sed *ipsa cœlestia*, non terrena duntaxat, *bona* a sanctis petunt & expectant: & qvum Ecclesia universa, ut inqvit Bellarminus lib. 1. de Bonis operib. inparticul. c. 15. in hymno ad virginem dicit, Pag. 336.)

Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.

Et in hymno Apostolorum:

Qvorum praecepto subditur
Salus, & languor omnium,
Sanate aegros moribus,
Nos reddentes virtutibus.

ægre Bellarminus haec & id genus alia excusans, inqvit: *Notandum est, cum dicimus*, non debere peti a sanctis, nisi ut orent pro nobis, *nos non agere de verbis, sed de sensu verborum: nam qvantum ad verba, licet dicere*, S. Petre, miserere mei, salva me, aperi mihi aditum cœli, *item*, da mihi sa-

hi sanitatem corporis, da patientiam, da mihi fortitudinem, &c. *dummodo intelligamus*, salva me, & miserere mei *orando pro me*, da mihi hoc & illud *tuis precibus & meritis*. lib. 1. de Sanct. beat. c. 17. Affirmat qvidem ille sic loqvi *Gregorium nazianzenum* orat. in Cyprianum, & in Basilium, & alios multos veterum. Sed *qvis in dictis illis*, suscipe, dirige, pasce, ostende, abige, *& si qva id genus alia sunt, durissimam ἀκυρολογίαν & catachresin non inesse videt*, ut recte ait Georg. Wicelius commentariolo de Intercessione divorum, & qvidem non in privatis, nedum in publicis ecclesiae orationibus ad imitationem trahendam?

Verissime & certissima ex scientia Archiep. spalat. * l. supra cit. n. 28. *Plebem rudiorem*, inqvit, *religiose sanctos invocare, & magis plurimos interne religioso affectu erga B. virginem aut aliqvem sanctum affici, qvam erga Christum, non est dubium. Neqve enim invocant sanctum, tanqvam precatorem, sed tanqvam principalem adjutorem. Neqve dicunt*, ora, *sed*, adjuva, occurre, salva. *Neqve aut exprimunt, aut mente intelligunt, ut haec fiant orando, sed ut ipsi sancti seipsis immediate haec faciant, eosqve rogando plurimi virgini* Mariae & sanctis se totos, totam animam, totum spiritum, & in spiritualibus penitus subjiciunt; *qvae est idololatria qvaedam formata.*

Wicelius, l. c. *In periculis*, inqvit, *invocare sanctos*, Pag. 337.) *inventum est superstitiosorum, aut*

* L. supra cit.] Pag. 332.

aut certe incautorum, quorum gratia Meschichim seu Christiani nos apud Judaeos male audiamus. Vereor, ne tale cedat in opprobrium neglecti Dei, qui adjutor est in tribulatione, ut dicitur: Invoca me in die tribulationis tuae, *unus servator tam corporis quam animae existens, utpote qui unus utrumque concedit, quique unus utrumque sospitare potest. Vtinam vulgus fidelium errore liberaretur, quo hactenus praesidio sanctorum plus fisus est, quam Dei sui.* Vide prolixam hujus sententiae defensionem in lib. 4. Ep. Wicelii, cujus summam Balthasar Lydius studiose in Notis in Disput. taborit. pag. 125. collegit. Lege etiam multa in hanc sententiam (*divos non invocandos, ut salvent, sed ut pro nobis intercedant, implorandos*) in Postill. Wicelii super evang. dom. 5. post natalem Christi, pag. 154. *Non haec dicimus*, inqvit sub finem, *qvod litaniam eccles. velimus correctam aut abolitam. Aliud est*, sanctos auxiliatores invocare, *& aliud*, ad intercedendum pro nobis ad Deum implorare. *Sacrosancta est litania, qvae dicit*, Salvator mundi, adjuva nos, salva nos; *item*, S. Maria, ora pro nobis; Sancta Dei genetrix, ora pro nobis. *Nusqvam audis Ecclesiae cantum alium. Qvae unqvam Eccl. cecinit*, Salvator mundi, ora pro nobis? *aut*, S. Petre, adjuva nos? *Qvam velim, eos qvi sese Ecclesiam esse volunt & contendunt, mentem Ecclesiae rite perspicere, & satis perspectam, tandem strenue etiam mordicus asserere! Qvod nisi fecerint, & schismatum & superstitionum materiam dabunt, de utroqve errore Domino aliqvando poenas daturi.* Haec ille. Th.

Thomas aqvinas in 2. 2. qvaest. 83. artic. 4. diserte docet, *nos non porrigere sanctis preces nostras, qvasi per ipsos implendas*, (*solius enim*, inqvit, *Dei est, gratiam & gloriam dare.* Psal. 83. vel 84. v. 12.) *sed qvasi per ipsos sua intercessione impetrandas.* Et Bellarm. ipse cap. illo 17. propositione prima idem docet & valide probat, licet male sibi conscius, & gnarus, plura a multis doctoribus rom. eccl. Sanctis adscribi, cautelam illam, *Notandum tamen est*, de qva dictum p. 336. praecedente, postea subjiciat. Similiter & card. Perronius in Replic. orationem ad sanctos, *tantum ut pro nobis orent*, (*pour prier pour nous*) adstruit. Vide etiam Resp. episc. winton. pag. 57. & seq. Pag. 338.) Hosii Confess. cathol. fidei cap. 58. Enchirid. colon. p. 254. & Estium in Ephes. 3. 12.

Certe vix gravius a Collyridianis, Epiphanii seculo, in provocatione & cultu B. virginis peccatum fuit, qvam hodie non tantum a rudi plebe, sed etiam a plerisqve rom. Ecclesiae doctoribus peccatur. Qva de re supra nonnihil a nobis dictum est. Audi nunc paucis alia, nonnulla. In nonnullis eccl. canitur: *Ora matrem, & jube filio, &c.* item: *O felix puerpera, nostra pians scelera, jure matris impera redemtori.* Hoc negat Bellarm. lib. 1. cap. 16. negat & Hayus Disput. lib. 2. cap. 6. contrarium affirmante Cassandro in Consult. loco supra citato; sed habet tamen Missale inviolatae reformationis Fontisebrandi, concordi omnium conventuum

consensu Parisiis tersum & emaculatum anno 1534. in prosa, cujus initium, *Mariae praeconio serviat*, fol. 41. In aliis etiam de B. Maria prosis multa impia legere est. Deinde defendit Bellarm. sed timide, inqviens: *Praeterea si Jos. 19. dicitur*, Obediente Deo voci hominis, *cur non posset aliqvo modo dici*, filium Dei obedire matri aliqvid petenti? Sed impudentius id facit P. Cotton. Vide Chamier. l. 20. de Cultu creaturarum. cap. 1. Erasm. contra Bedam p. 500. & 515. Bedam p. 250. & Erasm. rursus pag. 955. 956. B. Virginis Psalterium, Bonaventurae vulgo adscriptum, de qvo Vide Cassand. l. c. & *qvod*, inqvit Wicel. in Via regia, *excogitavit & evulgavit in angeli figura ipse diabolus, altum domientibus Episcopis, & negligentibus Praelatis*, cardin. Bellarminum haud ita pridem defendere non puduit in Apolog. contra M. Brit. Regem. Vide Resp. If. Casaub. in epist. ad card. Perronium pag. 928. nec non P. Molinaei Resp. ad C. Perron. lib. 7. cap. 14. pag. 47. 48. Qvae ex Gabr. Bielis in Can missae lect. 80. ex Barradio jesuita in Concordiam evang. tom. 1. l. 6 c. 11. atqve aliis etiam permultis citari possent, cum apertae non superstitionis tantum, sed etiam impietatis plena sint, prudens omitto. * Clarus Bonarscius i.e. per anagram. Carolus Scribanius, jesuita, auctor *Amphitheatri honoris*, vel horroris potius, ut jure appellandum esse censet Is. Casaub. in epist. ad Front. Ducaeum pag. 716. &c. qvem librum

* Clarus Bonarscius.] Vide Place. de Pseudon. p. 166.

librum socii, tanqvam exqvisitae eruditionis plenum laudant, lib. 3. p. 356. ad Divam hallensem & puerum Jesum hoc impium scribit carmen:

Haereo lac inter, meditans, interqve cruorem,
Inter delicias uberis & lateris;
Et dico, si forte oculos supra ubera tendo:
Diva parens, mammae gaudia posco tuae.
Sed dico, si deinde oculos in vulnera verto:
O Jesu, lateris gaudia malo tui.
Rem scio. Prensabo, si fas erit, ubera dextra,
Laeva prensabo vulnera, si dabitur.
Lac matris miscere volo cum sanguine nati;
Non possum antidoto nobiliore frui.

Pag. 339.) Judicium D. Leidhresseri, viri doctissimi & moderatissimi, in dissertatione sua politica super doctrinae capitibus inter Academiam paris. & Soc. J. Patres controversis, excusa Francof. an. 1613. l. 2. c. 3. p. 95. de hoc Car. Scribanii, qvi inter alia multa a se edita, etiam de Cultu & invocatione sanctorum librum emisit, scripto, mihi non probari non potest: *Certe*, inqvit, *de Amphitheatro honoris qvum loqvuntur aut scribunt* (Jesuitae,) *tanqvam de opere omni eloqventia & eruditione exculto, qvam ipsi sint istarum rerum periti, satis ostendunt. Qvid enim, qvaeso, post literas natas visum est spurcius, turpius, ineptius? Et tamen illius operis autor, tanqvam is in rep. literaria censuram, vel potius dictaturam obtineat, de praestantissimis & consummatissimis qvibusqve hominibus audet sententiam ferre. O stupendam perditissi-*

mi nebulonis audaciam! O vesanam eorum vecordiam, qvi se huic homini, a qvo eorum societas tam erudito volumine defensa est, plurimum se debere profitentur!

Ex pictura etiam in sylvaducensi templo (referente G. J. Vossio in disp. theolog. 3. de Invocatione sanct. thesi 21.) ab episcopo Masio constituta, apparet, qvomodo se dubitare profiteantur, utrum ad ubera virginis Mariae, an ad sanguinem Christi sit recurrendum. Lipsii delirantis ineptias in Hallensi sua diva, ut & in altera Aspricoll. *ad qvam*, inqvit, *non solum viri magni & religionis nostrae antistites, sed ipse meus animus, vocarunt*, haud moror. Videsis G. Thomsonum lib. 2. adversus J. Lipsii Pseudoparrhenon aspricoll. Card. Bellarminus hac solemni doxologia libros suos omnes de controversiis concludit: *Laus Deo, virginiqve matri Mariae.* Et *Laus Deo, virginiqve matri Mariae, Deo item J. C. aeterno filio laus & gloria*, legitur in fine controv. de Cultu sanct. Lugduni editarum an. 1596. Pag. 340.) Ita & Gregor. de Valentia: *Laus Deo, opt. max. & virgini matri sanctissimae: Deo item Jesu Christo Domino nostro sacerdoti, & sacrificio propitiatorio in aeternum honor & gloria.* In fine libror. de Missae sacrif. tom. Controv. p. 839.

Superstitione crassa & detestabili officia inter Sanctos & orationes sunt distributae. Frustra molitur hujus superstitionis ulcus tegere Bellarm. cap. 20. cum aliis multis Romanensibus. *Superstitionem interpretor*, inqvit Erasmus in epist. supra

supra citata ad Jac. Sadoletum; *quum omnia petuntur a divis, quasi Christus sit mortuus; aut quum hoc animo divorum opem imploramus, quasi sint exorabiliores Deo; aut quum a singulis peculiaria quaedam petimus, quasi hoc possit praestare Catharina, quod non potest Barbara; aut quum illos inclamamus, non ut intercessores, sed ut autores eorum bonorum, quae nobis largitur Deus. Haec admonere, non arbitror tibi impium videri, ne supervacaneum quidem, sat scio, si prodigiosam nostratium hac in re superstitionem cognosces. Irrepsit, fatemur*, inqvit autor Enchiridii colon. in explicat. decalogi pag. 254. *pastorum dormitantium incuria, error in Ecclesiam, quo vulgus verae pietatis non satis intelligens, singulorum morborum curam singulis sanctis assignavit. Hic itaque vigilandum est parochis, ut plebem a superstitione contineant, & ad pietatem revocent. Quod fecerint, si populum docuerint, ut Deo, tanquam omnis boni ac salutis tam spiritualis quam corporalis autori, suas preces offerat, sanctis vero* non aliter, qvam intercessoribus, *conjecta interim omni cura in solum Deum. Multi Christiani*, inqvit Ludov. Vives in Notis in Augustin. de Civit. Dei lib. 8. cap. ult. *in re bona plerumque peccant, quod divos divasque non aliter venerantur, quam Deum. Nec video in multis, quod sit inter illorum opinionem de sanctis, & id, quod Gentiles putabant de diis suis, discrimen.* Haec verba, ex censura Facultatis theolog. lovan. omissa sunt in editione Augustini de C. D. paris. A. 1613.

Multi etiam Sancti obscuri, immo & qvidam

dam incerti (qvorum historias apocryphas & incertas esse ipsimet Romanenses, ut Bellarm. Serar. aliiqve non diffitentur, sed eos in rerum natura extitisse, aliqvando rigidiores Protestantes, nimis forte audacter, inficiantur) in ecclesia romana invocari solent. Pag. 341.) Ex horum numero sunt *Georgius*, *Christophorus*, *Catharina*. Assertionem historiae S. Georgii cappadocis contra objectamenta Jo. Rainoldi aliorumqve edidit anno 1631. Petrus Heylinus, anglus, qvem consule, si libet. Sed de S. Georgio, caeterisqve, de qvibus dubitatur, adisis Serarium de Litan. aliosqve nonnullos.

Alios abusus & superstitiones Romanensium in invocatione sanctorum tangere, non patitur brevitas nobis proposita. Sed, ut diatribam hanc tandem concludamus; Deus solus religiose adoretur, solus oretur per Christum, mediatorem inter Deum atqve homines vere & proprie loqvendo unicum & solum. Vetustissima consuetudo, in universali Ecclesia tam graeca qvam latina recepta, angelos & sanctos, ad eum, qvem diximus, modum interpellandi, *ne ut impia, neqve etiam ut vana & stulta* a rigidioribus Protestantibus *damnetur aut rejiciatur: fœdi autem abusus & superstitiones, qvae irrepserunt, tollantur*; atqve sic pax in posterum, qvoad hanc controversiam, inter partes facile conciliari & sanciri poterit. Qvam concedere dignetur

tur Deus pacis & omnis concordiae piae, propter filium suum unigenitum.

Soli Deo gloria.

Pag. 343.

Consideratio
hodiernae controversiae
de
Christo mediatore & ejus merito,
a cardinale Bellarmino lib. V. de Christo pertractatae.

CAP. I.

Qva disseritur, secundum qvam naturam Christus sit mediator.

Christum, qva Deus erat, etiam antequam incarnaretur, inter Patrem & angelos, atqve etiam homines, in statu innocentiae constitutos, *mediatoris officio functum*, perperam arbitrantur multi rigidorum Protestantium, ut Calvinus in epistolis suis ad Polonos, qvarum alteram omnium Ministrorum Ecclesiae gene-

vensis nomine contra Stancarum scripsit, epist. 352. Pag. 344.) & Ministri rhaeticar. ecclesiar. in disputatione tiranensi contra Pontificios, anno 1595. & 1596. super hac ipsa controversia habita, parte 1. p. 27. & parte 3. p. 159. & aliqvot seq. (de hac disputatione, ut obiter te hoc moneam, lector benevole, vide Thuani Histor. lib. 114. p. 597.) aliiqve non pauci. *Propter Christi incarnationem* qvidem, *& merita ejus praevisa, non solum primo homini, sed etiam angelis omnem gratiam collatam*, post Rupertum lib. 13. in Matth. & lib. 3. de Processione Spir. sancti cap. 20. senserunt aliqvot antiqviores Scholastici, & qvidam recentiores, plerisqve tamen aliis theologis romanens. dissentientibus, (vide inter alios Vasqvez. in 3. D. Thomae, tom. 1. disp. 10. cap. 4. & L. Lessium in disputat. de Praedestinatione Christi. Lege etiam inter Protestantes, Armin. in Collatione cum Fr. Junio p. 143. 144.) *sed mediatoris etiam officio functum, qvatenus Deum*, non nisi periculosissime dici potest, ut mox dicemus.

Christum etiam sub vet. testamento, qvando nondum carnem assumpserat, sed Deus solum erat, in qvibusdam jam actu mediatoris munus obiisse, falso dicitur. Lubet hic apponere verba nuperi scriptoris Andr. Riveti, qvi in comment. in cap. 12. Hoseae, hanc qvaestionem pertractans p. 357. sic scribit: *Et sane de qvibusdam actionibus, immo de omnibus, qvae proprie ad redemptionem pertinent, & munus sacerdotale, non contendimus; qvia certum est*, talem obedientiam non potuisse actu

actu praestari, * nisi in humana natura actu existente, & per eandem. *Quod si* reconciliator *dictus fuerit Christus, filius Dei, & pro redemtore & propitiatore habitus a fidelibus, ante adventum suum, quod certe necessarium fuit, id intelligi non potuit, nisi* respectu humanitatis suo tempore assumendae, *per Deum ante omnem aeternitatem* (dicendum fuit, *ab omni aeternitate*) *destinatae ad id, &c. Sed praeter illam rationem, qua filius Dei mediator dici potuit & redemptor, non quod tunc aliquem hujus officii actum exercuerit extra carnem, dicimus etiam*, eum ante incarnationem potuisse aliquos mediatoris actus exercere, quibus caro assumta non fuit actu necessaria; *& si quae tunc fecit mediatorio nomine, ea non fuisse sine aliqua relatione ad futuram incarnationem, cujus communicatio illa cum hominibus per œconomiam in persona sua, fuit velut praevium quid, & indicium certum, &c.* Et paulo post: *Filius Dei fuit semper mediator omnis doctrinae cœlestis, quatenus per ipsum Deus se hominibus patefecit.* Pag. 345.) *Praeterea si aliqua ratione Christus fuit mediator ante assumtam carnem, sequitur, esse etiam mediatorem secundum divinam naturam; ergo etiam, qua Deus, fuit & est mediator.* Sic ille. Sed falsae huic sententiae libet opponere verba Johannis Piscatoris, scriptoris alioqui rigidissimi, sed in hac causa multo multis aliis Protestantibus sanioris. In Responsione ad Amicam du-

* Nisi in humana natura.] Idem affirmat idemmet Rivetus in Pl. 110. p. 157.

plicationem Vorstii parte 2. p. 19. haec ille contra Vorstium scribit: *Qvod ad officia Christi attinet, certum est*, nullum officium, qvatenus officii rationem habet, ad naturam ejus divinam pertinere. *Qvia* officium *est opus, alicui a superiore mandatum atqve praescriptum, ad efficiendum. At naturae divinae seu Deo, qvatenus est Deus, nihil mandari a qvoqvam potest: qvippe qvum non habeat aliqvem superiorem. Est igitur a majestate Dei alienum, ut officium ei aliqvod adscribatur. Interim certum & hoc est*, Christum officiis qvibusdam suis (puta sacerdotali & regio) fungi non potuisse, neqve adhuc posse, nisi non tantum homo, sed etiam Deus esset. *Ad propheticum vero ejus officium qvod attinet, potuisset illo fungi, etiam si nudus homo fuisset, qvales fuerunt reliqvi prophetae. Itaqve tu hic erras, qvum dicis*, munus propheticum ad Christum totum, h. e. secundum utramqve naturam, pertinere. *Item, qvum dicis*, omnia mediatoris officia sic comparata esse, ut ad legitimam ipsorum executionem nullum aliud suppositum, seu principium agens, qvam tota Christi persona, qvanta qvanta est, vel aptum, vel sufficiens, vel dignum sit. *Hoc enim de sacerdotali tantum & regio Christi officio verum est, de propheticо non item.* Et p. 20. *Etsi Christus, qvum loqveretur, ut minister circumcisionis, non nudus homo, sed Deus simul & homo erat; tamen tum loqvebatur ut nudus homo, non autem ut Deus, qvia loqvebatur ut propheta; prophetico autem munere fungi, a Deo, qva Deus,*

us, alienum est. Et p. 81. *Christus tum* (in vet. test. scilicet) *non est functus officio ullo mediatoris: quippe ad quae peragenda requirebatur, ut non solum Deus, sed etiam homo esset. Etsi autem officia illa in novo demum test. peregit; tamen ut Deus etiam electos vet. test. & illuminavit & servavit.* Et ad locum 1. Pet. 3. 19. a Vorstio objectum sic respondet ibidem: Pag. 346.) *Quod 1. Pet. 3. 19.* Christus *dicitur* praedicasse spiritibus, *id non est intelligendum tanquam proprie dictum, de officio scilicet ejus prophetico: ad quod requirebatur, ut praedicaret in assumpta natura humana, & per illam, ore scilicet suo evangelium annuntians; sed intelligendum illud est per metonymiam subjecti,* de praedicatione per Noachum facta, *quippe quem potentia sua divina ad haec excitavit.* Et p. 89. *Dicis, regenerationem esse proprie officium mediatoris. At Deus electos regeneravit in vet. test. antequam Christus in mundum per incarnationem veniisset, & officio mediatoris fungeretur.*

Verum qvidem est, Gal. 3. 19. ubi dicit Paulus, *legem ordinatam per angelos in manu mediatoris, per mediatorem* plerosqve tam Grecos qvam Latinos, (ut recte annotat Estius in locum) intelligere Christum, ut sensus sit: legem israelitico populo traditam fuisse per manum, i.e. virtutem, potestatem, & directionem mediatoris Christi, populum illum in suum adventum hoc modo praeparantis. Sed loqvuntur Patres illi (ut respondet Bellarm. de Christo mediatore lib. 5. cap. 8.) de mediatore materialiter, non forma-

formaliter: non enim dicunt, Christum fuisse mediatorem, aut meditatoris proprie loqvendo munus in lege Hebraeis danda obiisse, sed dicunt, Christum mediatorem, i. e. illam personam, qvae postea futura erat mediatrix, atqve etiam erat, licet non actu, tamen in decreto & destinatione Dei, esse verum Deum, & auctorem legis. Diserte enim Chrysostomus & Theophylactus hic dicunt, *legem tulisse Christum*, ut ita in arbitrio ejus sit, eam rursus tollere, qvippe qvi dominus ejus sit. Vnde clarissime seqvitur, eum non ut mediatorem, sed ut auctorem primarium id feciſſe. Nec enim mediator est auctor, nec legem abrogare potest, qvi non est auctor, ut recte affirmat Bellarminus.

Veterum tamen nonnulli alii (ut ingenue confitetur Chamierus de Vno mediatore lib. 8. cap. 6. n. 5.) per *mediatorem* hoc loco Mosen intelligunt, non Christum; ut Epiphanius contra Manichaeos, Theodoretus, Gennadius, apud Oecumenium, &c. Inter Romanenses, ut alios mittam, Cornel. a Lapide & Gul. Estius in comment. loci. Verba Estii, qvia efficaciora sunt, hic tibi exhibeo: *Alii*, inqvit, *mediatorem hoc loco Moysen intelligunt. Qvi sane intellectus multis modis sit probabilis:* Pag. 347.) *primum, qvia Christus non vet. test. sed* novi mediator est; *qvomodo eum aperte nuncupat apostolus Heb. 8. & 12. Qvo praeterea faciunt, qvae ibidem, nec non ejusdem epist. cap. 2. & 9. de differentia Christi & Moysis qvo-*

ad

ad utriusque ministerium, differuntur. Quam & Joannes brevi sententia aperuit, cap. 1. 17. *dicens:* Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est. *Adde, quod Moyses ipse* sequestrum & medium, *quoad legislationem, inter Dominum & filios Israël se vocat, ac multis deinde verbis declarat Deut. 5. Ad quem locum, hic Paulum respexisse, valde verisimile est. Quamvis autem per* manum *in scripturis metaphorice potentia significari soleat; quoties tamen aliquid a Deo factum dicitur* in manu cujuspiam, *non potentia, sed* ministerium aut instrumentum *intelligitur, ut cum factum dicitur* verbum Domini in manu Aggaei aut Malachiae prophetae. *Atqui legem ministerio Moysis latam a Deo fuisse, planum est; idque hac ipsa phrasi,* in manu Moysis, *multis locis scriptura significat, ut Levit.* 10. 11. *&* 26. 46. *Jos.* 21. 2. 8. *&* 22. 9. *vel* 12. 2. *Paral.* 33. 9. *At ministerio Christi datam aut latam fuisse eam legem, nec dicitur usquam, nec sine errore dici potest.* Haec omnia ille. E Protestantibus Th. Beza prolixa annotatione hanc sententiam defendit contra Joh. Calvini, qui alterum intellectum sequutus est, interpretationem. Bezae judicium Piscator etiam approbat. Alios commemorare nihil necesse est.

Nullo igitur mediatoris officio Christus ante incarnationem functus est. Quamvis enim concederetur, Deum patrem nihil, nisi per Verbum, ecclesiae suae patefeciisse; Christum tamen, qua Deus est, idcirco propheticum munus

(quo

(qvo non summa aliqva & αὐτοκρατορικὴ potestas significatur, sed opera tantum ac ministerium) obiisse, non sine errore dici potest. *Christus* autem *ante suam incarnationem sacerdos esse non potuit*, qvia, ut alia omittam, sacerdotii functio est hominum propria: ideo Christus, ut esset sacerdos, ex hominibus fuit assumtus, ut recte differit ex apostolo A. Rivetus in psal. 110. p. 457. Ecclesiam etiam pari, immo eadem cum Patre & Spiritu sancto potestate rexit & gubernavit, summa scilicet, non subordinata; qvalis est mediatoria. Pag. 348.) Ad qvaestionem autem illam, de qva hodie inter partes tantopere contenditur, *An* scil. *Christus post incarnationem suam mediator fuerit, ut Deus, an vero ut homo, vel certe conjunctim, ut Deus & homo?* piis omnibus, & pacis ecclesiae amantibus sufficiat responsio illa Gregorii de Valentia tom. 4. comment. in Summam D. Thomae p. 381. *Si qvaestio sit*, per qvid Christus proxime & immediate tanqvam per formam & principium operandi, obierit officium mediatoris? *dicendum est, illum mediatorem fuisse tantum, ut hominem. Qvod etiam asseruit D. Thom. 3p. q. 26. artic. 2. Si vero communius qvaeritur*, per qvid omnino mediator fuerit, sive tanqvam per id, qvo proxime exercuerit id officium, sive tanqvam per id certe, a qvo, tanqvam a supposito, valorem acceperit ejus muneris functio? *ex communi & orthodoxa sententia Patrum responderi debet, mediatorem Christum fuisse, non tantum ut hominem, neqve tantum ut Deum, sed conjunctim ut Deum & hominem.* Et paulo post: *Nam primo,*

primo, secundum utramque naturam, licet alia & alia ratione, omnino est operatus reconciliationem nostram cum Deo. Deinde secundum utramque naturam conjunctim, ab utroque etiam extremo per se considerato differt. Ita nihil ad rationem mediatoris eo modo deest. Haec ille.

Nec alia est Bellarmini sententia, quando ait lib. cit. c. 1. *ipsum quidem mediatorem, sive* (ut theologi loquuntur) principium, quod operabatur opera mediatoris, non fuisse Deum solum, vel hominem solum, sed utrumque simul, *h. e. Verbum incarnatum, sive Deum humanatum.* Et cap. 2. *non potuisse Christum esse efficacem mediatorem, nisi esset divina persona, quae officium mediatoris exerceret, ac proinde opera Christi mediatoris infinitae fuisse dignitatis, quia non fuerunt opera suppositi humani, sed divini.* Principium *tamen*, quo illa opera a mediatore fiebant, fuisse naturam humanam, *non divinam.* Fallitur igitur A. Rivetus, quando in comment. cap. 12. Hos. p. 378. affirmat, Gregorium de Valentia paucis illis praeallegatis totam Bellarmini disputationem de mediatore refellere. Et Summae controv. tract. 2. qv. 50. p. 675. contra doctissimum Chamierum, qui sententiam Gregorii de Valentia cum ea, quae est Bellarmini & Vasquesii confundit, discrepare tamen ab ea contendit. Cornel. a Lapide in cap. 3. ad Gal. v. 19. *Christus qua Deus tantum,* Pag. 349.) *sicut & qua homo tantum, pars est, & alterum extremorum; ergo, ut sic, mediator non est, sed ut est Deus homo. Ut enim est Deus homo, sic utramque partem*

& extremum, scilicet tam Deum, quam hominem, in se quasi medio junxit & univit, atque qua Deus, mediatoris auctoritatem & dignitatem: qua homo, mediatoris opera, passiones, & merita exercuit.

Estque haec communis Romanensium sententia. Et sufficere visa est ad pacem & concordiam conciliandam Hier. Zanchio. Nam Epist. lib. 10. epist. ad Fratres per Poloniam: *De mediatore*, inqvit, *qvae nobis videatur posse illis* (ministris scilicet Ecclesiarum polonicarum, inter qvos per Fr. Stancarum gravis tum temporis super hac re excitata fuit contentio) *forma proponi, qvae & ad pacificationem faciat, & veritatem integram puramqve retineat atque conservet, paucis accipite. Cum fateantur, eum, qvi debebat esse mediator, oportuisse Deum esse & hominem*; fateantur ergo, ad officium mediatoris perficiendum, utramqve naturam, divinam simul & humanam, fuisse necessariam: humanam, *ut haberet mediator, qvod offerret*; divinam, *ut ejus virtute efficax ad redemptionem fieret sacrificium, ac proinde Christum secundum utramqve naturam fuisse mediatorem; & sacrificium qvidem fuisse ab humanitate, vim vero sacrificii a deitate. Et certe optima & necessaria est haec illatio.* Non potuit perfectus esse mediator inter Deum & homines, nisi qvi verus Deus esset, & homo. *Ergo ad perficiendum verum mediatoris officium, non minus divina qvam humana natura fuit ei perneccessaria; & ea re, neutra fuit aut esse potest in eo otiosa & vacua a mediatoris officio. Qvare si Christus officium*

mediato-

mediatoris perfecit, non hoc perfecit, quatenus homo tantum, sed etiam quatenus Deus est. Admittant igitur hanc consequentiam, quae necessario consequitur ex assumpto. Et facta fuerit christiana pax atqve concordia. *Videtur nobis haec componendi ratio non posse merito nec debere ab illis fratribus rejici, quod & certissima sit & plana, & ad concordiam faciat, & illorum etiam existimationem conservet. Sic enim poterunt semper suam explicare sententiam, nimirum* se, cum dixerunt, Christum esse mediatorem secundum humanam naturam tantum, ipsum etiam tantum externum mediatoris spectasse officium, *quod quidem officium est cumprimis* pati & mori; Pag. 350) *id quod certe Christo minime convenit, nisi quatenus homo est*: est *enim* passus carne, *ut ait* * *Petrus; caeterum se nunquam inficiatos fuisse, vim & efficaciam sacrificii Christi ab ipsius deitate & spiritu in carnem derivatam fuisse.* Haec omnia vir doctissimus suo & collegarum nomine scripsit. Qvin immo A. Rivetus in Summa controv. p. 673. *Cum hoc tempore,* inqvit, *qui inter Pontificios causam illam agunt, admittant, unionem hypostaticam fuisse ad mediatorem necessariam, & ex ea pendere totam dignitatem & efficaciam eorum, quae Christus in humana natura pro nostra salute peregit, minor erit difficultas, &* fortasse potius de verbis, *quam de re ipsa controversia.* Neuter tamen alias sibi hac in re satis constat, ut mox demonstrabimus. Vide Zanchium in epist. ad Wilh.

Ll Stucki-

* Petrus] 1. ep. 3. 18.

Stuckium, & Rivetum, in locis infra citandis. In generali etiam Synodo sendomirienſi anno 1570. conſenſus Eccleſiarum reformatarum majoris & minoris Poloniae cum qvibusdam fratribus miniſtris, qvi ſeqvebantur dogma de mediatore controverſum, in hunc modum factus eſt, ut legere eſt in Harmon. confeſſ. *Qvidam pii fratres, qvi inter nos controverſam de mediatore ſententiam modeſte & pietatis regula obſervata componi cupiebant, & Eccleſiae communionem deſiderabant, hanc propoſuerant Eccleſiae formulam ſopiendae hujus controverſiae gratia:* Credimus, mediatorem Dei & hominum eſſe Chriſtum Jeſum, ita ut mediationis in humana natura peractae vim totam ac efficiaciam, a divinitate ejusdem Filii incarnati, Patris non incarnati, Spiritus ſancti non incarnati proceſſiſſe non negemus, ſed conſtanter aſſeveremus. *Qvam qvidem confeſſionem illorum, Synodus generalis orthodoxe intellexit, recepit, & approbavit, hosqve Fratres in numerum membrorum Eccleſiae ſuae ſuſcepit.* Vide etiam hic J. A. Thuanum Hiſt. lib. 47. p. 636. qvi rem eodem refert modo.

Sed pleriqve rigidiorum Proteſtantium hac explicatione non contenti, contendunt, *Chriſtum ut mediatorem, non tantum feciſſe humanas operationes, qvibus vis & efficacia a Chriſti divinitate proceſſit, ſed etiam operationes divinas*; divinas, inqvam, *non tantum ratione principii qvod, ſeu ſuppoſiti*: ſic enim omnes Chriſti operationes, etiam illae, per qvas munus mediatoris exercuit, fuerunt

runt divinae, Pag. 351.) qvia illius, qvi verus erat Deus; *sed etiam ratione principii qvo*, i. e. a divina natura, tanqvam principio, qvo eliciuntur & efficiuntur opera mediatoria, non minus qvam natura humana procedentes.

Sed contra hanc sententiam illud primum maxime facit, qvod ex ea necessario seqvitur, Christum secundum divinam naturam Patre minorem, eiqve subjectum & obedientem fuisse; qvod sine errore dici non potest. Responsio autem vulgo hic usurpari solita a Protestantibus, Christum sic Patre minorem eiqve subjectum & obedientem statui secundum divinam naturam, non simpliciter & in se consideratam, qvae haeresis sit ariana, sed *pro ratione gratiosae illius œconomiae seu* dispensationis, ad qvam se nostri causa voluntarie demisit homo factus, non est solida. Simpliciter enim impossibile est, (ceu recte respondet Gretserus, Bellarmini hyperaspistes) ut Christus etiam voluntarie, secundum naturam divinam, Patri se subjiciat, proprie loqvendo de subjectione; qvia non potest velle id, qvod per nullam potentiam effici potest. Impossibile autem est, ut, ubi est eadem numero res & naturae identitas, ibi sit subjectio, ut & ibi, ubi prorsus est eadem auctoritas, majestas, potestas summa & suprema, qvae in realiter distinctis personis S. Trinitatis inest. Nec valet similitudo ex rebus humanis petita, ubi non solum aeqvalis aeqvali, sed etiam major se subdere potest sponte minori, qvia natura humana sal-

tem moralis, qvoad dignitatem, majoritatis & minoritatis, ut sic loqvar, per vices capax est, minime autem natura divina Christi, qvae cum sit omnium suprema, nullius potestati sese subjicere potest: implicat enim contradictionem haec subjectio. Omnis qvippe subjectio vera & proprie dicta, sive sit libera seu voluntaria, sive necessaria & naturalis, imparem sortem & conditionem essentialiter includit. Hoc ultro & ingenue confitetur ex Protest. Jo. Piscator in Notis ad C. Vorstii Amicam collationem sect. 95. Nam ad verba Vorstii: *Nihil vetat, Christum respectu naturae divinae, simpliciter & per se consideratae, Patri suo esse aeqvalem; & tamen qvoad ordinem subsistendi, sed maxime qvoad œconomicam officii mediatorii susceptionem, Deo Patri subjectum*, in margine notat: *Neqvaqvam: nam aeqvalitas naturae divinae subjectionem omnem respuit.* ad verba: *Nosti illas veterum regulas: Æqvalitas naturae non tollit ordinem, aut subordinationem divinarum personarum.*) *Confundis diversa. Ordo qvidem est inter tres personas; at non est inter eas subordinatio, qvia haec pendet a voluntate subordinantis: at ille ab ipsa natura.* Pag 352.) ad verba: *Et sane si Christus etiam in vet. testamento, qvum nondum homo natus esset, subinde legatum Patris egit, sive ut angelum Dei sese gesit.*) *Istud nomen tribuitur filio Dei improprie.* & ad seqventia: *Siqve ex imperio & ordinatione Patris tandem in carnem venit, ut in ea opus redemptionis perficeret.*) *Hoc* (ex imperio scilicet) *nusqvam, docet*

docet scriptura, & pugnat istud cum majestate naturae divinae, cui imperari nihil potest, cum Deus sit supremus dominus. Illa ordinatio fuit Patri cum Filio & Spiritu sancto communis; quia est de opere ad extra. Verbo ut dicam, tota illa sectione contendit contra Vorstium, totum Christum, sive secundum utramque naturam, non fuisse in potestate Patris, quod dixerat ille, quia non secundum divinam. Atqui Christus, ut mediator Patris potestati proculdubio subditus est. Quae quidem Protestantes ex Cyrillo lib. 10. Thesauri c. 8. citant de *subjectione Filii secundum divinam naturam*, nihil ad hanc rem faciunt, ut cuivis locum legenti clare apparere potest; & *subjectionis* vocabulum ibi valde improprie usurpat Cyrillus. Perperam etiam ad hanc œconomicam subjectionem filii, ut Dei, rapiunt exinanitionem illam, de qua Paulus Philipp. 2. 7. Exinanitio enim haec non consistit in aliqua submissione & dejectione divinae naturae intrinseca, (nullo quippe modo possibile est, ut Christus, vel ulla persona divina in natura divina, etiam voluntarie & œconomice sese exinaniat, vel alteri subjiciat) sed in hoc, quod Deus manens id, quod erat, h. e. Deus, humanam naturam assumere, & sibi hypostatice unire voluit, quodque etiam secundum humanam naturam, vitam adeo inopem, variisque aerumnis & molestiis obnoxiam elegit, ut explicant theologi. Juxta hanc sententiam, *Christus, ut Deus, mediator est inter nos & se ipsum*

etiam, ut Deum, (tota enim Trinitas, non Pater solus, nobis propter offensas irata fuit placanda) & κατ' οἰκονομικῶς, se ipso φυσικῶς considerato, minor est Christus, etiam qva Deus : qvod plane intelligibile est. Videantur aliae rationes, qvae contra hanc sententiam adduci solent apud alios, qvi latius hanc controversiam pertractant : ad qvas nihil solidi a diversum sentientibus respondetur.

Pag. 353) Locus apostoli 1. Tim. 2. 5. *Vnus Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus,* clare demonstrat, secundum qvam naturam persona Christi, seu Christus Deus & homo operationes mediatorias exercuerit, secundum humanam scilicet : unde expresse ait apostolus, *homo Christus Jesus.* Locum hunc certe sic intellexit, & sententiam supra traditam clarissime confirmat Augustinus lib. 2. de Peccato originali cap. 28. *Non per hoc,* inqvit, *mediator est, qvod aeqvalis Patri : per hoc enim, qvantum Pater, tantum & ipse a nobis distat. Et qvomodo erit medietas, ubi eadem ipsa distantia est ? Ideo apostolus non ait,* unus mediator Dei & hominum Christus Jesus, *sed,* homo Christus Jesus. *Per hoc ergo mediator, per qvod homo inferior Patre.* Et in ps. 103. concione 4. de tertia parte ejusdem psalmi : *Christus mediator inter hominem & Deum, non qvia Deus, sed qvia homo : non qvia Deus aeqvalis Patri, sed si aeqvalis Patri, non mediator. Vt autem sit mediator, descendat a superiore ad inferiorem, ab aeqvalitate Patris,*

Patris faciat, quod ait Apostolus: Semet ipsum exinanivit formam servi accipiens. Et lib. 10. Confess. c. 43. *In quantum homo*, inqvit, *in tantum mediator, in quantum autem verbum, non medius, qvia aeqvalis Deo, & Deus apud Deum, & cum Patre & Spiritu sancto unus Deus.* Et tract. 82. in Joann. *Mediator Dei & hominum, non in qvantum Deus, sed in qvantum homo est Jesus Christus.* Vide etiam l. 1. de Trinit. c. 7. ubi *Christus*, inqvit, *in forma Dei aeqvalis Patri, in forma servi, mediator Dei & hominum.* l. 10. de Civitate Dei c. 20. & locos alios non paucos. Similiter Fulgent. de Incarnat. & gratia Christi c. 13. *Hic in humana natura, in qva mediator Dei & hominum factus est, justitiam habuit ex Patre, mortem ex matre, ut per ipsam liberaremur ab omni peccato.* Adi etiam, si lubet, Vigilii l. 5. contra Eutychen, Theodoretum in locum ex 1. Tim. 2. 5. citatum, aliosqve.

Qvod ad haec testimonia, maxime autem Augustini, respondent dissentientes Protestantes aliiqve nonnulli, verborum horum hunc esse sensum, qvod *Christus, non qvia Deus nudus, sed qvia Deus homo factus, nec sine homine sit mediator*, (qvo ipso obiter nota, lector, manifeste destrui sententiam illorum, qvi etiam ante incarnationem Christum munus mediatoris aliqva ex parte obiisse affirmant) sicut ipse Aug. l. 11. de Civit. Dei cap. 2. inqvit: *Ad Deum iter est homini per hominem Deum: per hoc enim Dei filius mediator, per qvod & homo. Vnde inferunt non*

qvod homo sine Deo, pag. 354.) *sed qvod non solus Deus, verum per hominem sit mediator, &c.* verbis Augustini aperte adversatur: negat enim ille distertissime, Christum, in qvantum Deum, esse mediatorem, qvia, in qvantum Deus, est aeqvalis Patri: mediator autem debet esse medius, distans a duobus extremis. Christus etiam Deus homo aeqvalis est Patri, non enim propter assumtam humanitatem factus est Patre inferior. Deinde si haec Augustini mens fuisset, dicendum illi fuisset: *Christus in qvantum homo, in tantum non mediator, vel in qvantum Deus non mediator; in qvantum vero homo Deus, mediator,* non autem simpliciter: *in qvantum homo, in tantum mediator, in qvantum Deus, non mediator.* Deniqve licet non neget Augustinus, mediatorem, h. e. eum, qvi officio mediatoris fungitur, esse Deum & hominem, negat tamen eum fungi officio mediatoris, ut Deum. Vtrumqve illud Augustinus de Civit. Dei l. 11. c. 2. exprimit. *Ad Deum est iter homini per hominem Deum,* tanqvam principium qvod: per hoc enim principium, qvo mediatoria opera exercentur & immediate eliciuntur, Dei Filius mediator, per qvod & homo.

Qvod freqventer in ore habent Protestantes rigidiores illud *Leonis magni* in epistola illa celeberrima ad Flavianum: *Agit utraqve forma, i.e.* utraqve natura Christi, *cum alterius communione, qvod proprium est, verbo scilicet operante, qvod verbi est, & carne exsequente, qvod carnis est,* impertinenter

nenter huc trahitur ; qvia B. Leo non dicit, utramqve formam agere opera mediatoria, sed utramq; formam cum alterius communione agere, qvod proprium est : de qvo nemo sanae mentis dubitat. Qvae a dissentientibus producuntur testimonia *ex patribus*, Irenaeo l. 3. c. 20. Epiphan. in Anchorato, Chrysost. Ambros. Theodor. Theophil. in locum 1. Tim. 2. praeallegatum, August. Enchirid. c. 180. & aliis qvibusdam locis, nihil aliud probant, qvam mediatorem Dei & hominum debuisse utramqve naturam in se habere, ut Deum & homines in amicitiam redigeret; ut ab aliis fuse demonstratum est. Qvaeritur semper de principio qvo operum Christi mediatoriorum, non de principio qvod. Argutias & subtilitates Vasqvesii hic disputantis in 3. D. Thomae tom. 1. disp. 83. c. 3. contra aliorum suorum gregalium sententiam de principio qvod operandi in Christo, utrum sit tantum suppositum, an natura ipsa etiam abstracte considerata, non moramur. Qvod ad rei summam attinet, ille cum caeteris consentit.

Sed videamus, qvas illi velint actiones mediatorias esse Christi, (Pag. 355.) ut Deus est, proprias. 1. *Remittere peccata solius*, inqviunt, *Dei est.* Potestas tamen haec ad mediatorem pertinet. Resp. Potestas suprema & prima remittendi peccata solius Dei est Patris, Filii, & Spiritus sancti. Satisfacere pro peccatis nostris, & remissionem peccatorum promereri, est proprium Christi mediatoris & hominis ; ut etiam

peccata remittere potestate communicata & delegata, sed modo longe exellentiori & eminentiori, qvam ministris ecclesiae concessa est. Qvo circa illam recte vocant Scholastici distinctionis gratia, *potestatem exellentiae*, hanc autem, *potestatem ministerii*. 2. *Illuminare hominum mentes, renovare corda, & dare spiritum sanctum, &c.* Sed hae operationes, qvum sint ad extra, Patri cum Filio & Spiritu sancto communes sunt. Christus, ut mediator & homo, ad has actiones non concurrit, nisi instrumentalitet & meritorie; sed ut instrumentum conjunctum & singulare, non separatum & commune: qvalia instrumenta fuerunt Apostoli & Prophetae, ut recte Romanenses & Vasq. in 3. D. Thomae tom. 1. disput. 79. c. 1. *Qvamvis dicere possemus, Christum meruisse, ut ad nos mitteretur Spiritus S. tamen dici nulla ratione potest, meruisse ad nos mittere Spiritum S. ipse enim solum potuit mittere Spiritum sanctum, qvatenus erat Verbum, & Filius Dei; & hac ratione non potuit missio cadere sub meritum ipsius.* Calvinus ipse in Joh. 14. 16. *Spiritum hic vocat* donum Patris, *sed qvod ipse precibus suis impetravit: alibi a se ipso dari promittit. Vtrumqve vere & apte dicitur, nam qvatenus Christus mediator & patronus noster est, a Patre impetrat gratiam Spiritus; qvatenus Deus est, eam a se ipso largitur.* Haec ille. 3. *Salvare* & nos vita aeterna donare. Respondeat Sibrandus, scriptor rigidissimus, l. 1. contra Socinum de Christo servatore c. 6. p. 67. *Christus qva Deus, dat nobis vitam efficientia; qva homo,* (adde

de & mediator : haec enim duo fere semper ibi conjungit, ut videre licet) *dat eam nobis merito & obedientia.* Sicut p. 202. l. 2. cap. 11. *Christus, ut Deus & ut mediator, remittit peccata, sed non eodem modo; ut Deus efficienter, ut mediator, meritorie.* 4. *Incarnari* seu assumere naturam humanam. Sed Christus ut Deus, assumsit formam servi, non qvia in forma Dei mediator fuit aut unqvam futurus erat, sed ut mediatoris officio secundum naturam humanam fungi posset. 5. *Sacrificare.* Christus enim ut Deus, obtulit Deo Patri humanam naturam in mortem, ut victimam. Pag. 356.) Sic enim non solus Stanislaus Sarnicius, multum a Calvino laudatus, sensit, sed permulti etiam alii Protestantes, qvorum nominibus parco. Videsis, aeqve lector, Chamierum de Officio mediatoris lib. 7. cap. 7. n. 17. At qvid clarius illis Cyrilli verbis in Apologia pro 12. capitibus contra Orientales? *Qvando* Christus *factus est* homo, vocatus est etiam pontifex, *non qvod tanqvam majori Deo offerret sacrificium, sed qvod sibi ipse & Patri.* Et infra: *Audiens, qvod dictus est sacerdos, propter humanitatem, erubescisne? Deinde qvomodo non admiratus es, qvod non secundum sacerdotum morem, alteri detulerit sacrificii modum, sed sibi ipse potius, & Patri, ut dixi? Qvando dicis,* indignum esse Deo, ut *sacrificet, adstipulor & ego. Sed si solum esset & absqve carne Verbum, recte diceres: at vero, qvia factum est caro, vide & sacrificantem propter humanitatem, & in dignitatibus ultra creaturam, sicut Deum:* conflet enim

cum

cum Deo & Patre. Itaqve vide ipsum sacrificantem secundum humanitatem, considentem ut Deum. Vide Augustinum l. 1. de Trinit. c. 10. in psal. 109. & lib. 10. de Civit. Dei c. 20. ubi haec habet: *Vnde verus ille mediator, in qvantum formam servi accipiens, mediator effectus est Dei & hominum; cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum qvo unus est Deus, tamen in forma servi sacrificium maluit esse.* & lib. 1. de Consens. evangel. c. 3. Theodoretus in ps. 109. & in c. 2. ad Hebr. in verba, Vt misericors fieret, & fidelis pontifex apud Deum, *Haec dicta sunt*, inqvit, *qvoad humanitatem. Neqve enim noster pontifex est, ut Deus, sed ut homo.* Et in c. 7. de Christo verba faciens, *Est*, inqvit, *hominis, fungi sacerdotio; Dei vero, ea qvae offeruntur suscipere.* Adde Nazianz. orat. 4. de Theologia, Ambr. l. 3. de Fide c. 5. aliosqve plurimos in eandem sententiam conspirantes. Vnde nonnulli etiam Protestantes multo hic sunt aliis modestiores. Negat A. Rivetus, ut supra diximus, Filium Dei potuisse sacerdotem esse, ante suam incarnationem: *Qvia sacerdotii functio*, inqvit, *est hominum propria, ideo Christus, ut esset sacerdos, ex hominibus fuit assumtus.* Vide comment. in ps. 110. p. 457. Et in Summa controv. tractat. 2. qv. 50. p. 675. *Non tantum sacerdotalis dignitas*, inqvit, (eam plane a Christi divinitate removens) *partem muneris mediatorii illius facit, sed etiam prophetica & regia.* Piscator in verba Heb. 9. 14. *Christus obtulit se ipsum per spiritum aeternum Patri*, scribit: *Ex hisce com-*

communiter probant, Pag. 357.) *Christum secundum divinitatem sacrificasse vel obtulisse seipsum Patri* per spiritum aeternum, *id est, per animam immortalem. Quo minus autem per haec verba videatur intelligenda deitas, vel Spiritus sanctus, ratio est, quia deitatis non est offerre sacrificium, sed ipsa est, cui offertur sacrificium ab homine, quatenus homo.* Sed falso per spiritum aeternum intelligit Piscator animam Christi immortalem. Verus verborum sensus est: *Christus obtulit se per Spiritum sanctum, i. e. impellente & cooperante Spiritu sancto;* obtulit se, inqvam, sed secundum naturam humanam: ad hoc enim sacrificium offerendum a Spiritu sancto impulsus est. Vide praeter Romanenses, doctissimum A. Hyperum in locum, ut alios mittam. Rich. Fieldus l. 5. de Ecclesia c. 16. *Neqve arbitramur, Christum mortuum vel se ipsum in ara crucis obtulisse, vel denique orasse pro nobis secundum naturam divinam, sicut quidam calumniantur nos dicere.* Sed revera multi rigidiorum Protestantium diserte affirmant, qvicqvid ille neget, Christum ut Deum non tantum sacrificasse, sed etiam Patrem pro nobis orasse, immo & obediviſſe Patri; qvae omnia a Dei majestate alieniſſima sunt, qvum hae actiones omnes sint subditorum & inferiorum: neqve commentitia illa distinctio, de qva * supra, qvicqvam illos juvat, ut ibi ostensum. Videantur hic scripta Lutheranorum, aliorumqve. Augustin. in ps. 87. *Oravit Dominus, non secundum formam Dei,*

sed

* Supra] Pag. 353.

sed secundum formam servi, secundum hanc enim & passus est. Et in 85. *Orat pro nobis, ut sacerdos noster; orat in nobis, ut caput nostrum; oratur a nobis, ut Deus noster.* Vide eundem in praefat. enarrat. 2. ps. 29. *Ex quo enim homo,* ait de Christo, *ex hoc & infirmus: ex quo infirmus, ex hoc & orans.* Adde tract. 102. in Joan. Qvia brevitati studemus, consulantur hic alii. *Sed cum sit rex mediatorius,* inqvit A Rivetus Summae controv. loco ante citato, *qvatenus Deus homo, & regni illius administratio solis humanae naturae actionibus terminari non possit, necessarium est, ut admittantur etiam actiones divinae naturae, in persona mediatoris, qvibus suos regat per spiritum suum, eosqve tueatur contra omnes adversarios, daturusqve sit eis salutem & vitam aeternam.* Sed longe aliter Augustinus lib. 1. de Consensu evangel. cap. 3. *Secundum hominem,* inqvit, *Christus rex & pontifex effectus est. Christus ut Deus, eadem potestate, suprema scilic. & cum Patre & Spiritu sancto, ecclesiam & omnia regit ac gubernat.* Pag. 358.) Qva homo & mediator, ad regiam dignitatem & potestatem, qvae supremae subdita est, propter obedientiam suam usqve ad mortem exaltatus est a Patre, & eandem per modum instrumenti, sed hypostatice cum divinitate conjuncti & uniti, exercet, ut omnes saniores theologi docent.

Thom. Mortonus, * anglus, in sua non ineru-

* Anglus] Baravacensis; adeoqve distinguendus a Thoma Mortono, episcopo. De qvo videatur annotatio nostra ad pag. 414.

erudita prioris epist. ad Corinth. Expositione Londini excusa anno 1596. in verba c. 15. 24. *Deinde finis, quum tradiderit regnum Deo & Patri: Christus*, inqvit, *ut duplicem naturam, ita duplex regnum, i. e. summam potestatem & autoritatem, qvalis est in regibus, habet. Nam*, ut est Deus, *potestate omni infinita praeditus est, primarie a se ipso, aeqvaliter & una cum Patre ab aeterno in aeternum regnans. Hoc regnum ut a nemine accepit, ita nemini unqvam tradet. Deinde* secundum humanam naturam *non est privatus homo, sed potius rex, omnem potestatem in cœlo & terra sibi datam habens; idqve in hunc finem, ut illius virtute omnia ad officium mediatoris & salutem ecclesiae pertinentia efficere possit.* Et paulo post: *Hanc autoritatem (ut & officium mediatoris & humanam naturam) a Deo Patre, (qvi praedicta omnia non immediate per se ipsum, sed per Christum hominem operatur) delegatam habet, eamqve suscepit qvidem una cum humana natura & mediatoris officio, at non exercuit, & palam ostendit, usqve dum satana, peccato, morte, & reprobis omnibus, qvi ei adversantur, devictis, in cœlum triumphans ascenderet.* Et paulo post: *Tum demum* haec Christi autoritas cessabit, non qvidem omnino; *nam in aeternum & electis & reprobis dominabitur*; sed qvoad hanc gubernandi rationem: *& mediatoris officium tradetur Deo, qvi immediate sine mediatoris ope ecclesiam reget, & in aeternum incolumem servabit*, & Patri, *i. e. Deo Patri, qvi omnium creaturarum*

actio-

actionum, Pag. 359.) *qui humanae Christi naturae, mediatoris officii, huius temporarii regni autor & primum principium est*, tradet *qvidem*, vel potius accipit Christus hanc auctoritatem sibi ipsi, qvatenus Deus est; sed scriptura, ad clariorem humanae naturae Christi & officii mediatoris explicationem, ubiqve humanam, raro autem divinam Christi naturam commemorat, *sed uni Patri, ac si solus Deus esset, deitatem attribuit.* Vide eundem ibid. ad vers. 28. Et ad verba 1. Cor. 11. vers. 3. *Christus*, inqvit, *qvatenus est homo & mediator, Deo Patri ejusqve voluntati & imperio per omnia subjicitur, eum omnium suarum actionum autorem habet & agnoscit, ab eo omnem suam dignitatem, autoritatem & gloriam capit.* Haec ille, multis aliis hac in re, ut in aliis qvibusdam multo sanior. Vide etiam hic, si libet, Apologiam pro confessione Remonstr. ad censuram cap. 2. pag. 39. Joan. Davenantius in epist. ad Colos. 3. 1. pag. 333. *Illud inprimis tenendum*, inqvit, *haec dici* de Christo proprie & praecipue secundum naturam ejus humanam, *qva resurrexit & ascendit & sedet ad dextram Patris, ut habetur in symbolo apostolico.* Et paulo post: *Hac* sessione *significatur, Christum qva homo est, peracto opere redemtionis nostrae, non modo immortalitate, & perfecta beatitudine donatum, sed in cœlos evectum, supra omnes creaturas collocatum, totius mundi dominum, gubernatorem, & judicem; ecclesiae autem inprimis regem & patronum glorioſisſimum & potentisſimum constitutum.* Vide auto-

autorem ipsum, qvi tamen alibi sibi vix constare videtur.

Distinctio hic a plerisqve usurpari solita, *non absolute Christum, secundum divinam naturam, toti Trinitati communem, esse mediatorem, sed secundum naturam divinam in hypostasi filii existentem*, inepta est, ne qvid gravius dicam. Vna enim & eadem, immo unica est divinitas, qvae toti Trinitati est communis, & qvae in Filii hypostasi existit, etiam prout in illa existit, Pag. 360.) ut recte Gretserus scribit contra Frid. Balduinum, lutheranum: nam & hac ratione, a parte rei, communis est Patri & Spiritui sancto, licet concipi a nobis possit, ut in solo Filio existit. Christus Deus incarnatus est, & in care assumpta perfunctus est munere mediatoris, sed non ut Deus, h. e. secundum divinam naturam, est incarnatus vel mediator est; necessario enim inde seqveretur, Patrem itidem & Spiritum sanctum incarnatos, & mediatores esse, cum, qvicqvid Filio secundum naturam divinam primo & per se competit, commune sit Patri & Spiritui sancto: alioqvi Christum, ut Deum, h. e. ut hypostasin divinam, incarnatum esse, & fuisse, atqve etiamnum esse mediatorem, at non secundum divinam, sed humanam naturam, verissimum est, & nemo fidelium dubitat, nedum inficias it, ut idem Gretserus verissime affirmat.

Cl. Espencaeus, vir alias doctissimus, in tractatu de Christo mediatore, qvi extat in Di-

gressione in cap. 2. ep. 1. ad Tim. a sententia Protestantium rigidiorum videtur non omnino alienus fuisse, licet non raro admodum obscure & ambigue loqvatur. *Et haec*, inqvit cap. 5. *illa est Helena, propter qvam mirati sumus, Polonos tam acriter dimicare, etiam aliunde accersitis ex Germania & Helvetia copiis auxiliaribus. Esse nimirum, qvi mediatorem Dei & hominum, Christum Jesum*, secundum humanam tantum naturam *esse dicique, adeo praefracte & mordicus tueantur, ut secus sentientes, mediatoremqve juxta utramqve simul naturam divinam atqve humanam defendentes, arianismi & id genus in filium Dei Deum haereseon insimulent. Praestabat utique, Augustinum Augustino, ne dum caeteris, conciliare, qvam committere vel collidere. Cum igitur de mediatione hic loqvamur, non* patiente *tantum, aut ad mortem usqve & mortem crucis* obediente, *sed* victoriosa, *h. e. tot victoriarum, nimirum contra diabolum, peccatum, carnem, mundum, mortem, & inferos reportatrice, &c.* Sic mediatorem sentimus non magis hominem sine Deo, qvam Deum sine homine esse, fore, vel fuisse. *Sic, inqvam, sentimus, vel potius cum omnibus totius retro ecclesiae Patribus consentimus.* Pag. 361.) *Qvibuscum nobis sunt de hoc sensu & consensu communes rationes.* 1. *Non minus de ratione mediatoris est, qvod in aliqvo* utriusqve extremi particeps sit, *qvam qvod in aliqvo* ab utroqve extremo distet. 2. *Si mediator est Christus ut homo tantum, paralogismus est, & non syllogismus Patrum graecorum latinorumqve*, ex mediatoris voca-

vocabuli etymologia, ratione officii, divinam in Christo naturam inferentium. 3 *Quid? quod iidem mediatorem non ideo tantum dictum interpretantur, quod* homines Deo reconciliaret, *sed & quod* duo extrema in se uno conjunxerit, *unus idem vere Deus, vere homo.* Respondet etiam ad illud 1. Tim. 2. 5. & locos Augustini in speciem pugnantes, ut ait, summopere conciliare laborat. Sed vir doctissimus rationibus suis nihil aliud probat, qvam oportuisse mediatorem Dei & hominum, Deum simul & hominem esse & dignitatem ac efficaciam operum, qvae Christus ut mediator & homo praestitit, a dignitate personae procedere. *Nec tamen ob hoc*, inqvit Aug. lib. 9. de Civit. Dei. cap. 15. *mediator est, qvia Verbum; maxime qvippe immortale, & maxime beatum verbum longe est a mortalibus miseris: sed mediator, per qvod homo.* Responsio ad locum 1. Tim. 2. 5. & conciliationes locorum Augustini, qvas adducit, plane violentae sunt, nec de Augustini mente, qvicqvid ille contradicat. Ibidem tamen cap. 6. affirmat, Christum orare, & offerre, qva hominem tantum. *Ac de mediatore*, inqvit, *non tantum orante aut offerente agimus, sed etiam exorante, & propitiante, qvalis homo simplex non erat futurus, & nisi Deo juxta hypostasin conjunctus.* Sed semper confundit *actiones mediatorias proprie sic dictas, & illarum dignitatem & efficaciam*; qvae tamen duo, si exacte loqvi velimus, distingui debent; varia alioqvin & gravia incommoda ex confusione necessario seqvuntur.

In eadem sententia videtur etiam fuisse Jac. Gorscius, polonus romanensis, qvi Praelectionum plocensium l. 2. dicato sereniſſimo Poloniae Regi (liber editus est Coloniae 1608. Vide Riveri Summ. controv. loco ante saepe allegato) *contra non paucos*, ut inqvit, *Catholicorum*, (Pag. 362.) *& hujus aetatis haereticum illum contentioſum Fr. Stancarum contendit*, Christum secundum utramqve naturam mediatorem esse, ita tamen, ut alia divinitatis ejus sint, alia humanitatis officia & operationes, *qvae tamen unum & idem mediationis opus conficiant.* Sed in verbis illis, qvae A. Rivetus ex eo producit, minus dextre & commode subinde loqvitur. Qvalia enim sunt ista? *Qvia humiliavit se ipſum & exinanivit, & obediens Deo patri fuit, eo ipso Deum patrem placavit; qvae divinitatis sunt: humiliatus enim Christus secundum divinitatem, non qvod divinitas aliqvid inde contumeliae caperet, pura semper & in eadem gloria manens, sed qvod forma servi accepta, inferior Patre factus sit.* Sed, qvaeso, an forma servi accepta secundum divinitatem, cujus eadem semper manſit gloria, ipsomet confitente, se ipse exinanivit, & inferior & minor Patre factus est? Alia, qvae ex eodem libro citat ibidem Rivetus ex Stanislai Orechovii, roxolani, Chimaera contra Stancarum, descripta & laudata, ut refert Gorscius, ab aliis qvibusdam Romanensibus in Italia & Hiſpania, maxime Compluti a Gaſparo Cardillo Villalpandeo, non moror. Neqve omnium theologorum romanensium vel protestan

testantium judicia aeqve exacta sunt; ut nec eorum, qvae ab iis, qvi secus, qvam ipsi, sentiunt, dicuntur, intelligentia aeqve clara.

Sed ut diatribam hanc tandem concludamus; *in hoc conveniunt partes disidentes*, ad mediatoris personam constituendam, & munus mediatorium plene & efficaciter exercendum, necessariam fuisse utriusqve naturae in Christo hypostaticam unionem: & actionum ac passionum omnium mediatoriarum in humana Christi natura, atqve per eam peractarum efficaciam & pondus, a dignitate personae Christi esse & fluere. Atqve hoc solum sufficiat viris moderatis & pacis ecclesiae amantibus. Certe non nisi admodum incommode, immo & periculose asseritur, *Christum etiam secundum divinam naturam munus aliqvod mediatorium exercuisse aut exercere*, ut propheticum, ecclesiam etiam ante incarnationem, ministerialiter docendo; sacerdotale, offerendo se ipsum ut hominem in hostiam, & orando; regium, potestate dependenti & subordinata, atqve a Patre libere & liberaliter Filio etiam ut Deo donata, eccclesiam regendo. Pag. 363.) Neqve tam libenter audio, *diversum hac in re sentientes, arianismi, eutychianismi, &* similium haereseon, jam olim ab ecclesia damnatarum, qvasqve nulli magis, qvam illi ipsi detestantur & damnant, licet propter humani judicii imbecillitatem, qvid ex qvo hic necessario seqvatur, clare non videant, in-

simulare & damnare: qvod a multis contentiosis scriptoribus hactenus, sed perverso more, factitatum est. *Vitentur extrema, & pax esto.*

Pag 364.

Pars altera,

Qva Christum mediatorem sibi etiam aliqvid meruisse, paucis ostenditur.

QVaestionem hanc, *An Christus mediator, obedientia vitae & mortis, non solum nobis gratiam & gloriam, sed etiam aliqvid sibi meruerit seu acqvisierit*, stultae curiositatis, & ejusdem definitionem temeritatis damnare non verentur nonnulli e Protestantibus rigidioribus, immo assertionem hanc scripturis manifeste repugnare affirmant, ut constat.

Christum praecipue qvidem *incarnatum, & passum ad restitutionem generis humani*, clarissime & saepissime docent scripturae & Patres; neqve diffitentur Romanenses aliiqve, qvi meritum Christi proprium tuentur. Vasq. in 3. D. Thomae tom. 1. disp. 79. cap. 1. *Ad testimonia*, inqvit, *illa omnia, in qvibus Christus dicitur pro nobis laborasse, & aliqvid nobis meruisse, respondetur, in illis exprimi id, qvod fuit primariae intentionis Christi, non tamen negari, aliqvid sibi meruisse. Nostra redemptio, non autem ea, qvam Christus sibi meruit,*

gloria,

gloria, fuit praecipua causa adventus & passionis ejus. Haec ille. Similiter Busaeus in Apologet. contra Gerlachium lutheranum cap. 4. thesi 41. pag. 96. & rursus pag. 109. caeteriqve omnes consentiunt. Pag. 365.) Non tamen idcirco negandum est, Christum sua obdientia & passione vere promeruisse etiam exaltationem suae humanitatis & glorificationem carnis; nam petiit a Patre, non nos tantum, sed se etiam glorificari, Joh. 17. 9. 17. 1. 5. *gloria corporis, & exaltatione nominis sui*, ut exponit ibi Augustinus.

Immo multa scripturae loca ostendunt, passionem Christi non solum antecessisse, ut respondere solent dissentientes, sed etiam *causam meritoriam consecutae exaltationis & glorificationis fuisse.* Psal. 110. 7. *De torrente in via bibit: proterea exaltabit caput.* Esa. 53. 11. & 12. Philip. 2. 8. 9. qvi locus inprimis illustris est: *Humiliavit semet ipsum, factus obediens usqve ad mortem, mortem autem crucis. Propter qvod & Deus exaltavit illum.* Heb. 2. 9. *Cum autem, qvi modo, qvam angeli, minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Sic enim Graeci, & multi alii hunc locum intelligunt, licet alii aliter explicent, contra structuram totius orationis, & contra verba, qvae seqvuntur, qvibus apostolus qvasi causam reddit, cur propter passionem mortis, gloria & honore fuerit coronatus: *Decebat enim*, inqvit, *auctorem salutis, ipsorum perpessiones consummare.* Deniqve Apoc. 5.

12. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, &c.*

Patres omnes communi consensu docent, Christum non tantum nobis salutem, sed sibi etiam exaltationem promeruisse. Illorum testimonia apud alios legantur. Nos in re clara omniumq; oculis exposita, nolumus actum agere & soli lumen inferre. Videatur inprimis Augustinus lib. 2. contra Maximin. cap. 5. & l. 3. cap. 2. & tract. 104. in Joan. Vbi verba apostoli explicans, *Propter quod & Deus*, &c. *Humilitas Christi*, inqvit, *claritatis est meritum, claritas humilitatis est praemium, sed hoc factum est: in forma servi, &c.* Consulantur & caeteri, locis ab aliis monstratis.

Multi etiam ex doctissimis Protestantibus contra alios rigidiores hanc sententiam defendunt. Hier. Zanchius in Confess. fidei suae praefat. ad lectorem. *Cum jam*, inqvit, *absoluta esset totius libri editio, certior factus fui, non deesse, qvi improbent, qvod scripsi in Apoc. 11. 15.* Christum non solum sibi, Pag. 366.) sed etiam nobis vitam aeternam promeruisse: *qvdsi illud*, Sibi, *impie a me positum fuerit. Miratus sum initio, & non parum sum miratus, cum nihil hac doctrina sit clarius apud Patres, a qvibus & Scholastici acceperunt. Sed simul ac in mentem mihi venit, diversa esse hominum palata, & aliis qvidem, ut juvenibus, vina nova ac dulcia, magis sapere, aliis, ut senibus, vetera, tanqvam salubriora, magis probari, statim desii mirari. Veterem illam esse doctrinam, liqvet ex veteri-*

veteribus Patribus, qvi locum illum ad Philip. 2. 9. Propter qvod & Deus exaltavit illum, &c. *sic interpretati sunt, ut dixerint, Christum sua humilitate, obedientia & morte, sibi illam exaltationem promeruisse.* Qvod probat ex Augustino in Joh. 17. tract. 104. Beda in cap. 2. ad Phil. Ambrosio & Hieronymo in eundem apostoli locum, Vigilio contra Eutychen, & tandem sic concludit: *Haec certe vetus est Ecclesiae doctrina. Rogo igitur convivas meos, ut si, vino & veteri & novo in mensa proposito, ego tanqvam senex, relicto aliis novo, de veteri bibam, ne mihi succenseant.* Vide ejusdem epistolam ad Wilhelmum Stuckium Epist. lib. 1. in qva idem tuetur dogma, & ad contraria objectamenta respondet. Idem Stuckius ibidem in Zanchii responsione se acqviescere ingenue confitetur. Legatur idem Zanchius in cap. 2. ad Philip. ut & Andr. Hyperius in eundem locum. Similiter Joan. Piscator scribit in 2. ad Philip. Andr. Rivetus in cap. 53. Isaiae. v. 11. *Qvaeritur hic*, inqvit, *num Christus passione sua gloriam corporis ad exaltationem illam, ad qvam evectus est, meruerit?* Id contendunt multi non solum ex Pontificiis, sed ex orthodoxis inprimis cl. theologus, H. Zanchius in sua Confessione. Et paulo post, pag. 469. *Etsi existimemus, argumenta Calvini esse alicujus momenti, nec in ea re valde insistendum, num ratione gloriae corporis & exaltationis Christi, obedientia ejus, habeat veram & propriam rationem meriti*, id tamen nollemus praefracte negare; *tum qvia loci sacrae*

scripturae adducti, etsi ad rationem antecedentium & consequentium referri possint, videntur tamen aliqvam causam inferre: tum qvia communis fuit veterum sententia, in qva nihil videtur esse, qvod scripturae sacrae repugnet. Pag. 367) *Certe Augustinus diserte scribit tr. 104. in Joh.* Christum fuisse prius humiliatum in passione, qvam in resurrectione glorificatum. Humilitatem claritatis esse meritum, claritatem humilitatis praemium. *In hac sententia nihil mali esse existimamus, si recte intelligatur.* Haec ille. Idem licet in Psal. 110. vers. 7. pag. 483. 484. super hac re differens, mirifice fluctuet, negat tamen, se velle huic opinioni nigrum praefigere theta. Adi autorem ipsum.

Vorstius in Antibellarmino, pag. 55. 56. *Etsi de hac qvaestione non prorsus eadem est omnium Evangelicorum sententia, plerique tamen doctiores in eam partem inclinant, ut cum Pontificiis hac de re non magnopere contendendum esse putent; praesertim* si verbum merendi generatim pro verbo comparandi, vel per industriam & labores acqvirendi sive obtinendi atqve adipiscendi accipiatur. *Quo qvidem sensu veteres saepissime id usurpasse constat. Itaqve consensus utrinqve facile constitui poterit,* si modo logomachia & studium cavillandi abfuerit. *Omnes enim ultro fatentur, Christum hominem, licet ex certa & gratiosa Dei ordinatione coelestem gloriam necessario adeptus sit, revera tamen* non nisi per viam obedientiae, & passionis ad eam pervenire potuisse: *immo sua obedientia & humili-*

humilatione, utpote omnium dignissima & perfectissima, tanqvam causa antecedente sive efficiente, praedictam gloriam vere sibi peperisse atqve obtinuisse. Hanc eandem sententiam acriter idem defendit contra Sibrandum, errore 68. & in Scholiis alexicacis pag. 166. 95. & 114. Petrus Martyr in cap. 14. ad Roman. vers. 9. Thomas Bilsonus, episc. winton. in Recognit. passionum Christi pag. 672. circa finem, & pag. 20. 21. Lancel. Andreas in concione anglica super Rom. 6. 9. 10. 11. pag. 389. & super Philip. 2. 8. 9. pag. 469. & 474. R. Hookerus lib. 5. de Eccles. polit. sect. 55. pag. 303. Alios silentio praetereo, praesertim cum res adeo manifesta sit.

Vnde Junius in Animadversionibus suis hoc saltem fateri cogitur, *sive hoc dogma probemus, sive improbemus, non propterea laboraturam Christianorum fidem.* Et Chamierus de Officio mediatoris lib. 7. cap. 8 n. 6. *Non esse de hoc articulo* Pag. 368.) *sic contendendum, ut de summa religionis christianae, sive de fundamentali qvopiam articulo fidei, in qvo definiendo non qveat non gravissime errari, si erratur.* Sed qvis, qvaeso, pro fundamentali articulo fidei christianae hoc habet? Dogma tantum scripturis & Patrum judicio maxime consentaneum esse existimant omnes, qvi id tuentur, & non nisi temere, & sine errore aliqvo id ab aliis negari aut in dubium vocari. Certe sic plus qvam par est, controversiae augentur, & triste schisma hodiernum, qvod nullis lacrymis satis deplorari potest, fovetur, & alitur. Piarum men-

mentium est, litibus, qvantum per veritatem licet, minuendis, non vero augendis, qvod hodie, proh dolor, qvam multi nimis cupide factitant, studere.

Qvod objectant diversum sentientes, *gloriam corporis Christi, & exaltationem nominis non ex merito aliqvo profluxisse, sed ex unione hypostatica, propter dignitatem personae*, manifeste adversatur verbis apostoli supra citatis, qvi propterea διὰ τὸ πάθημα *i. e. propter humilitatem, obedientiam & passionem* Deum exaltasse Christum, & dedisse illi nomen, qvod est supra omne nomen, diserte affirmat. Praeterea duo haec non repugnant sibi absolute, ut recte monent Romanenses, *aliqvid esse debitum ex unione hypostatica, & cadere sub meritum*, praesertim si posteriore demum tempore acqviratur, (qvemadmodum gloriam corporis, & alia nonnulla, in ipso unionis hypostaticae puncto Christus non accepit, sed longo post tempore) qvia bene fieri potest, ut idem pluribus nominibus sit debitum. Zanch. in epist. ante allegata ad Stuckium: *At jure*, inqvis, *illi debebatur. Qvo jure? Vnionis humanae naturae cum divina* καθ' ὑπόστασιν. *Sed hoc non tollit, qvin etiam propter obedientiam, &c. Non est absurdum, propter diversas causas aliqvid alicui deberi.*

Non fuerunt igitur Patres aut impii, aut imperiti scripturarum, qvando dixerunt, Christum sua obedientia gloriam sibi apud Patrem promeruisse, *& humilitatem fuisse glorificationis meritum, glori-*

glorificationem autem humilitatis fuisse praemium. Pag.369.) Et rursus: *Christus de se dicebat:* Pater meus diligit me, qvia, qvae placita sunt ei, facio. *Semper diligebat tamen eum aliam etiam ob causam: nempe, qvia filius erat ipsius.* Alias objectiunculas abunde dissolverunt alii, qvos consule, lector candide. Nos ad alia majora, Deo valetudinem & vires benigne concedente, pertractanda properamus.

Soli Deo gloria.

Pag.370.

Consideratio
controversiæ hodiernæ gravissimæ de *Sacramento eucharistiae.*

Liber I.

In qvo de reali Christi in S. eucharistia praesentia & participatione, ac de modo utriusqve breviter tractatur.

CAP. I.

Ubi de rebus hisce generaliter disseritur.

Nihil

Nihil in hoc tristi religionis dissidio magis dolendum, qvam hoc S. eucharistiae sacramento, ideo peculiariter a Christo domino institituto, ut per id arctius ei incorporemur, & ab eo vitam continuo tenore hauriamus, mutuaqve charitate inter nos sub uno capite Christo eo tenacius conglutinemur; satanam tamen, humani generis hostem atrocissimum, sua improbitate ac audacia, & qvam plurimos ecclesiae doctores ac ministros, Pag. 371.) ex φιλονεικίᾳ & φιλαρχίᾳ, i. e. contendendi ac dominandi libidine, multis jam retro seculis, atqve hoc nostro qvam maxime, ad contentiones & factiones alendas abusos, & adhuc indies abuti. Faxit misericors Deus in Christo cum Spiritu sancto, ut omni contentione sublata, citra veritatis creditu necessariae jacturam, in hac materia, ut & in aliis omnibus, concordibus animis iterum omnes Christiani coalescant! Sed de re jam proposita dicamus.

Sententia Zuinglii, qvam theologi tigurini mordicus retinuerunt ac defenderunt, *Christum* scilicet *contemplatione tantum fidei esse in eucharistia praesentem; nullum hic miraculo locum dandum esse, cum sciamus, qva ratione Christus carne sua adsit, nimirum spiritu vivificante, spiritualiter & efficaciter: unionem sacramentalem in significatione totam consistere, &c.* (Vide Rodolph Hospinianum, tigurinum, Historiae sacramentariae parte altera pag. 161, 162.) minime probanda est, qvum

qvum scripturæ & communi Patrũ omnium sententiae apertissime adversetur, qvemadmodum millies ab aliis demonstratum est. Hanc tamen sententiam Zuinglii, rejecta illa Calvini, de qva jam dicemus, apud Lugdunenses in Gallia, Lodovicus Alamannus, italus, acriter defendit. Vide inter Epist. Bezae epist. 5. ad eundem hac ipsa de re scriptam, & nuper, qvi in Fœderato Belgio vocantur Remonstrantes, in Apologia pro confessione sua cap. 23. * (pag. 236.) aperte enim ibi profitentur, sed gravissime errantes, se Zuinglii, qvem *optimum hujus ceremoniae doctorem* inepte, ne qvid gravius dicam, appellant, sententiam seqvi, ut simplicissimam, & ad idololatriam omnem evitandam in hac materia inprimis necessariam. Et pag. ead. qvae a Calvino illiusqve seqvacibus dicuntur de communione in cœna cum physica corporis & sanguinis Christi substantia, non modo ironice *incomprehensibilia & ineffabilia illa mysteria* vocant, *qvae humana seu curiositas, seu superstitio in hoc tam simplice, tam plano, & a nullo non ingenio facile perceptibili ritu finxit potius qvam reperit*, sed etiam *manifestam in se continere absurditatem, & ex isto fonte emanavisse, hodieqve adhuc fluere ingentem illam idololatriam, qva major concipi vix potest*, audacter asseverant. Sed qvi sic abjecte de hoc augustissimo sacramento sentiunt, ut hi aliiqve hodierni novatores, eos non mirum nihil in eo reperire, qvod mirentur. Pag. 373.) Longe aliter pii Patres senserunt & scripserunt,

* Pag. 236.] P. 2. Oper. Episcopii. qvi

qvi φρικτὸν hoc μυστήριον, *tremendum mysterium* appellare consueti, nunqvam sine sacro & religioso horrore de re tanta cogitari voluerunt: qvia firmissime crediderunt, qvi digne haec mysteria corporis & sanguinis Christi sumit, illum vere & realiter corpus & sanguinem Christi in se, sed modo qvodam spirituali, miraculoso, & imperceptibili sumere, ut postea dicemus.

Sententia Joh. Calvini, ista zuingliana multo sanior & tolerabilior est. Archiep. spalat. de rep. eccl. l. 7. cap. 11. n. 7. *An ita*, inqvit, *a magistro Calvino reformati sentirent, diu dubitavi, & volui, dum haec imprimenda parabam, plane sententiam Calvini agnoscere. Atqve haec, qvae sequuntur, dicta in ejus Opusculis reperi. In tract. de Cœna Dom.* Blasphemia est negare, in cœna Domini offerri veram Christi communicationem. Pani & vino *corporis* & *sanguinis* nomen attribuitur, qvod sint veluti instrumenta, qvibus D. J. C. nobis ea distribuit. *Panis non est figura nuda, & simplex, sed veritati suae & substantiae conjuncta.* Panis merito dicitur *corpus*, cum id non modo repraesentet, verum etiam nobis offerat. Intelligimus, Christum nobis in cœna veram propriamqve corporis & sanguinis sui substantiam donare. Panis in hoc consecratus est, ut repraesentet & exhibeat nobis corpus Domini. Zuinglius & Oecolampadius debuerunt adjungere, *ita signa esse, ut nihilominus veritas cum eis conjuncta sit*, & testari debuissent, se non eo tendere

dere, ut veram communionem obscurarent, qvam nobis hoc sacramento Dominus in corpore & sanguine exhibet. *Lutherus propterea incensus est in eos, qvia volebat sacramentum efficax.* Fatemur omnes, *nos, cum juxta Domini institutum, fide sacramentum recipimus, substantiae corporis & sanguinis Domini vere fieri participes.* Qvomodo id fiat, alii aliis melius definire, & clarius explicare possunt. *Ne vis sacrosancti hujus mysterii imminuatur, cogitare debemus, id fieri occulta & mirabili Dei virtute.* Sic ille, inqvit Spalatensis. Haec Calvini dicta idem Spalat. in loco citato n. 8. ad pacem & concordiam inter partes conciliandam sufficere existimat. *Omnes,* inqvit, *& Pontificii & Lutheri & Calvini discreti sectatores* Pag. 373.) in eo convenimus, *nobis in eo verum ac reale Christi corpus vere & realiter exhiberi. Cur ergo in hoc non sistimus omnes?* Hanc tamen, ut appellat, ingenuam Calvini confessionem, Joh. Barnesius in suo Catholico-romano pacifico §. 7. in paralipom. ad literam B. verbatim ex Spalatensi describens, sibi non probari profitetur, ut qvae consubstantiationi maxime faveat, sicut infra dicemus. *Interim,* inqvit, *cum bona venia & Calvini & Spalatensis non est additio ad sensum apertum verborum Christi,* (ut ibi docet locis citatis) *dicere, corpus Christi esse in eucharistia, cum substantia panis permanentis, aut transeuntis.* Sed de hac re inferius, pag. 418.

Qvam religiose, reverenter, & Patrum stylo convenienter etiam alibi in scriptis suis de hoc

augustissimo mysterio loqvi videtur idem Calvinus! Instit. l. 4. c. 17. §. 7. *Nihil*, inqvit, *restat, nisi ut in ejus mysterii admirationem prorumpam, cui nec mens plane cogitando, nec lingua explicando par esse potest.* §. 10. *Etsi autem incredibile videtur, in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, ut nobis sit in cibum; meminerimus*, qvantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus S. virtus, & qvam stultum sit, ejus immensitatem modulo nostro velle metiri. *Qvod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides, Spiritum vere unire, qvae locis disjuncta sunt.* Et 32. *Porro*, inqvit, *de modo si qvis me interrogat, fateri non pudebit, sublimius esse arcanum, qvam ut vel meo ingenio comprehendi, vel enarrari verbis qveat.* Similiter Beza de Re sacrament. qv. 4. *Sed nihilominus fatemur, incomprehensibile esse mysterium Dei, qvo fit, ut, qvod est, & manet in cœlis, & non alibi, nobis, qvi nunc in terra sumus, & non alibi, vere communicetur. Et* infra: *Qvo fit, ut tota haec actio valde proprie μυστήριον vocetur.* Improbat etiam idem Calv. Instit. c. 17. §. 5. sententiam Zuinglii, qvi manducationem corporis & bibitionem sanguinis Christi, *nihil aliud esse* dicit, *qvam in Christum credere: Sunt*, inqvit, *qvi manducari Christi carnem, & sanguinem ejus bibere uno verbo definiunt, nihil esse aliud, qvam in ipsum Christum credere: Sed mihi expressius qviddam ac sublimius videtur voluisse docere Christus in praeclara illa concione, ubi carnis suae manducationem nobis commendat; nempe vera sui participatione nos vivificare:*

qvam

qvam manducandi *etiam ac* bibendi *verbis ideo designavit, ne, qvam ab ipso vitam percipimus, simplici cognitione percipi qvispiam putaret.* Plura in eandem sententiam ex eodem scriptore adferri possent. Pag. 374.)

Sed qvod cum bona venia Calvini & sectatorum illius dictum esto, Calvini sententia & doctrina super hac re, maxme incerta & dubia atqve lubrica multis viris doctissimis semper visa est: & abunde id a plurimis cum romanensibus tum lutheranis theologis est demonstratum; qvos adi, si libet. Sola illa Consensio mutua in re sacramentaria Ministrorum tigurinae ecclesiae & Joh. Calvini diligenter perpensa, istud lucidissime ostendit. Vir fuit, atqve etiamnum est, apud multos Protestantes magni qvidem nominis, ut & meriti, sed nemo doctorum in verba illius jurare addictus est. *Tanti est, & esse debet*, ut utar verbis doctissimi episc. eliensis in Tortura torti p. 309. *qvanti rationes, qvae affert pro se, nec pluris.* Et ut idem rursus in Resp. ad card Bellarm. Apologiam cap. 7. p. 162. *Tam non Calvinum, qvam neqve Papam sequimur, ubi a Patrum vestigiis, hic vel ille discedit. Dum nunc his, nunc illis gratificari studuit, haud pauca male sibi cohaerentia scripsit.*

Tutissima & rectissima videtur illorum Protestantium aliorumqve sententia, qvi corpus & sanguinem Christi vere, realiter, & substantialiter in eucharistia adesse, & sumi existimant, immo firmissime credunt, sed modo humano

ingenio incomprehensibili, ac multo magis ineffabili, soli Deo noto, & in scripturis nobis non revelato, non qvidem corporali, & per oralem sumptionem, sed neqve etiam solo intellectu, ac pura puta fide, sed alia ratione, soli Deo, ut dictum est, cognita, illiusqve omnipotentiae relinqvenda. Phil. Melanchthon postqvam illi Lutheri sententia, qvam diu defenderat, displicuisset, in epistola ad Vitum Theodorum, (vid. R. Hosp. in l. supra cit. p. 169.) de negotio cœnae sic scribit: *Ego, ne longius recederem a veteribus,* posui in usu sacramentalem praesentiam, *& dixi:* Datis his rebus, Christum vere adesse, & efficacem esse. *Id profecto satis est. Nec addidi* inclusionem, *aut conjunctionem talem, qva* affigeretur τῷ ἄρτῳ τὸ σῶμα, *aut* ferruminaretur, *aut* misceretur. Pag. 375.) *Ego vero, etsi, ut dixi, realem pono* praesentiam, *tamen non pono inclusionem seu ferruminationem, sed* sacramentalem, *h. e. ut signis positis adsit Christus vere efficax. Qvid requires amplius?* Et in Locis commun. anno 38. Wittemb. excusis: *Qvid de verbis cœnae senserint ecclesiastici scriptores, ex dictis eorum apparet. Paulus inqvit:* Panis est commmunicatio corporis Christi. *Itaqve datis his rebus, pane & vino in cœna Domini, exhibentur nobis corpus & sanguis Christi, & Christus vere adest sacramento suo, & efficax est in nobis, sicut Hilarius inqvit:* Qvae sumpta & hausta faciunt, ut Christus sit in nobis, & nos in Christo. *Mirum profecto & ingens pignus est summi erga nos amoris, summae misericordiae*

cordiae, quod hac ipsa cœna testatum vult, quod se ipsum nobis impertiat, quod nos sibi adjungat tanquam membra, ut sciamus, nos ab eo diligi, respici, servari. Vide Hospin. p. 274.

Caspar Cruciger, theologus witebergensis, & Melanchtonis intimus, qvi etiam tractatui concordiae witebergensis interfuit, in literis ad eundem Vitum Theodorum, ut legere est apud Hospin. p. 171. haec scripsit: *Ego, qvantum possum, disputationibus illis interim sepositis, sequor, qvod existimo tutissimum; veram, adeoqve σωματικὴν παρουσίαν esse in usu eucharistiae, qvam verba cœnae, & Paulus omnino videntur ponere, & verba nicaeni Concilii plane testantur. Sed ut* praesentiam *omnino ponendam esse sentio, ita de* modo παρουσίας *non disputo. Puto hoc simplicitati fidei sufficere, credere, qvod vere adsit Christus, & ejus corpus & sanguis vere exhibeantur utentibus.*

Videantur & diligenter perpendantur Retractatio Mart. Buceri de Cœna Domini, qvam suis enarrationibus in qvatuor evangelistas inseruit, pag. 483. edition. hervag. & ejusdem Scripta anglicana p. 642. Historia de concordia circa negotium eucharisticum inter Lutherum, & superioris Germaniae theologos anno 1536. Witebergae inita, in Scriptis anglic. p. 648. Censura de tribus propositionibus a P. Martyre, Oxonii ad disputandum propositis A. 1549. ubi secundam propositionem Martyris, *Corpus & sanguis Christi, non est carnaliter aut corporaliter in pane & vino: nec, ut alii dicunt, sub speciebus pa-*

nis & vini, sic expressam optabat: (Pag. 376) Corpus Christi non continetur localiter in pane & vino: nec iis rebus affixum aut adjunctum est ulla mundi ratione. *Corpus & sanguis Christi uniuntur pani & vino sacramentaliter.* Et tertiae subjici voluit: *ita ut credentibus Christus hic vere exhibeatur. Fide tamen, nullo vel sensu, vel ratione hujus seculi intuendus.* Legatur etiam epist. ejusdem ad P. Martyrem eidem censurae praefixa, Definitio plenior S. Eucharistiae cum explicatione sua, ad petitionem D. Petri Alexandri atrebatensis, script. anglic. p. 551. & Defensio doctr. christiani, contra Robertum, episc. abrinc. p. 613. Idem contra Tigurinos defendit, *Christum in coena* praesentem *esse, praesentiae vero* modum *inexplicabilem, & proinde omnipotentiae divinae committendum.* Vide Hospin. pag. 162. l. c. Addatur Epistola Buceri ad Joannem a Lasco de re sacramentaria, qvam legere est in epistolis selectioribus illustrium & clarorum virorum, Lugduni Batav excusis A. 1617. centur. 1. epist. 5. Sibi tamen non semper satis constare videtur Bucerus, ut neqve etiam recte dubitare, qvid, vel ubi cœlum illud sit, in qvod Christum ascendisse credimus. Vide Confess. Buceri de S. eucharistia, Argentinae in schola publice dictatam, prout extat in Script. angl. p. 700. & confer p. 697. & seq.

Caspar Hedio theol. D. & concionator argentinensis, Buceri collega, in differt. de Pace eccl. catholicae apud Goldastum: *De eucharistiae*

stiae disfidio, inqvit, *qvod forte in spongiam cadet propediem, optimum videretur consilium: qvandoqvidem Evangelistae & Paulus de eucharistia circumcise meminerunt, veriti nimirum, ne qvid de tanto mysterio secus dicerent, qvam oportet, ut fidelis & prudens verbi minister, videns plerosqve sic tractare theologiam, ut incidant in mataeologiam, ipse* paucis & circumcise, & verbis Evangeliſtarum ac S. Patrum de pane & poculo illo myſtico loqvatur. *In hoc mihi, qvi disfidium hoc semper deflevi, & pejus angue odi, Phocionis athenienſis sententia placuit, cui, dum alii solliciti essent, ut qvam plurima dicerent, qvo viderentur diserti, diversa cura erat, nimirum ut, qvae ad rem faciebant, verbis qvam paucisſimis complecteretur.* Errat, qvi Paulo ac Evangeliſtis prudentior esse vult; deplorate errat, cui pudor est in consilio, qvi errorem etiam intellectum vult defendere. *Et in summa, de rebus divinis differere, periculoſisſimum est; taceo,* definire *velle. Confesſio de cœna Domini est,* Pag. 377.) *qvod Christus ut in ultima cœna, ita etiam hodie discipulis suis & credentibus, qvando juxta verba Christi,* Accipite, edite, hoc est corpus meum, *cœnam servant*, in hoc sacramento suum verum corpus & sanguinem vere ad manducandum & bibendum dat, in cibum animarum vitae aeternae, *ut ipsi in Christo, & Christus in nobis manere possit.* Haec ille.

Theologi witebergenses, Melanchthonis studioſisſimi tunc temporis sectatores, in con-

ventu dresdensi (vide Hospin. de origine & progressu libri concordiae cap. 3. p. 20.) & consensu in eo facto ajunt: *Firmiter credimus praesentiam veri corporis & sanguinis Christi in cœna.* Et paulo post: *Vitamus etiam peregrina, & ad institutionem cœnae nihil pertinentia certamina, quae ipse quoque Lutherus tandem praecidit. De sacramento corporis & sanguinis Christi nunquam docuimus, neque adhuc docemus, quod* Christus e cœlo, vel de dextra patris descendat vel ascendat, visibiliter aut invisibiliter; *sed firmiter retinemus articulos fidei,* Ascendit in cœlos, Sedet ad dextram patris, &c. *& omnipotentiae Dei relinquimus,* quomodo *corpus & sanguis Christi exhibeantur nobis.* Vide hic etiam Hospin. Historiae sacram partem alteram pag. 292. *Qualis autem,* inquiunt witeberg. & lipsenses theologi, *sit exhibitionis & praesentiae modus, cum sit revera imperveſtigabilis, inquirere & perveſtigare nolumus, sed affirmanti & vere exhibenti, veraci & omnipotenti Domino revererter credimus.* Joachimus Camerarius, vir doctissimus & Melanchthonis amantissimus, in Notis suis in N. T. in cap 26. Matth. * pag 96. τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, *nimirum* τὸ ἐν τῷ ποτηρίῳ. *Vescentibus ipsis, distribuit Jesus praesentibus panem corpus suum, & poculum, in quo esset sanguis ipsius, sive quemadmodum Chrysost.* ἐκεῖνο τὸ ἀπὸ τῆς πλευρᾶς ῥυὲν. *Sunt autem haec ejusmodi, quae non intelliguntur ab ulla humana sapientia extra Ecclesiam Christi, & soli religiosae fideliqve pietati nota; nec*

* Pag. 96.] Edit. lipsiensis A. 1572.

nec profanis disputationibus ad captum humanum qvasi enucleanda, *ut religionis sanctitas conservetur, & rerum arcanarum, qvae Greci* μυστηρια, *& Latini* sacramenta *appellaverunt.* In I. Cor. II. p. 49. pag. 378.) *Cum autem haec institutionis sint &* θεσικα, *non debet* ἀλληγορια *aut* τυπος, *neqve* τροπος, *inqve verborum significatione* διανοιας ζητημα *qvaeri, sed id intelligi simpliciter & religiosa fidei assensione comprehendi oportet, qvod dicitur.* Vbi non est intelligendus omnem simpliciter tropum excludere, nam neqve Lutherani rigidiores tropum aliqvem in verbis cœnae inesse negant: sed hujusmodi tropum, qvo vera & realis praesentia, atqve exhibitio corporis & sanguinis Domini cum elementis sanctificatis excluditur & eluditur: fuit enim Camerarius tenacissimus doctrinae Melanchthonis, ut omnibus doctis constat.

Vt multos alios Germanos silentio praetereamus; Legati Wormatiam missi ab ecclesiis reformatis gallicis A. 1557. (vide Hospin. Hist. sacram. 2. part. p. 251.) hanc de cœna confessionem Lutheranis exhibuerunt: *Fatemur, in cœna Domini, non omnia modo Christi beneficia, sed ipsam etiam filii hominis substantiam, ipsam, inqvam, veram carnem, & verum illum sanguinem, qvem fudit pro nobis, non significari duntaxat, aut symbolice, typice, vel figurate, tanqvam absentis memoriam proponi, sed* vere ac certo repraesentari, exhiberi, & applicanda offerri, *adjunctis symbolis*

minime nudis, sed quae, quod ad Deum ipsum attinet, promittentem & offerentem semper rem ipsam vere ac certo conjunctam habeant, sive fidelibus sive infidelibus proponantur. *Jam vero* modum *illum, quo res ipsa i. e. verum corpus & verus sanguis Domini cum symbolis copulatur, dicimus esse symbolicum sive sacramentalem.* (1) Sacramentalem *autem* modum *vocamus, non qui sit figurativus duntaxat, sed qui vere & certo sub specie rerum visibilium repraesentet, quod Deus cum symbolis exhibet & offert, nempe, quod paulo ante diximus, verum corpus & sanguinem Christi, ut appareat, nos ipsius corporis & sanguinis Christi praesentiam in cœna retinere & defendere. Et si quid nobis cum vere piis & doctis fratribus controversiae est,* non de re ipsa, sed praesentiae modo duntaxat, *qui soli Deo cognitus est & a nobis creditur, disceptari.* Et paulo post: *Modum, quo res ipsa vere ac certo nobis communicatur, non facimus naturalem, aut localem copulationem imaginamur, aut crassam illam ac diabolicam transubstantiationem, non denique crassam quandam commixtionem substantiae Christi cum nostra,* Pag. 379.) sed (2) spiritualem modum *esse dicimus, id est, qui incomprehensibili spiritus Dei virtute nitatur, quem nobis in hoc suo verbo patefecit:* Hoc est corpus meum, &c. *Huic confessioni,* inqvit Hospin. loco cit. *Farellus, Beza, Carmelus & Budaeus legati subscripserunt, idqve eo titulo, qvod in Gallia, Helvetia & Sabaudia ad istum*

(1) Sacramentalem modum] Vide p. 384.
(2) Spiritualem modum.] Vide p. 380. 384.

istum modum de cœna Dominica doceatur & credatur. Displicuit confessio haec Bezae & Tigurinis, qvos diversum ab illa sentire lippis & tonsoribus notum erat, ut haud obscure fatetur ipse Beza. Nam cum ei illud objecissent Claudius de Sainctes in Examini Calvine & Bezae doctrinae de cœna, Beza in prima sua Apologia ad eundem Claudium respondet: *Qvod si* fidei *nomen additum fuisset, rectius factum esset. Neqve Farelli, neqve mea fides unqvam apud illos* (Tigurinos sc.) *in dubium venit. Optassent tantum, plenius illa fuisse a nobis perscripta. Hoc, sicuti par erat, mihi & communibus amicis* (Calvinum intelligit) *significarunt, qvod vererentur, ne qvi nostro illo scripto abuteretur.* Haec ille, qvem profecto, nihil erat, qvod puderet aut pœniteret confessionis istius; sed tamen non satis bona fide in Gallia, Helvetia & Sabaudia ad istum modum de cœna D. doceri & credi, affirmavit vir doctissimus.

Episcopus eliensis in Resp. ad card. Bellarmini Apolog. c. 1. p. 11. *Dixit Christus:* Hoc est corpus meum, *non*, Hoc modo hoc est corpus meum. *Nobis autem vobiscum* de objecto convenit; de modo lis omnis est. *De* Hoc est *fide firma tenemus, qvod sit: De* Hoc modo est, (nempe transsubstantiato in corpus pane) *de modo, qvo fiat ut sit*, sive Per, *sive* In, *sive* Cum, *sive* Sub, *sive* Trans, *nullum inibi verbum est. Et qvia verbum nullum, merito a fide ablegamus procul: inter scita scholae fortasse, inter fidei articulos non ponimus. Qvod dixisse olim fertur Durandus, neuti qvam nobis*

displi-

displicet : Verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, praesentiam credimus; *praesentiam (inqvam) credimus*, nec minus qvam vos, veram. *De modo praesentiae nil temere definimus;* (addo, nec anxie inqvirimus) *non magis qvam in baptismo nostro, qvomodo abluat nos sanguis Christi; non magis qvam in Christi incarnatione, qvomodo naturae divinae humana, in eandem hypostasin uniatur. Inter mysteria ducimus* (& qvidem mysterium est eucharistia ipsa) Pag. 380.) cujus qvod reliqvum est, debet igne absumi, id est, ut eleganter Patres loqvuntur, fide adorari, non ratione discuti. Haec ille. Vide etiam ejusdem conciones p. 9. 16. 22. 43. 52. 79. 118. 157 454.

Is. Casaubonus in Respons. ad epist. card. Perronii, citato & descripto integro illo episcopi eliensis loco ex libro contra Bellarm. pag. 924. affirmat, hanc esse fidem Regis, & Ecclesiae anglicanae super illa re, & p. 923. *Legimus*, inqvit, *in evangeliis, Dominum nostrum, cum hoc sacramentum instituebat, panem sumpsisse & dixisse*, Hoc est corpus meum: qvomodo panis corpus suum esset, ne verbulo qvidem uno explicuisse legimus. *Qvod legit Ecclesia anglicana, hoc pie credit; qvod non legit, pari pietate non inqvirit: mysterium istud magnum esse, humano ingenio incomprehensibile, ac multo magis inenarrabile, fatetur & docet.*

* J. ep. roffensis, de Potestate Papae in rebus tem-

* J. ep. roffensis] Is est Joh. Fisher.

temporalibus, contra card. Bellarm. in praef. ad lectorem: *Bernardi*, inqvit, *sententia haec est*, qvod usqve hodie eadem caro nobis, sed spiritualiter, utiqve non carnaliter, exhibeatur. *Huic consona est per omnia doctrina Ecclesiae anglicanae, qvae* (in Catechismo nuper aucto) *corpus & sanguinem Christi in cœna Domini*, vere & realiter exhiberi, & fide recipi *asserit*; modum autem spiritualem, & proinde ineffabilem & incognitum *tradit*, *& a qvaestione* περὶ τοῦ τρόπου *de modo praesentiae abstinendum esse docet.* Ibidem, ex Cyrillo in Joan. l. 4. cap. 13. & Theophylacto in Joan. 6. verba Durandi speculatoris, supra citata, & versus illos satis notos probat:

Corpore de Christi lis est, de sanguine lis est:
Deqve modo lis est, non habitura modum.

Citat etiam verba Hardingi in Responsione ad art. episc. Juelli (hac in re sententiae Tigurinorum & P. Martyris addictissimi) de reali praesentia art. 5. sect. ult. *modum praesentiae juxta omnes Catholicos verum & realem, sed longe sublimiorem & excellentiorem, supernaturalem, supersubstantialem, invisibilem, inenarrabilem, hujus sacramenti proprium*, non tantum spiritualem, & tamen spiritualem esse, immo talem esse, qvalem Deus unus novit. Pontificios autem reprehendit, qvi modum hunc definiunt, per viam *transsubstantiationis*, qvam ignorent antiqvi. Pag. 381.) Consentit R. Montacutius in Antidiatrib. contra Bulengeri Diatribam 13. p. 143. &

contra

contra anonymum controv. abbreviat. art. 35. & in Appello ad Caesarem, contra Purit. parte 2. c. 30. Videantur qvoqve doctissimus Hookerus de Politia ecclesiast. l. 5. sect. 67. & hyperaspistes ipsius, Wilielmus Covellus art. 17. de Transsubstantiatione contra Puritanos; Theophilus Fieldus, episcopus landavensis, in libello, qvem Parasceven paschae inscripsit, ubi Hookeri sententiam magnopere laudat, pag. 113. Bilsonus, episc. Winton. ad Apol. Jesuit. parte 4. & Chrisoph. Suttenus in lib. de hoc sacramento conscripto pene toto, maxime cap. 70. edit. londin. A. 1622. qvod caput tum latine, tum anglice, scriptum exstat de hac controversia lectu apprime dignum. Georg. Singus in defensione Jac. Vsserii, archiep. armachani, parte 1. anno 1632. excus. pag. 12. diserte affirmat, *neminem latere, qvod multi in Ecclesia anglicana* praesentiam *Christi in sacramento confiteantur, licet* modum *non assignent.*

Archiepiscopus spalat. ut constat, hanc sententiam prolixe tuetur lib. 5. de Rep. Eccl. cap. 6. & lib. 7. cap. 11. n. 7. & n. 8. *Hic*, inqvit, *est tam atrocis & periculosae dissensionis facillimus modus sopiendae, ut omnes* veritatem corporis Christi *in sumenda eucharistia exhiberi uno ore fateamur, & circa* modum, *qvo fiat haec exhibitio, qvippe ineffabilem & inexplicabilem, nobis omnibus silentium perpetuum indicamus, & ex hac dissensione schismata coalita extinguamus.* Vide eundem contra errores Fr. Suarez, cap. 2. Legatur qvoqve Petri Piche-

Picherelli, viri longe doctissimi & moderatissimi, Expositio verborum cœnae, & dissertatio de Missa. Auctor etiam Diallactici de Veritate corporis Christi in eucharistia, pluribus contendit, & ex scripturis ac Patribus ostendit, *eucharistiam non solum figuram esse corporis dominici, sed etiam veritatem ejusdem, naturam atqve substantiam in se comprehendere:* licet, qvae de discrimine *inter illud corpus Christi, qvod in sacramento distribuitur, & id, qvod de virgine Maria assumptum, in cœlos ascendit,* Bertramum seqvutus, differit, *facile aliqvos offendant,* (ut Cassandri verbis utar epist. 3. p. 1084.) *qvibus, ex verbis Christi persvasum est,* Pag 382.) *& qvidem vere, non aliud corpus in sacramento fidelibus dari, qvam qvod a Christo pro fidelium salute in mortem traditum fuit. Qvamvis autem,* inqvit porro Cassander, *hic distinctione aliqva opus sit, malim tamen illam ad modum praesentiae & exhibitionis, qvam ad ipsam rem subjectam h. e. corpus Christi adhiberi.* Diallacticon hoc exstat in fine volum. secundi Tractationum theologicarum Bezae. Autor hujus libri fuit J. * Ponetus, episc. wintonienſis, anglus, & non alio consilio scriptus & editus est, qvam ut dissidentes Lutheranos & Zuinglianos in gratiam reduceret. Vide Hospin. loco cit. pag. 245. 246.

Sed qvia sententia haec non sat recte intelligitur, neqve explicatur a multis, qvi eandem seqvi videntur, ac proinde concordia inter dissidentes impeditur, paulo distinctius hac de re, qvam

* Ponetus] Vide Hydei Catal. B. B. part. 1. 234.

qvam multi alii consveverunt, dicamus. Multi hanc veram & realem praesentiam corporis & sanguinis Christi in eucharistia, & utriusqve communicationem, ne oralem & corporalem aliqvam admittere & asserere videantur, *spiritualiter tantum & per fidem* effici & perfici affirmant. Ecclesiae anglicanae fidem sic exprimit Casaub. in Resp. ad epist. card. Perronii: *Ecclesia anglicana, ut rem omnem brevi compendio complectar, in cœna Domini realiter participem se fieri credit corporis & sanguinis Christi, atqve, ut Patres graeci dicunt, & qvod Bellarm. ipse fatetur,* spiritualiter: *Per fidem enim Christum apprehendunt & manducant. Eadem Ecclesia in exhibitione panis mystici haec verba ministro praescribit dicenda:* Corpus Domini, &c. accipe, & ede hoc in recordationem mortis Christi pro te, & temet illo ale in corde tuo per fidem cum gratiarū actione.

Spiritualiter profecto corpus Christi in eucharistia exhiberi & accipi, nonnulli veterum diserte dixerunt. * Athanas. in illud evangelii, *Qvicunqve dixerit*, Matth. 12. 32. *Qvot hominibus corpus ejus suffeciſſet ad cibum, ut universi mundi alimonia fieret? Sed propterea ascensionis suae in cœlum mentionem fecit, ut eos a corporali intellectu abstraheret,* Pag. 383.) *ac deinde carnem suam, de qva locutus erat,* cibum e supernis cœlestem, & spiritualem alimoniam (ἡ πνευματικὴν τροφὴν) *ab ipso donandam intelligerent.* Qvae enim locutus sum vobis, *inqvit,* spiritus & vita sunt. *Qvod perinde*

* Athanas.] Tomo I. edit. nannianae. p. 771.

perinde est, ac si diceret, corpus meum, qvod ostenditur, & datur pro mundo, in cibum dabitur, ut spiritualiter (πνευματικῶς) unicuiqve tribuatur, *& fiat singulis tutamen praeservatioqve ad resurrectionem vitae aeternae.* Haec sive ille, sive aliqvis alius scriptor vetus. Macarius homil. 27. *Illo tempore magnates, justi, reges & prophetae noverant, venturum esse redemptorem: at passurum esse, crucifigendum, &c. non norant, neqve ascendit in eorum cor baptisma futurum ignis ac spiritus sancti, item in ecclesia offerendum esse panem & vinum, antitypon carnis ejus & sanguinis, sumentesqve de pane visibili,* spiritualiter (πνευματικῶς) *carnem Domini esuros.* Bernhard. in serm. de S. Martino affirmat, in sacramento exhiberi nobis veram carnis substantiam, sed spiritualiter, non carnaliter, ut ipse Bellarm. fateri cogitur, de Eucharistia lib. 1. c. 2. sect. Tertia regula: *Licet*, inqvit, *non videatur haec vox* spiritualiter *multum frequentanda, qvia periculum esset, ne traheretur ab adversariis, non tam ad modum, qvam ad ipsam naturam significandam. Sed illud, Spiritualiter*, neqve Romanenses ipsi recte explicant, *dicentes, adesse Christum in eucharistia, non carnaliter, non corporaliter, id est, eo modo, qvo suapte natura existuntcerpora, nec sensibiliter, mobiliter*, &c. *sed* spiritualiter, *id est, modo existendi spirituum, cum Christus totus sit in qvalibet parte, adesse tamen per transsubstantionem, ita ut motis speciebus vere moveatur corpus Christi, qvamvis per accidens: qvomodo anima nostra vere mutat locum, cum corpus mutat locum, & ut vere & proprie*

dicamus, Christi corpus in eucharistia attolli, deponi, deferri, collocari in altari, vel in pixide, transferri a manu ad os, & ab ore ad stomachum, ut loqvitur Bellarm. loc cit. sect. *Ideo sit regula sexta. ut* adeo *recte in Concilio romano sub Nicolao II. compulsus sit Berengarius confiteri, Christi corpus, ratione specierum sive accidentium, qvibus conjunctum est,* Pag. 384.) *sensualiter sacerdotum manibus tangi & frangi*, ut asserit Bellarm. ibid. *Qvinta regula.* Haec omnia atqve id genus alia plurima, nec scripturae nec Patres unqvam nobis tradiderunt. Neqve etiam Protestantes illi, qvi illud, *spiritualiter*, sic intelligunt, nos *sola intellectu, ac pura fide* recipere in nos corpus Christi, mentem Spiritus S. in scripturis, & Patrum assecuti sunt. *Sic enim* (ut verbis utar Archiepiscopi spalat. de Rep. eccl. l. 5. cap. 6. in Appendice ad Cyrill. alex. * n. 8.) *nihil differret sacramentalis receptio, a fide incarnationis*; (adde etiam mortis & passionis) *differt tamen plurimum, non in effectu, qvia, ut vidimus in Hilario, per fidem incarnationis assequimur & animae salutem, & corporis immortalitatem, & in eucharistia idem*; *sed* in modo operandi: *in eucharistia enim, praeter fidem, qvae est necessaria, & qva per solum intellectum unimur carni Christi, qvae est objectum nostrae fidei, ponimus conjunctionem qvandam spiritualem verae & realis carnis Christi cum anima & corpore etiam nostro, qvam melius vocare non possumus, qvam* sacramentalem, h. e. *qvae per viam*

come-

* N. 8.] Pag. 162. &n. 25, p. 167.

comestionis fiat; ut, dum panem sacrum comedimus, simul cum pane, non via corporali, sed alia soli Deo nota, quam spiritualem *vocamus, quia certum est, non posse esse corporalem: eam vero fatemur cum Patribus esse ineffabilem, inexplicabilem,* inexqvisitam, *(ut Cyrillus vocat) h. e. non inqvirendam, nec indagandam, sed sola fide credendam, nobis exhibeatur ipsum verum corpus Christi.* Et paulo post: *Et haec unio realis sacramentalis, in modo longe diversa a sola unione fidei, omnes machinas, omnia argumenta omnia commenta Perronii demolitur, & vera Patrum sensa a reali praesentia, hoc est corporali remota, reddit compertissima. Alterum vero,* corporaliter, *omnino est* * *in Cyrillo admittendum, qvia &* objective, *& etiam* subjective *illud intelligit; ita ut corpus Christi sit receptionis objectum, & corpus nostrum sit ejusdem receptionis subjectum, & non solus spiritus aut intellectus, sed modus hujus receptionis sit penitus, etiam fidei nostrae, ut dixi, occultus, ut Christi corpus sit in nobis non solum objective, sed etiam subjective, modo tamen qvodam divino, spirituali & ineffabili.* Haec ille, apud qvem multa alia in eandem sententiam ibi atqve alibi legere est.

Ac proinde male docetur a multis Protestantibus, *hanc praesentiam & communicationem per fidem effici*, qvia, ut inqviunt illi, fides verbo Dei nitens, res facit praesentes, qvae promittuntur. Fides, ut constat, magis proprie dicitur accipere, & apprehendere, qvam vel polliceri vel praestare. Verbum Dei, & promissio,

* In Cyrillo] In Joh. lib. 10. c. 13.

cui fides nostra nititur, Pag.385.) praesentia reddit, qvae promittit, non fides nostra. Vide Cl. Espencaeum Oper. p. 923. & seq. de collatione habita Sangermani inter Protestantes & Romanenses aliqvot A. 1561. & J. Aug. Thuanum Hist. l. 28. p. 47. vel 568. Promissio hujus praesentiae & communicationis effectum qvidem, maxime salutarem, non operatur neqve obtinet, nisi in fide viva credentibus, & digne communicantibus, utriusqve tamen causa & fundamentum, est verbum promissionis Christi, non fides nostra.

Falso etiam asseritur, *haud aliter nos corpus Christi in eucharistia comedere, qvam Patres V. T.* qvi crediderunt in Christum. Haud dubie prisci fideles, ante Christi incarnationem, carnem Christi spiritualiter edebant in manna & rebus aliis figuratam, & sufficienter pro statu œconomiae illius, ad salutem. 1. Cor. 10. 3. 4. Sed nihilominus per communicationem carnis Christi in eucharistia, multo altius & solidius nos Christianos incorporari Christo, qvam priscos fideles, qvi Christi incarnationem praecesserunt, & spiritualiter tantum, sive per solam fidem carnem Christi manducarunt, credidit semper Ecclesia catholica. *Qvod in re sumebatur a Judaeis in esu agni paschalis,* (ut recte affirmat Arch. spalat. de Rep. eccl. lib. 5. cap. 6. n. 49. p. 95.) *nihil aliud erat nisi agnus, cibus de se consumptibilis. Christi enim corpus, etsi spiritualiter sumeretur per fidem, non tamen in re ipsa sumebatur, sed in spe. At vero* panis noster

noster exhibet ipsum Christi corpus reale in re ipsa, *& non in spe tantum. Illi igitur manducabant cum agno Christum fide rei futurae & speratae, nos vero comedimus eundem Christum fide quidem, ut illi, sed* fide rei praesentis, *quae actu ipso, & non sola spe, nobis cum pane exhibetur, modo tamen ineffabili, certe non corporali; quod illis non contingebat,* & sic illi re ipsa non comedebant corpus Christi. Vide etiam eundem ibid. n. 51. & 77. pag. 167. vel 119. & n. 97. pag. 191. vel 135. Admissa igitur illa, ut supra innui, Augustini expositione loci 1. Cor. 10. 3. verborum, *Patres nostri eandem escam spiritualem manducaverunt,* id est, (ut ait ille in Ps. 77. & tract. 26. in Joan.) Hebraei fideles eandem escam spiritualem comederunt, qvam nos, (licet Chrysostomus, Theophylactus, & alii multo rectius verba illa intelligant, *de esca eadem inter omnes Hebraeos* tum bonos tum malos, non autem nobiscum) nihil aliud inde conficitur, Pag. 386.) qvam eandem Judaeorum & Christianorum escam fuisse qvoad significationem, non autem qvoad rei significatae & figuratae praesentiam & exhibitionem. *Aliud est pascha,* inqvit Augustinus l. 2. contra literas Petiliani, c. 37. *qvod Judaei de ore celebrant, aliud, qvod nos in corpore & sanguine Domini accipimus.* Et in psal. 75. *Idem,* inqvit, *in mysterio cibus, & potus illorum, & noster; sed significatione idem, non specie, qvia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus.* Haud absurde igitur dicitur, agnū paschalem, mannā, petram, &c.

fuisse sacramenti eucharistiae typos & figuras, qvia, qvod illa typice significabant & figurabant, hoc non tantum significat & figurat, sed re ipsa etiam exhibet, sed bonis & fidelibus tantum, ut infra dicemus; licet panis mysticus nec substantialiter sit ipsummet Christi corpus, neqve etiam corporaliter idem in se contineat.

Perperam etiam asseritur, *non aliter in sacramento esse Christi corpus, qvam in verbi praedicatione & auditu, atqve res easdem esse, Christum in baptismo induere, & ipsius carnem ac sanguinem in coena sumere.* Christum illiusqve coelestia beneficia per verbum, baptismum & alia sacramenta, (de qvibus alias Deo propitio dicemus) atqve per fidem maxime ex parte nostra, modo viva sit ea, nobis a Deo exhiberi & a nobis accipi, certissimum est: Sed non minus certum est, per manducationem mysticam corporis Domini, & potum ejus sanguinis in eucharistia, nos multo efficacius & plenius, sublimius & augustius, strictius & arctius corpori & sanguini Christi uniri & incorporari, qvam per illa. Qvam ob causam hoc sacramentum dicitur per excellentiam *communio*, ut recte annotat Is. Casaub. Exerc. 16. n. 30. pag. 508. vel 444. qvia sc. hunc modum per manducationem mysticam Christus instituit longe efficacissimum perficiendae unionis & conjunctionis qvam arctissimae inter sese & membra sua, itemqve membrorum ipsorum inter se. In coena enim per admirabilem virtutem Spiritus sancti, invisibiliter substan-

substantiae corporis Christi communicamus, cujus participes efficimur, haud secus, ac si visibiliter carnem & sanguinem ejus ederemus & biberemus. In baptismo lavacrum est, sed hic alimentum. Baptismus ingressus est in ecclesiam: Cœna, nutrimentum in ecclesia & conservatio. Baptismus est *salus:* Sacramentum corporis Christi, *vita*, ut ait Augustinus de Peccatorum merit. & remiss. lib. 1. c. 24. Vide P. Picherellum de Missa pag. 208. & 210. & ad mysticam manducationem Pag. 387.) verum Christi corpus, non tantum animae, sed *etiam corpori nostri*, spiritualiter tamen, hoc est, non corporaliter, exhibetur, & sane alio ac diverso, nobisqve propinqviori modo, licet occulto, qvam per solam fidem: ut recte Archiep. Ipalat. l. c. pag. 27. vel 166. n. 25. *Et licet Joban. cap. 6. de esu sacramenti non agat*, inqvit P. Picher. pag. 193 *tamen de eadem carnis Christi manducatione spirituali, mysticaqve cum Christo conjunctione: illic certe per fidem de conjunctionis initio; in sacramento autem, conjunctionis majore propinqvitate, augmento, confirmatione, & strictiore arctioreqve vinculo, loqvitur.* Et fides, qva proprie Christi caro in eucharistia spiritualiter, h. e. incorporaliter, manducatur, non est ea sola, ut qvidam dicunt, qva Christus pro peccatis nostris crucifixus & mortuus creditur: ea enim fides praesupponitur qvidem & praereqviritur sacramentali manducationi, sed non est ejus propria; verum ea fides est, qva creditur verbo Christi

sti dicentis, *Hoc est corpus meum*, &c. Credere enim, Christum ibi esse praesentem, etiam carne vivificatrice, & desiderare eam sumere, nimirum hoc est spiritualiter, & recte eam manducare in eucharistia: unde Augustinus super Joan. tract. 25. *Quid paras dentem & ventrem? crede, & manducasti*; ut doctiores norunt & notant.

Deniqve gravissime erratur, qvando *Christum non esse realiter in eucharistia*, hisce ratiunculis urgetur: *Christus est in cœlo, loco circumscriptus*, &c. Igitur non est re ipsa vel realiter in eucharistia. Nemo enim sanae mentis, Christum e cœlo, vel de dextra partis descendere, visibiliter aut invisibiliter, ut in cœna vel signis localiter adsit, existimat. Fideles omnes unanimi consensu & uno ore profitentur, se firmiter retinere articulos fidei, *Ascendit in cœlos, Sedet ad dextram Patris*, & modum hujus praesentiae credere se non esse naturalem, corporalem, carnalem, localem per se, sed supernaturalem, & absqve ulla cœlorum desertione. Vide scripta Buceri anglicana pag. 548. Nimis tamen audacter qvam plurimi, multis retro seculis, atqve inprimis hoc nostro rixosissimo, nimis, inqvam, audacter, immo plus satis crasse & materialiter de *praesentiae modo* locuti sunt, hodieqve loqvuntur, qvem nos infinitae Dei sapientiae & potentiae omnino reliqvendum censemus. De caeteris, qvae de orali, etiam indignorum manducatione, corporis dominici dicenda, restant,

restant, Pag. 388.) supersedemus scribere, donec de transsubstantiatione & consubstantiatione differendi erit locus.

CAP. II.

In qvo de transsubstantiationis possibilitate agitur.

QVod ad transsubstantiationem attinet, admodum periculose & nimis audacter negant multi Protestantes, *Deum posse panem substantialiter in corpus Domini convertere.* Multa enim potest Deus omnipotens facere supra captum omnium hominum, immo & angelorum. Id qvidem, qvod implicat contradictionem, non posse fieri, concedunt omnes. Sed qvia in particulari nemini evidenter constat, qvae sit uniuscujusqve rei essentia, ac proinde qvid implicet, & qvid non implicet contradictionem, magnae profecto temeritatis est, propter coecae mentis nostrae imbecillitatem, Deo limites praescribere, & praefracte negare, omnipotentia sua illum hoc vel illud facere posse. Placet nobis judicium theologorum wirtembergicorum in Confessione sua anno 1552. Concilio tridentino propsita cap. de eucharistia: *Credimus, omnipotentiam Dei tantam esse, ut possit in eucharistia substantiam panis & vini vel annihilare, vel in corpus & sanguinem Christi mutare. Sed qvod Deus hanc suam absolu-*

tam omnipotentiam in eucharistia exerceat, non videtur esse certo verbo Dei traditum, & apparet veteri ecclesiae fuisse ignotum. Haec illi modeste satis. Consentit Andr. Fricius lib 4. de Ecclesia cap. 16. pag. 295.

Zuinglius & Oecolamp. aliqvoties, ut constat, concesserunt Luthero, & illius seqvacibus, ac proinde & Romanensibus, ut qvi idem non minore contentione urgent in transsubstantiatione sua defendenda, qvam illi in consubstantiatione sua, * Deum qvidem hoc *posse* efficere, ut unum corpus sit in diversis locis, sed qvod idem in eucharistia *fieret*, & qvod Deus id *fieri vellet*, id vero sibi probari postularunt. Pag. 389.) Vtinam hic pedem fixissent, nec ulterius progressi fuissent discipuli! In colloqvio maulbrunnensi actione 8 Jacobo Andreae lutherano objicienti, Calvinistas negare, Christi corpus cœlesti modo pluribus in locis esse posse, ita respondet Zach. Vrsinus, theol. heidelbergensis: *Non negamus, eum ex Dei omnipotentia pluribus in locis esse posse; hoc in controversiam non venit, sed an hoc velle Christum, ex verbo ejus probari possit. Itaqve hoc te velle existimavimus, Christi corpus non tantum posse, sed etiam re ipsa oportere in S. Cœna praesens esse.* p. 155. Idem Vrsinus actione ead. p. 153. *Conaberis etiam ostendere,* (alloqvitur Jacobum Andreae) *elevari & imminui a nobis omnipotentiam Dei, cum dicimus,* Deum non posse facere, ut corpus in pluribus sit locis, aut ut Christi corpus per

* Deum qvidem hoc posse efficere.] Vide pag. 391.

per lapidem penetret. *De quo responsum est non semel, nunquam quaesitum esse aut disputatum, an possit Deus hoc aut illud efficere; sed hoc tantum, an ita velit.* Quam vere haec ultima dicta sint, judicet lector aequus. Saepe enim Matth. Martinius contra Mentzerum asserit, *posse quidem Deum, sed non velle.*

P. Martyr in disput. de Eucharistia cum Romanensibus habita Oxonii A. 1549. illis concessit, per miraculum Christi corpus, per aliud corpus solidum forte penetrare potuisse, atque sic duo corpora simul in eodem loco fuisse, licet negaret, propterea unum corpus in pluribus locis simul esse posse. Utrumque tamen istud plurimis philosophis & theologis doctissimis in natura aeque absurdum & impossibile, & Deo tamen possibile esse videtur. Verba P. Martyris hic adscribam: *Quum Morganus, theologus romanae partis, locum ob ecisset Chrysostomi in cap. 20. Joan. hom. 86. de penetratione corporis Christi ad discipulos januis clausis, respondit P. Martyr pag.* 139. Chrysostomus adscribit corpori Christi levitatem & tenuitatem tantam, ut januis clausis ingredi potuerit, & crassitudinem tantam aufert, quanta potuit impedire illum ingressum, non tamen omnem. Subjecit continuo Morganus: *Corpus Christi intravit clausis foribus, crassitudine non impediente, ut dicis, ergo tunc erant duo corpora in in uno loco.* Martyr ad haec inquit: *Duo respondeo, primum, quod S. literae nobis narrant hoc miraculum: ideo facile illis creditur. Verum quod*

corpus

corpus Christi substantialiter praesens sit in multis locis, nusquam docent. Pag. 390.) *Alterum, quod affero, est: In illa penetratione corporis Christi ad discipulos, vi divinitatis potuisse quantitatem parietis ita cedere, ut duo corpora non fuerint simul eodem loco. Et memini Tertullianum (quia soletis etiam adducere corpus Christri egressum ex utero virginis clauso) in lib. de Carnis resurrectione scribere,* Christum nascendo vulvam matris aperuisse. *Quod etiam Cypr. in Expos. Symboli affirmat. Et Hieron. ad Eustochium scribit,* Christum de utero virginis cruentum egressum esse. *Sunt, qui existimant,* Christum egressum per uterum virginis integrum omnino & clausum. *Vt ergo non omnes idem sentiunt quoad hoc, ita ego duplicem tibi dedi responsionem; unam, qua penetrationem istam concedo per miraculum, non tamen ita, ut corpus Christi omnem quantitatem penetrando amiserit; a simili autem non concedo, corpus Christi esse in multis locis, quia hoc non tradit scriptura, sed secus ostendit. Altera responsio est, vi divinitatis cessisse fores, ut aliqui dicunt, apertum virginis uterum.* Et p. 198. *Deinde Patres, qui hanc penetrationem sic affirmant, non habuerunt forte pro tam absurdo, in natura duo corpora esse simul in eodem loco, quam unum corpus esse simul in multis locis.* Haec ille. Idem contra Gardinerum p. 37. *Mihi,* inqvit, *dubium non est,* vi divina partes ostii (per qvod Christus ad discipulos ingressus est) & lapidis (monumenti) cedere potuisse, *donec transiret Domini corpus, atque post illud obsequium rursus fuisse conjunctas. Sed*

vos

vos fingitis, mansisse lapidis & ligni soliditatem, atqve ea salva, neqve cedente, corpus Christi transiisse. *Cur suam potius non relinqvitis corpori Christi soliditatem, cui lapis & lignum ad momentum cesserit? Profecto, qvod a me dicitur, & faclius est, & longe verisimilius. Si cui tamen videretur vestrae imaginationi assentiri, qvod mihi non videtur, posset adhuc rixam movere, an tantundem absurdi habeant:* Duo corpora simul in eodem loco esse, & unum idemqve corpus, praesertim humanum, per multa loca defundi. *Vos, scio, dicetis, paria haec esse. Qvid si ille negarit, dixeritqve, hic tolli atqve aboleri naturam humani corporis, ibi vero servari? Qvibus, obsecro, rationibus illum a sua sententia dimovebitis?*

Rod. Hospinianus in lib. de Formula concordiae p. 33. facie altera: *Subito disparere, super aqvis ambulare, caeteraqve ejusmodi, veritatem corporeae substantiae non tollunt:* Pag. 391.) *neqve etiam per corpus solidum penetrare, qvia sunt duntaxat παραφυσικὰ & ὑπερφυσικὰ, sed* plurimis simul locis esse totum, &c. omnia haec sunt, vere ἀντιφυσικὰ, uniqve deitati qvadrant. Vide autorem, P. Martyri addictissimum.

Bened. Aretius, theologus bernensis, in Joan. 20. 19. *An vero clausis relictis foribus sit ingressus Christus, incertum est. Fieri potest, ut apertae sint sponte ad Christi praesentiam; tamen Theophyl. Chrysost. & Cyrillus sic accipiunt, qvasi divinitatis hinc argumentum eluceat. Vide Cyril. lib. 12. in Joan. cap. 53. & Theophyl. in hunc locum. Qvae*

senten-

sententia nihil habet absurdi, si ad majestatem solius Christi referatur. Nam qva potentia supra aqvas ambulavit, eadem fores vel aperire vel transire potuit, ut Deo nihil illi invium sit. Joach. Camerarius, vir praestantissimus, in c. 20 Joh. *Jam sub noctem advenit Jesus, nihil obstantibus aut impedientibus clausis foribus aedium, & mirabilem accessionem illam fuisse indicatur.*

Th. Bilsonus, anglus, episc. winton. de Christiana subjectione, parte 4. p. 373. edit. in 8. de perpetua B. Mariae virginitate differens, sententiam Augustini in Enchiridio ad Laurent. cap. 34. (*Qvod si vel per nascentem corrumperetur ejus integritas, jam non ille de virgine nasceretur, &c.*) probare videtur, qvod *B. virgo non minus post partum, qvam conceptionem, intemerata virgo permanserit*, i. e. non solum (ut multi alii Protestantes explicant) sine cognitione viri, sed, absqve omni omnino corporis laesione; & huic sententiae Augustini firmandae multa alia ex ejusdem operibus ibidem adducit. Similiter scribit Lancel. Andreas, episc. nuper winton, in concione super Isaiae verba cap. 8 v. 14. *Ecce virgo concipiet*, p. 74. circa finem, & pag. 574. affirmat, ante revolutum per angelum monumenti lapidem, Christum redivivum exiisse, licet de lapidis penetratione nihil diserte dicat. Audiatur hic etiam, si libet, lector benevole, Joan. Casus, anglus philosophus, & in medicina doctor oxonienſis, in Comment. in 8. l Physic. Arist. l. 4. c. 3. p. 523. *Non tamen hic nego, qvin divina*

vina potentia hoc fieri possit, ut unum numero corpus in pluribus simul existat locis, *cum constet, divina virtute corporum penetrationem fieri posse: quae manifesto probat, duo corpora esse posse in uno loco.* Pag.392.) *Quare pari modo non minus possibile est, per eandem virtutem unum corpus in locis pluribus contineri. De priori parte nemo christianorum philosophorum dubitat, qui credit, Christum illaeso virginis utero natum, clauso sepulcro resurrexisse, iterum ad discipulos obseratis foribus fuisse ingressum, & denique ad Patrem ascendentem cœlum penetrasse. De altera vero parte quis litigare debet, si placeat divinae majestati potentem virtutis manum Petro porrigere, ut super aqvam inambulet, & D. Ambrosio, ut in eodem instanti divinis rebus Mediolani assistere, & Turone exeqviis D. Martini praesens interesse dicatur?* * si Antonino, viro fide non indigno, sic narranti credamus. Vid. Anton. 2. p. Summae l. 10. cap 114. *Neque est quod hinc concludas* contradictionem in Deo. *Quae enim potest esse in infinito contradictio, quantumvis hominem in belluam, aut statuam salis vertat? At dices, esse contradictionem naturae, qvam ut ancillam sub umbra alarum fovet. Non est, tum qvoniam* illam ut servam suae voluntati & potentiae subjectam fecit, *tum qvoniam* illius naturam non immobilem, sed flexibilem, mutabilemqve fecit. *Adde etiam, qvod hoc concesso, non tamen sequatur contradictio, qvia* natura unius

Antonino] Patria florentino, ordinis Praedicatorum, ac postea Florentiae archiepiscopo, qvi vixit sec. 15.

unius vel alterius contra legem naturae concussa aut mutata, universalis natura eodem motu labefactata non concidit. *Hoc ergo imperium in multis sibi reservat Deus, ut mortales videntes mirabilia Dei, & Deum esse, & mirabilem in suis operibus existere semper agnoscerent.* Et paulo post: *Interim moneo curiosos sophistas istius aetatis, in qva (heu!) nimis multi athei esse contendunt*, ne in rebus sacris, divinae potentiae mirisqve & occultis miraculis naturae nimium increduli persistant. *Incredulitas enim in mysteriis Dei, infidelitatis filia est, spuriosqve infinitos nomine Christianos gignit. Si rationem ergo non videas, ne statim exclames, ut soles*: Hoc fabula est; fieri non potest, ut unum idemqve numero, corpus in duobus simul subsistat locis, aut duo in uno. *Qvi enim omnia ex nihilo finxit, efficere potest, ut corpus clauso sepulcro (non per angelos, ut ais, remoto lapide) surgat: ut clauso ostio, non cedente, (ut somnias) ad discipulos intret. Qvo concesso, cur spasmo, & paralipsi illius jam dextram laborare dicis, ut haec non possit? Nam qvamvis tecum consentiam, qvod raro haec faciat; dissentio tamen, si doceas, qvod omnino non possit.* Pag. 393.) Haec omnia ille, qvem cum opere mirifice laudant plurimi tum theologi, tum etiam medici & philosophi oxonienses, ut videre est in operis initio. Viri moderationem commendo. Saepe tamen est olitor valde opportuna locutus.

Ad Luc 2. 23. notat Maldonatus, a qvibusdam Patribus dici, *Christum solum nascendo matris uterum*

uterum aperuisse, sed qvam recte, nos, qvibus brevitas hic maxime placet, nihil dicemus in praesentia. Certe complures ex Patribus haec duo, ut miracula, Christi scil. nativitatem, seu ingressum in mundum per clausum matris uterum, & ingressum ad discipulos januis clausis, saepe conjungere solent, *in utroqve totam rationem facti esse potentiam facientis*, ut loqvitur Aug. in ep. 3. ad Volusium, affirmantes. Videantur hic alii hisce de rebus fuse differentes. Sed, ut dicamus qvod res est, *nihil hic certi, & tanqvam de fide, statui potest.* Ignorantiam nostram humiliter agnoscamus omnes in plurimis, qvae a Deo facta leguntur, qvaeqve etiam non raro hodie fieri cernuntur: potentiam divinam admirari discamus, & caveamus, ne propter nostri pectoris angustias qvicqvam absolutae Dei potentiae, qvi operatur supra qvam petimus aut intelligimus, Ephes. 3. 20. detrahamus aut derogemus.

De modo, qvo Christus in cœlum assumptus est, placet modestia Gulielmi Estii, qvi in Annotat. ad Mar. 16. 19. sic scribit: *Curiosius nonnulli scrutantur, an Christo ascendente divisi fuerint cœli, an vero sine divisione eos penetraverit, qvomodo clausis januis ingressus fuerat ad discipulos. Arbitror dicendum*, Christum pertransiviſſe cœlos aethereos eo modo, qvo nunc est in summo cœlo, & qvomodo omnes beati cum glorioſis suis corporibus illic versaturi sunt: sed qvo id modo fiat, nihil certi. *Crediderim tamen, cœlestia corpora*

cessura sanctorum corporibus, eo modo, quo nostris hic corporibus aër cedit. Nam perpetuam illic dimensionum penetrationem ponere, minus habet rationis. Haec ille, qvi etiam de B. virginis partu differens Annotat. in Luc. 2. 23. sic loqvitur: *Vel dici potest, secundum multos catholicos doctores,* uterum virginis nullo modo fuisse apertum, sed miraculo qvodam supernaturali, sic Christum prodiisse utero clauso, sicut prodiit clauso sepulcro, & sicut ingressus est ad discipulos januis clausis: Pag. 394.) *vel secundum Hieronymum, & alios qvosdam dici potest,* per naturalem meatum exiisse foetum, sine ulla materni corporis violatione, qvalis fit in aliis matribus, qvae proinde magno cum dolore pariunt, maxime in primo partu. *Itaqve sicut in primo statu fuisset partus naturalis, per meatus naturales, sine detrimento maternae integritatis; ita dici potest, & in illa matre id accidisse, cui soli contigit sine corruptione concipere. Nam & in primo statu conceptus & partus sine virginitatis detrimento fuisset, qvia corrruptio est ex peccato.*

Accidentia etiam, *per divinam omnipotentiam extra omne subjectum posse existere,* putavit David Gorlaeus, ultrajectinus, in suis Exercitationibus philosoph. exercit. 5. sect. 2. p. 93. *Qvin & extitisse,* ipsi videtur *deduci ex historia creationis. Dicitur namqve, lucem esse conditam. Haec erat accidens, non aliqva substantia lucida. Appellavit enim lucem Deus* diem, *tenebras* noctem. *At dies non est substantia aliqva lucida, sed lumen productum, qvod*

qvod est accidens. Lux haec in nullo erat subjecto. *Qvodnam, qvaeso, fuisset illud? An aër? Sed ille die secundo demum producebatur. An terra? Sed haec est corpus opacum. An aqva? Sed haec erat terrae permixta. Taceo, qvod aqva illuminata* dies *vocari neqveat. An cœlum primo die conditum? Sed illud est empyreum. In eo vero non fuit haec lux, qvia in eo non fuit dies, non fuit nox. Lux vero* dies *vocabatur. Fuit ergo accidens extra subjectum.* Sic ille, qvi tamen, ut ab aliis rigidiorum qvorundam Protestantium placitis non penitus abhorruisse illum videas, exercit. 10. de Loco sect. 1. p. 212. contendit, *non posse unum corpus esse in duobus locis, ut nec duo corpora in uno loco.* Ratio haec de prima luce ab omnibus fere Romanensibus huic sententiae probandae affertur, in eandem sententiam citato etiam Basil. hom. 2. de Opere sex dierum, & rursus hom. 6. & Joanne damasc. lib. 2. de Fide orthod. cap. 7. Vide Bellarm. de Euch. lib. 3. cap. ult. Sed supra hac re placet magis judicium Bened. Pererii in Gen. 1. 3. *Si Basilius*, inqvit, *ut prae se fert, sensit, lucem, qvae est accidens, ab omni materia separatam, esse a Deo primo die creatam, maximum profecto inducit miraculum, & nunqvam alias factum, praeterqvam in unico eucharistiae sacramento.* Pag. 395.) *In prima vero rerum effectione ad miracula non est confugiendum. Qvod si Basilius existimavit, primam illam lucem fuisse factam in aliqva materia, qvae postea soli sit adjecta, vel ex qva formatus fuerit, idem sentit Be-*

da & Gregor. nazianz. in oratione de Novo die dominico. Audiamus etiam Estium in Annot. in Gen. 1. 3. *Probabilissimum*, inqvit, *videtur, per illam lucem intelligi*, vel corpus aliqvod lucidum, vel potius ipsam qvalitatem lucis, magna cœli parte diffusam. *Qvae qvidam lucida cœli pars, deinde fuerit instar materiae, ex qva postea in partes distributa, ac veluti in igneos globos condensata, sol, luna, caeteraeqve stellae factae fuerunt.* Christoph. Scheiblerus, lutheranus, Introd. log. c. 6. p. 302. 303. *Pontificii qvidem*, inqvit, *dicunt*, divina virtute posse accidens a subsstantia separari, sicut aiunt factum esse in eucharistia; in qva post consecrationem dicunt esse qvantitatem, & figuram, & saporem, & colorem panis, ablata subsstantia panis. *Sed haec sententia efficaciter refutatur ex scriptura, qvae post consecrationem etiam nominat* panem; *neqve ulla est necessitas hic a litera recedendi. Nunc autem non definimus, an alioqvin divina virtute possint accidentia extra subjectum subsistere.* Jo. Juellus, episc. sarisburiensis, vir qvidem doctissimus, sed Tigurinis & P. Martyri in controversia sacramentaria nimium addictus, ut supra monui, in Replicatione ad Hardingi responsionem, art. 10. de Accidentibus sine subjecto, in fine: *Novimus*, inqvit, *Deum omnipotentem esse, & posse non solum accidentia sustinere*, (sine subjecto sc.) *sed & mortuos, postqvam computruerint, ad vitam revocare. Sed, ut Tertull. contra Praxeam ait*, non, qvia omnia potest facere, ideo credendum

dendum est, illum feciſſe: ſed, an fecerit, reqvirendum. Similiter Arthurus, bathomenſ. & wellenſ. epiſc. in concione ſuper Marc. 14. 35. 36. p. 147. affirmat, *Romanenſes in argumento transſubſtantiationis multum de posſibili divinae potentiae diſſerere, qvum Proteſtantes ſolum de posſibili ſecundum voluntatem divinam loqvantur.*

Certe *haud pauca firmiter credimus omnes, qvae, ſi ratio humana conſulatur, non minus impoſſibilia eſſe*, & contradictionem manifeſtam implicare videntur, qvam ipſa transſubſtantiatio. Pag. 396.) *Dogma de reſurrectione eorundem numero corporum*, ut alia mittamus, poſt Origeniſtas & hujus ſeculi Anabaptiſtas, hodie etiam Remonſtrantes, tot non minus difficilibus, qvam curioſis, ineptisqve qvaeſtionibus, qvae aptae natae ſunt fidem & veritatem totius articuli de reſurrectione mortuorum plane ſuſpectam reddere ac dubiam, obnoxium eſſe videtur, ut affirmare non vereantur, de eo ſe nihil certi definire poſſe, ſed unicuiqve ſuum judicium derelinqvere liberum, donec ſummus arbiter qvaeſtionem decidat. Vide Reſp. ad Specimen calumniarum, pag. 121. & Apolog. cap. 19. Nimiam horum hominum hac in re, ut & in aliis multis, audaciam in dubium vocandi ea, qvae ab omnibus orthodoxis ſemper credita ſunt, & qvidem ſcripturis clariſſime ſuffragantibus, probare non poſſumus. Diſcant tamen hinc omnes, ſi paganam infidelitatem, vel etiam ſcepticam ἐποχήν, pyrrhoniam haeſitationem, & theologiam problemati-

cam, ut appellant, devitare velint, mature capistrum lasciviae rationis nostrae injicere, & sub fidei obsequium, in iis, quae clare sunt in scripturis tradita, humiliter captivare; in aliis etiam, quae non adeo clare nobis patefacta sunt, infinitam tamen Dei potentiam non nimis coarctare & restringere ad communem naturae cursum & rationis nostrae captum. Interest enim & nostrae pietatis, & Dei immensitatis, *ea sentire, quae sentire non possumus:* sentire quidem in ipso per ipsum, quae per nos sentire nequeamus. Nunquam satis fuerit homini felicis ingenii, cogitare omnia magnifica, ingentia, immensa de ineffabili omnipotentia Dei. *Nam quotus quisq; nostrûm ignorat insciitiam suam? Quam tum demum cum vera sapientia commutabit, ubi non invitus, ac vere lubens fatebitur, se nihil scire,* ut praeclare inqvit Scaliger Exercit. 365. sect. 9.

Pag. 397.

CAP. III.

Transubstantiationem de fide non esse, immo cum scripturis & Patribus vetustioribus pugnare.

NON *extare locum ullum scripturae tam expressum*, ut sine Ecclesiae declaratione in Concilio lateranensi, scilicet sub Innocentio tertio, congregatae, evidenter cogat transubstantiationem admitte-

re,

re, dixit Scotus, ut fatetur card. Bellarm. de Eucharistia lib. 3. cap. 21. *Atque id*, inqvit Bellarminus, *non est omnino improbabile. Nam etiamsi scriptura, qvam nos supra adduximus*, (nempe, Hoc est corpus meum) *videatur nobis tam clara, ut possit cogere hominem non protervum; tamen, an ita sit, merito dubitare potest, cum homines doctissimi & acutissimi, qvalis inprimis Scotus fuit, contrarium sentiant.* Gabr. Biel in Canonem missae lect. 40. *Qvamvis expresse tradatur in scriptura, qvod corpus Christi veraciter sub speciebus panis continetur, & a fidelibus sumitur:* tamen, qvomodo ibi sit Christi corpus, *an per conversionem alicujus in ipsum, an sine conversione incipiat esse corpus Christi cum pane, manentibus substantia & accidentibus panis, non invenitur expressum in canone Bibliae.* Cajetan. in 3. qv. 75. a. 1. *Dico autem*, ab ecclesia; *qvoniam non apparet ex evangelio coactivum aliqvod, ad intelligendum haec verba proprie, nempe, Hoc est corpus meum.* Vnde Alanus lib. 1. de Eucharistia cap. 34. p. 419. *Cajetanus*, inqvit, *& aliqvi vetustiores audiendi non sunt, qvi dicunt, panem desinere esse, non tam ex evangelio, qvam ex ecclesiae autoritate constare.* Episc. roffensis contra Captiv. babyl. c. 9. p. 99. *Corpus Christi fieri per consecrationem, non probatur nudis evangelii verbis, sine pia interpretatione Ecclesiae.* Et cap. 1. *Neqve ullum hic* (de loco Matthaei loqvitur, videlicet c. 26. v. 26.) *verbum propositum est, qvo probetur, in nostra missa veram fieri carnis & sanguinis Christi praesentiam* (qvalem sc. romana Ecclesia docet.)

cet.) Pag. 398.) Gul. * Chedzeus, anglus, theologus romanae partis, in Disput. oxon. cum P. Martyre de Eucharistia p. 75. *Quantum*, inqvit, *ad praesentiam corporis tui in sacratissimo eucharistiae sacramento, firmiter credo, Domine, ex ore tuo, &c.* p. 76. De modo autem, *qvo, aut qva ratione ibi sit*, an cum pane transselementato, & (*ut dicunt*) *transsubstantiato pane, apertis verbis scriptura non docet. Sed qvid dicemus?* Apertis verbis non docuit, ergo non docuit. *Absit. Docuit; sed obscurius, qvando dixit*, Hoc est corpus meum. &c *Docuit postea per Spiritum sanctum clarius, docuit Ecclesiam, docuit Concilia, docuit Patres omnem veritatem.*

Praeter multos ex doctissimis Protestantibus, qvi dogma transsubstantiationis cum scripturis, tum Patribus adversari luculentissime demonstrarunt, adi, obsecro, lector, eruditam P. Picherelli Expositionem verborum institutionis cœnae Domini, & ejusdem dissertationem de Missa lege, & diligentissime considera. Vide etiam Archiep. spalat. l. 5. de Rep. eccles. cap. 6. susissime hoc dogma impugnantem & refellentem.

Inter locos qvam plurimos, qvi ex Patribus contra hoc dogma produci solent, hi maxime illustres sunt. Joannes chrysost. in epist. ad Caesarium monachum contra hæres. Apollinarii: *Sicut*, inqvit, *antequam sanctificetur panis, panem no-*

* Chedzeus.] Melch. Adam. in vita P. Martyris vocat *Cheadreum.* p. 43.

nominamus : divina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis , dignus autem habitus est Domini corporis appellatione, etsi natura panis in ipso permansit, *& non duo corpora, sed unum Filii corpus, corpus praedicatur, sic & hic divina mundante natura*, (vel potius divina natura in corpore insidente, Graece enim ἐνιδρυσάσης legitur) *unum Filium, unam personam, utraque haec fecerunt.* Negant quidem Romanenses, (vide Bellarm. de Euch. lib. 2. cap. 22. aliosque) hanc epistolam Chrysostomi esse, cum inter Chrysostomi opera nuspiam reperiatur : extitisse tamen illius MS. in bibliotheca florentina exemplar, unde ista transscripsit, testatur P. Martyr, ut ex eo pag. 399.) affirmat Steph. Gardinerus, episc. winton. lib. 2. de Eucharistia, qvi etiam ibidem ait, extitisse ejus exemplar in Bibliotheca , vel archiepiscopi, vel archidiaconi cantuarienſis. Vide Crakanthorp. contra Archiepisc. spalat. cap. 73. p. 354. Hanc epistolam etiam citatam invenies in Collectaneis contra Severianos, qvae ex Fr. Turriani jesuitae versione habentur in 4. tomo Antiq. lect. Henr. Canisii, & Biblioth. Patrum tom. 4. part. 2. p. 4. & in fine libri Jo. damasc. contra Acephalos, apud eundem H. Canis. loc. cit. Alia Romanensium effugia vana omitto.

Nihil clarius verbis Theodoreti Dial. 1. cap. 8. pag. 54. edit. beumler. *Symbola & signa, qvae videntur, appellatione* corporis & sanguinis *honoravit,*

ravit, ὑ τὴ φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴ χάριν τῇ φύσει προσθεικὼς, *non naturam quidem mutans, sed naturae gratiam adjiciens.* Et Dial. 2. cap. 24. p. 113. οὐδὲ γὰρ μετὰ τ ἁγιασμὸν τὰ μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως· μένει γὰρ ἔτι τῆς προτέρας οὐσίας, ὑ τὸ σχήματος, ὑ τὸ εἶδος· καὶ ὁρατὰ ἐστι, καὶ ἁπτὰ, ὁια καὶ πρότερον ἦν. *Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura: manent enim in priore substantia, & figura & forma, & videri & tangi possunt, sicut & prius.* Sic illud corpus Christi priorem habet formam, figuram, circumscriptionem, &, ut summatim dicam, τὴ τ σώματος οὐσίαν, *corporis essentiam. etiamsi post resurrectionem immortale factum sit, & immune ab omni corruptione*, &c. Inepte Bellarminus l. 2. de Sacram. eucharist. cap 27. & alii Romanenses respondere solent, per naturam & substantiam symbolorum, qvam Theodoretus dicit remanere & non mutari, intelligere illum *naturam, & essentiam seu substantiam* (ut Bellarmino absurde loqvi placet) *accidentium*; parum etiam christianae charitatis & modestiae illis inest, qvi tanti nominis & meriti patris auctoritatem elevare conantur (vide Greg. de Valentia lib. 2. de Transsubstantiatione cap. 7. aliosqve plurimos) ex eo, qvod *de qvibusdam erroribus in Concilio ephesino notatus fuerit*; postea enim, ut ipsimet fateri coguntur, resipuit. Nempe hac rima elabi conantur, dum negare non possunt,

Theo-

Theodoretum asseruisse, *elementa in priore substantia manere.* Qvod tamen scripsit in dialogis illis, contra Eutychianos, magna cum laude & Ecclesiae approbatione, Nestorii haeresin detestatus, scripsit. Pag. 400.)

Gelasius, sive is fuerit episcopus romanus, ut qvidam etiam Romanenses arbitrantur, sive alius qvidam ejusdem nominis, (videantur hic * critici) testis certe antiqvus satis, & incorruptus,

* Critici] *Baronius* ad A. C. 496. n. 1. & seqq. *Bellarm.* de Scriptor. eccles. ad Gelas. papam & Gelas. cyzicecenum, p. 125. 126. *Rivetus* Crit. S. lib. 4. c. 26. *Raymundus* de Lib. mal. & bon. p. 140. *Gerhard.* in Patrol. p. 455. 457. *Olearius.* Abac. patrol. p. 173. *Placcius* de Scriptor. pseudon. p. 199. *Spondanus* in Epit. Annal. Baronii ad A. 496. *Labbaeus* dissert. de Scriptor. eccles. tom. 1. p. 342. *Du Pin* tom. 4. de la Nouv. Biblioth. des aut. eccles. p. p. 269. *Cave* Histor. lit. p. 260. 265. Qvorum priores scriptum hoc asserunt Gelasio cyziceno; qvatuor vero ultimi Gelasio papae. Atqve hujus esse librum, probatur exinde, qvoniam 1. reperitur in manuscriptis, cum epistolis Gelasii papae. 2. Fulgentius eum citat sub nomine Gelasii papae. & Joannes II. utitur inde testimonio, ut antecessoris sui. 3. Gennadius refert, Gelasium hunc *scripsisse grande & praeclarum volumen adversus Eutychetem & Nestorium.* Id qvod convenit *libro de 2. Naturis in Christo*, qvi qvamvis non mole, ipsa tamen re & sensu magnus est, & sic praedicabatur a Gennadio. 4. Stylus est Gelasii papae. Nec obstat, qvod non citet Patres latinos, sed Graecos: qvia ipsi agendum erat cum Graecis, apud qvos non inconvenienter allegare potuit Eusebium caesariensem.

ptus, libro de Duabus naturis in Christo contra Eutych. & Nestor. Biblioth. Patr. tom. 4. scribit: *Certe sacramenta, quae sumimus, corporis & sanguinis Christi, divina res est: propter quod, & per eadem divinae efficimur consortes naturae*; & tamen esse non desinit substantia, vel natura panis & vini. *Et certe imago & similitudo corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo nobis evidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo domino sentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus, & sumimus: ut, sicut in hanc, scilicet divinam, transeunt, Spiritu sancto perficiente, substantiam, permanent tamen in suae proprietate naturae, sic illud ipsum mysterium principale, cujus nobis efficentiam virtutemque veraciter repraesentat, ex iis, quibus constat, permanentibus, unum Christum, quia integrum, verumque permanere demonstrat.*

Similiter Ephremus, patriarcha antiochenus, contra Eutychianos (vide Photii Bibliothecam num. 229.) probare intendens, per hypostaticam unionem, nullam fieri naturarum in Christi persona confusionem, sed unamquamque suam substantiam & proprietates retinere, ad id similitudine utitur sacramentalis unionis, negans, in sacramentis mutationem unius substantiae in aliam fieri: *Si enim*, inqvit, *& unius personae, & utrumque, nempe manibus tractabile, & intractabile, nemo tamen, qui mentem habeat, poterit dicere, eandem esse naturam tractabilis & intractabilis, sub aspectum cadentis, & invisibilis. Sic etiam*

etiam corpus Christi, qvod a fidelibus accipitur, ἡ τῆς ἀισθητῆς οὐσίας οὐκ ἐξίσταται, & a sensibili substantia non recedit, (mala fide Andr. Schottus, jesuita, sive qvis alius interpolator, reddidit, *& sensibilis essentia non cognoscitur.*) & manet inseparatum a gratia intelligibili, & baptismus spiritualis totum & unum qvid factus & existens, proprium sensibilis essentiae, aqvæ dico, servat, τὸ ἰδιόν τῆς ἀισθητῆς οὐσίας, τὸ ὕδατος λέγω, διασώζει (ubi rursus male Schottus interpres, *hocqve substantiae sensibilis proprium est*, per aqvam, inqvam, servat) *nec amittit, qvod factum est.* Pag. 401.)

Observet heic lector verba, qvae habentur in praefatione, editioni Dialogorum Theodoreti Romae excusae per Stephanum Nicolinum A. 1547. praefixa: *Qvod de sacrosanctae eucharistiae mysterio dicit Theodoretus, dictum esse videtur ex eorum sententia, qvi falso asseruerunt, esse in eo pane corpus Christi, remanente tamen panis substantia, qvod qvidem falsum est. Qvanqvam Theodoretus hoc fortasse nomine aliqva venia dignus videatur, qvod de ea re ejus tempore ab Ecclesia nondum fuisset aliqvid promulgatum.* Greg. de Valentia loco supra cit. *Qvod si*, inqvit, *auctores illos* (Theodoretum, Gelasum, &c.) *nolint Panistae nobiscum ita interpetrari, ut certe possent, dabimus aliud breve & simplex & sine ullo incommodo responsum. Enimvero antequam qvaestio ista de transsubstantiatione in ecclesia palam agitaretur, minime mirum est, si unus aut alter, aut etiam aliqvi ex veteribus minus consideraverit &*

te & recte hac de re senserint & scripserint, maxime cum non tractarent ex instituto ipsam qvaestionem. Sic ille. Ruard. Tapperus art. 14. contra Transsubst. p.211. ad testimonium Gelasii respondens: *Qvamvis*, inqvit, *ante definitionem Ecclesiae catholicae veniale fortassis fuerit de* hoc articulo disputare & errare, *nunc tamen, sententia per Ecclesiam pronunciata, grandis est impietas, hanc transsubstantiationem impugnare.* Vide etiam Hardingum contra Apolog. Eccles. anglic. apud Juellum p. 248. & Fisherum contra Joan. Whiteum p. 514. c. 56. Martin. Eisengrenius de Ecclesia cap. 8. p. 64. *De illo*, inqvit, *primario dogmate, nempe de Christi existentia in eucharistia apud catholicos patres nunqvam fuit dubitatum, qvandoqvidem per illa verba*, Hoc est corpus meum, *catholica Ecclesia semper realem Christi corporis existentiam intellexit, & primariorum dogmatum ignoratio, nedum error, sinceritati repugnat. Vtpote illa religionis sunt primaria dogmata.* Illud vero dogma, *eucharistia est adoranda*, & caetera hujusmodi dogmata (*ut dogma transsubstantiationis*, unde maxime eucharistiae adoratio dependet) ex primariis collecta, ante illorum definitionem, aut ignorare, aut dubitare, aut circa illa aliter, qvam res se habet, citra pertinaciam asserere, fidei sinceritati non repugnat. Pag.402.) *Siqvidem hujusmodi dogmata nec primo, nec explicite proposita fuerunt ad credendum, sed ex primariis tantum dogmatibus colliguntur. Ante hujusmodi enim dogmatum authenticam propo-*

propositionem & expositionem atque definitionem, illorum ignoratio aut error, modo sit citra pertinaciam, non pugnat cum fide. Nam licet aliqui pastores & doctores aliquando hujusmodi dogmata ignorassent, aut de illis discordassent, aut circa illa errassent, nihilominus tamen in catholicae Ecclesiae communione & fide perseverarunt. Haec ille. Qvaedam recte dicta sunt, qvaedam perperam, ut paulo inferius dicemus. Vide etiam alios in hanc sententiam conspirantes. Non audent igitur Romanenses ipsi, paulo verecundiores saltem, negare, dogma transsubstantiationis communi Patrum omnium consensu minime niti.

De sententia Bertrami satis constat ex lib. de Corp. & sangu. Domini ad Carolum calvum imperatorem scripto: *Panis*, inqvit ille, *vinumqve figurate Christi corpus & sanguis existit. Nam* secundum creaturarum substantiam, *qvod prius fuerunt ante consecrationem, hoc & postea consistunt, &c.* Adisis autorem ipsum, multum a Trithemio in Catalogo ecclesiast. illustr. scriptorum laudatum; utut nunc Bellarminus aliiqve recentiores Romanenses ipsum, ut haereticum scriptorem, damnent. Neminem fere latet, qvae fuerit sententia theologorum belgarum, aliorumqve qvorundam de hoc Bertrami libello. In suo Indice expurgatorio: *Qvanqvam*, inqviunt, *librum istum* (Bertrami) *magni non existimemus momenti, itaqve non magnopere laboraturi simus, si vel nusqvam sit, vel intercidat; attamen, cum jam saepe recusus sit, & lectus a pluri-*

plurimis, & per interdictum nomen omnibus innotuerit haereticis, & constet de ejus prohibitione per varios Catalogos, fueritq; catholicus presbyter ac monachus corbeiensis Cœnobii, Carolo non tam magno, quam calvo charus ac venerabilis, & juvet historiam ejus aetatis; atq; in Catholicis veteribus aliis plurimos feramus errores, & extenuemus, excogitatoq; commento persaepe negemus, & commodum iis sensum affingamus, dum opponuntur in disputationibus, aut in conflictionibus cum adversariis; non videmus, cur non eandem aeqvitatem & diligentem recognitionem mereatur Bertramus, *ne haeretici ogganniant, nos antiqvitatem pro ipsis facientem exurere & prohibere:* Pag. 403.) *itaqve mirum non esse, pauca pro ipsis videri facere, nobis Catholicis tam irreverenter antiqvitatem vel in speciem a nobis dissentientem exsibilantibus ac perdentibus. Qvin & illud metuimus, ne liber iste non solum ab haereticis, verum immorigeris qvoqve Catholicis, ob interdictum, avidius legatur, odiosius allegetur, & plus vetitus, qvam permissus, noceat.* Haec censores illi. In fine censurae verba ista notatu digna sunt: *Tametsi non diffiteamur*, Bertramum tunc temporis nesciviſſe exacte, accidentia ista absqve substantia omni subsistere, & caetera, *qvae subtilissime & verissime posterior aetas per Spiritum S. addiderit.* Et fol. 1137. versu 2. *legendum* invisibiliter *pro visibiliter.* Et infra, v. 36. *Secundum creaturarum substantiam, qvod prius fuerunt ante consecrationem, hoc & postea consistunt, explicandum est:* secundum externas species sacramenti, &c. An hoc sit cum veteribus scri-

scriptoribus catholicis candide, & bona fide agere, judicet aeqvus lector. Audiatur hic Henricus Boxhornius, theologiae licentiatus lovanienſis, qvi relicta externa ecclesiae romanae communione, lib. 3. de Eucharist. harmonia, non procul ab initio sic exclamat: *Sed o incredibilis in me Dei opt. max. benificentia!* postqvam repurgatorii Indicis, qvem, tyrannizante Albano, Benedictus Arias Montanus, in piorum virorum lucubrationes injurius conceperat, executor inter primos factus, sexcentas contra falsa doctrinae pontificiae capita observationes virgula censoria annotaveram, (*qvam optarem lacrymis & sanguine meo eluere!*) *Deo misericorditer animum meum concutiente, & aperiente oculos meos, in papatu abominationem animadverti.* Haec ille. Vixit & scripsit Bertramus sub Carolo calvo, qvod fuit, ut ipse index belgicus explicat, sub annum Domini 870. (vel potius 875. aut amplius.)

* Ælfricus, vir doctrina praestans, circa annum Domini 990. in Serm. saxonico, Legend. in festo paschat. in Ecclesia anglicana: *In baptismo duo videmus: Juxta veram naturam, aqva est corruptibilis; ver mysticam benedictionem vim habet sanctificandi.* Itidem in sacra eucharistia, qvod videtur, panis est, & corruptibile corpus; qvod spiritualiter intelligimus, vita est, & immortalitatem

* Aelfricus] Sive Alfricus, primum cœnobioli alicuius, deinde abendonienſis, porro S. Albani, & denique malmsburienſis abbas: post haec cridiatunenſis, & inde wiltonienſis episcopus, ac tandem archiepiscopus cantuarienſis. Vide Cavei Hist. lit. p. 412.

litatem donat. *Multum differunt invisibilis rei virtus, & visibilis propriae naturae forma. Natura, est panis corruptibilis, & vinum corruptibile. Potentia Dei, est vere corpus Christi & sanguinis: non sic tamen corporaliter, sed spiritualiter.* Pag. 404.) Walafridi Strabonis verba de Rebus eccles. cap. 16. in qvibus panis & vini substantiam in eucharistia agnoscit, brevitatis studio omitto: ut & sententiam Ruperti, abbatis tuitiensis, qvae licet nova & peregrina fuerit in Ecclesia, dogmati tamen transsubstantiationis omnino contrariam fuisse, omnibus notum est: docuit enim, *panem eucharistiae hypostatice assumi a Verbo, eo prorsus modo, qvo natura humana ab eodem Verbo assumpta est.* Vide Bellarm. de Euchar. lib. 3. cap. 11. nec non Rabanum maurum, qvi vixit sec. 9. de Institut. Cleric. l. 1. c. 31. Testimonia aliorum veterum, immo vetustissimorum scriptorum, Irenaei lib. 4. cap. 34. Tertulliani, Origenis in cap. 15. Matth. Cypriani, Ambrosii, Augustini, &c. consulto praeterimus, ne millies ab aliis actum agamus.

Inter theologos scholasticos Scotus in 4. dist. 11. q. 3. uti dicit, *non extare ullum scripturae locum tam expressum, ut sine Ecclesiae declaratione evidenter cogat transsubstantionem admittere:* qvod non esse omnino improbabile, fatetur Bellarm. ipse, ut * supra dictum est; ita etiam nullam Ecclesiae in concilio generali declarationem, aut definitionem eam de fide esse, ante lateranense concilium

* Supra] Pag. 397.

um agnoscit. Adducit qvidem duas autoritates Ambrosii, remittitqve se ad alias multas, qvae habentur de Consecr. d. 2. & apud magistrum dist. 10. & 11. sed nullum nominat concilium ante lateranense. Hoc in illo minime probat Bellarm. l. 3. de Euchar. cap. 23. sect. *Vnum tamen addit Scotus: Id enim*, inqvit, *ille dixit, qvia non legerat Concilium romanum sub Gregorio VII.* Sed, ut recte respondet autor Apologiae pro Scoto, Paris. excus. anno 1623. p. 252. *Illa autoritas Concilii rom. habetur de Consecr. d. 2. cap.* Ego Berengarius, *qvam vidit & legit Scotus. Vbi tamen non agitur ex professo de transsubstantiatione, seu de panis & vini desitione, sed* de vera & reali Christi sub speciebus panis & vini praesentia, *qvam Berengarius negabat.* Haec ille. Hugo Cavellus in scholio ad locum illum Scoti ait: *Dicendum, qvod Ecclesia declaravit, istum intellectum esse de veritate fidei in illo symbolo edito sub Innocentio III. in Concil lateran.* Firmiter credimus, &c. & ad marginem notat: *Antea si ita credebatur, non ita expresse.* Pag 405.) Tartaret. in 4. d. 10. q. 1. *Non est necesse, ad salvandum hoc*, (videlicet praesentiam corporis Christi in sacramento) *fugere ad conversionem panis in corpus Christi, qva a principio institutionis hujus sacramenti, fuit necessarium credere, corpus Christi esse sub illis speciebus, qvia in hoc consistit veritas, & tamen* non fuit in principio ita manifeste dictum, qvod panis convertatur in corpus Christi. Joh. Vnbarn. in 4. d. n. 4. 3. disp. 42.

sect. 1. *In primitiva Ecclesia, de substantia fidei erat, corpus Christi sub speciebus contineri:* tamen non erat de fide, substantiam panis in corpus Christi converti, *& facta consecratione illinc recedere.* * Faber, faventinus, in 4 sent. d. 11. disp. 45. cap. 4. *Istae rationes D. Thomae,* (qvibus probat, deduci evidenter ex S. scriptura, non manere substantiam panis in eucharistia) *licet multi laborent, earum efficaciam ostendere, procul dubio,* secluſa autoritate Ecclesiae, minime cogunt; habent tamen multam probabilitatem. *Vnde Scotus non dicit absolute,* illas non concludere, *sed,* non cogere; *qvi enim oppositam partem sustineret, illis non convinceretur evidenter & necessario. Ratio ergo efficax sumitur ex autoritatibus SS. Patrum, qvae a magistro adducuntur dist 10. & 11. Sed qvod maxime urget, est autoritas Ecclesiae: habetur enim Extra, de Haereticis.* Haec ille. Eadem est reliqvorum Scotistarum sententia.

Petrus de Alliaco in 4. Sent. q. 6. *Qvarta opinio & communior est, qvod substantia panis non remanet, sed simpliciter desinit esse. Cujus possibilitas patet, qvia non est Deo impossibile, qvod illa substantia subito desinat esse, qvamvis non esset possibile creatae virtuti. Et licet ita esse,* non seqvatur evidenter ex scriptura, nec etiam id videam ex determinatione ecclesiae, *qvia tamen magis favet ei communis opinio Sanctorum & Doctorum, ideo teneo eam.* Et rursus: *Ille modus, qvi ponit,* substan-

* Faber, faventinus.] Fuit ei praenomen *Philippi.*

stantiam panis remanere, *nec repugnat rationi, nec autoritati bibliae, immo est facilior ad intelligendum, & rationabilior, & non ponit accidentia sine subjecto; quod est unum de difficilibus, quae hic ponuntur.*

Sententia Durandi, qvi *panis saltem materiam permanere* existimavit, cui erudito ignota est? Erasmus inter scriptores recentiores in Annot. in 1. Cor. 7. 39. p. 917. *In synaxi transsubstantiationem sero definivit Ecclesia:* Pag. 406.) *diu satis erat credere, sive sub pano consecrato, sive qvocunqve modo adesse verum corpus Christi.* Subdit qvidem: *Ubi rem propius contemplata est, ubi exactius expendit, certius praescribit.* Sed qvam certo, judicet orbis christianus. Et in Detectione praestigiarum libelli cujusdam: *Si recipimus*, inqvit, *recentium opinionem, nonne species panis & vini symbola sunt corporis & sanguinis Domini? Sin minus, nonne panis & vinum consecratum symbola sunt corporis & sanguinis dominici sub his latentium?* Vide tomum 9. 1281. Alphonsus de Castro adversus haeres. l. 8. tit. Indulg. *De transsubstantiatione panis in corpus Christi, rara est in antiqvis scriptoribus mentio.* Idem Erasmus, p. 780. tom. 9. *Olim satis erat credere, corpus Domini adesse per consecrationem sacerdotis: post inventa est transsubstantiatio.* Tonstallus, dunelmensis episcopus, vir doctissimus, de Veritate corp. & sangu. Domini in eucharistia p. 46. *Ab exordio nascentis Ecclesiae*, nusqvam qvisqvam catholicus ad baptismum admissus, dubitavit de praesentia Christi in eu-

stia, *sed omnes ante, quam ad lavacri fontem admittebantur, ita edocti, se id credere profitebantur, uti Justinus martyr. in secunda apologia sua contra gentes testatur. Caeterum* qvomodo *panis, qui ante consecrationem erat communis, ineffabili Spiritus sanctificatione transiret in corpus ejus, veterum doctissimi quique inscrutabile existimaverunt, ne cum Capernaitis non credentes verbis Christi, sed quomodo id fieret qvaerentes, tentarent supra sobrietatem sapere plus quam oportet: illis vero satis superque visum est, omnipotentiae ac verbis Christi firmiter credere, qui fidelis est in omnibus verbis suis, quique mirabilium suorum operandi modum, solus cum Patre & Spiritu sancto novit. Porro ante Innocentium tertium, rom. episc. qui in lateranensi Concilio praesedit*, tribus modis id posse fieri, *curiosius scrutantibus visum est, aliis existimantibus, una* cum *pane*, vel in pane Christi corpus adesse, *veluti ignem in ferri massa; qvem modum Lutherus secutus videtur: aliis*, panem in nihilum redigi, vel corrumpi: *aliis*, substantiam panis transmutari in substantiam corporis Christi; *qvem modum secutus Innocentius, reliqvos in eo Concilio rejecit:* Pag. 407.) *qvamvis miracula non pauciora, immo plura, qvam in reliqvis rejectis ab eo modis, oriri curiosius investigantibus videantur. Sed Dei omnipotentiae, cui nihil est impossibile, miracula cuncta cedere, hic, qvi cum Innocentio in eo concilio interfuerunt, visum est, atqve ita etiam is modus maxime cum verbis hisce Christi*, Hoc est corpus meum, *congruere illis visus est. Nam I. Duns Scotus, in 4. Sent. d. 11. q. 3. vocitando Innocentium*

centium, *ait*, tres fuisse opiniones: Vna, qvod *panis manet*, & tamen cum ipso vere est corpus Christi: Alia, qvod panis *non manet*, & tamen non convertitur, sed desinit esse, vel per annihilationem, vel per resolutionem in materiam, vel per corruptionem in aliud: Tertia, qvod panis *transsubstantiatur* in corpus, & vinum in sanguinem. Qvaelibet autem istarum voluit istud commune salvare, qvod ibi vere est corpus Christi, qvia istud negare, est plane contra fidem. Expresse enim a principio institutionis Eucharistiae, fuit de veritate fidei, qvod vere ibi & realiter corpus Christi continetur. *Hactenus Scotus. An satius autem fuisset*, curiosis omnibus imposuisse silentium, ne scrutarentur modum, qvo id fieret, *cum viae Domini sint investigabiles, sicut fecerunt prisci illi, qvi inscrutabilia qvaerere non tentabant, & facile Deum aliqvid efficere posse putabant, cujus nos rationem investigare non possumus? scribit namqve Augustinus ad Volus. epist. 3. dicens:* Demus, Deum aliqvid posse, qvod nos fateamur investigare non posse; in talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis: *an vero potius* de modo, qvo id fieret, curiosum qvemqve suae relinqvere conjecturae, *sicut liberum fuit ante illud Concilium, modo veritatem corporis & sanguinis Domini in eucharistia esse fateretur, qvae fuit ab initio ipsa Ecclesiae fides: an fortasse melius*, de tribus illis modis supra memoratis, illum unum eligere, qvi cum verbis Christi maxime qvadraret, & caeteros modos abjicere, *ne alioqvin*

qvin inter nimis curiosos illius aetatis homines, finis contentionum non fuisset, qvando contentioso illo seculo linguis curiosis silentium imponi alio modo non potuit, justum existimo (hoc tempori cedens loqvitur) *ut de ejusmodi, qvia Ecclesia columna est veritatis, firmum ejus omnino observetur judicium.* Haec omnia ille. Pag. 408.)

Refert Bernardus Gilpinus, Tonstalli cognatus, (vide illius vitam a Georgio Carletono, episcopo cicestrensi, nuper descripram, pag. 33, 42. & 48.) Tonstallum saepe dixisse, *Innocentium tertium in definienda transsubstantiatione, ut fidei articulo, temere & inconsiderate egisse, qvum antea liberum esset, opinionem illam amplecti, vel respuere; seqve ipsum, si concilio illi interfuisset, Pontifici persvadere voluisse, ut ab illa definitione abstineret.* Bened. Arias Montanus in Luc. 22. 19. verba ista, *Hoc est corpus meum*, sic exponit: *Verum corpus meum in hoc sacramento panis continetur sacramentaliter.* Et subdit: *Cujus arcanam & mysteriis refertissimam rationem ut explicatiorem habeant Christiani, dabit aliqvando Deus.* Hic procul dubio aqva illi haerebat. Cardinalis Lothar. in Colloqvio posnaceno, Bezae sermonem interrumpens, *Eqvidem existimo*, inqvit, *me posse tueri transsubstantiationem; sed non magnopere fuisse necesse, illam a theologis excogitari, arbitror:* nec puto hac de causa divisiones debere fieri in Ecclesiis. Vide Hospin. Hist. sacrament. part. alter. pag. 300. Calvinus Epist. pag. 518. Cl. de Sainctes Resp. ad Apolog. Bezae pag. 64. J. Ferus:

rus: *Cum certum sit, ibi esse corpus Christi*, qvid opus est disputare, *num panis substantia maneat, vel non?* in Matth. 26. ut citatur a D. Humfredo, Jesuitismi parte 2. rat. 3. & a Joh. Barnesio in suo Catholico romano pacifico. Sed in posterioribus Feri editionibus locus fœde corruptus est, & qvibus autoribus, qvis nescit? videlicet hoc modo: *Cum certum sit, ibi esse verum Christi corpus, certum est, panis substantiam non remanere.* Videatur etiam autor Exam. pacifici c. 1. p. 15. vers. anglic. Joh. Lasicius, polonus, de Religione Armeniorum, pag. 59. *In sacramento eucharistiae elementa naturas suas amittere negant, sacramentum religiosius Russis venerantur, persvasi, Christum esse in illo, qvalem Maria peperit: Christum plus qviddam in liturgia pati, qvam in cruce perpessus sit, ex Chrysostomo hauserunt. Id autem corporis ejus* sacramentalem fractionem *dicunt. Qvaerente vero me ex illis*, qvo id fieret modo, *siqvidem naturae panis & vini, etiam facta consecratione, immutatae permanerent?* Vi divina, *respondebant*, cui fides habenda sit.

Pag. 409.) Cardin. Perronius, tunc temporis episcopus tantum ebroicensis, in colloq. fontisbellaq. cum * D. de Pleff pag. 16. interprete Jacobo Conthono, burgundo: *Addit* (Plessaeus) *pro eodem proposito*, a card. Bellarmino reprehendi Scotum, qvod putaverit, transsubstantia-

* D. de Pleff.] Hic est *Phil. Mornaeus*, Monsieur du Plessis, seu Dominus Plessiaci, vel Plessaeus. Vide Blountii Censur. celebr. autor. p. 872.

tiationem non fuisse articulum fidei ante Concilium lateranense. *Id verum est*; non erat articulus fidei formaliter, *id est, non erat articulus fidei quoad formalitatem publicae professionis, & quoad prohibitionem, ne quis hoc ignorans excusaretur : non plus, quam processionem Spiritus sancti esse etiam ex filio, aliaque similia, ante idem concilium Lateranense pro articulis fidei publice profitendis habebantur.* Vide hic Resp. D. du Plessi. p. 9. de Colloq. fontisbell. Idem en Harangue pag. 33. (vide Widdringtoni Discussionem Discuss. Concil. lateran. part. 1. sect. 1. pag. 12.) *Si nihil plane ad doctrinam & disciplinam ecclesiasticam spectans, in eo Concilio* (lateranensi) *ex communi Patrum assensu decretum esset, sequeretur, posse ut falsum impugnari articulum de transsubstantiatione.* Is. Casaub. in Resp. ad card. Perronium : *Miratur vero Seren. Rex, cum fateatur tua illustris dignitas, non* προηγουμένως *quaerere vos, ut credatur transsubstantiatio, sed ut de praesentiae veritate ne dubitetur.* Jesuitae angli, cum in ipso tunc carcere essent ad minimum confessores : *Rem*, inquiunt, *transsubstantiationis, antiqui Patres ne attigerunt quidem.* Vide Discursum modestum de Jesuitis anglis pag. 13. apud Ep. elienſem contra Apolog. card. Bellarm. cap. 1. pag. 7. & Watsonum, Quodlib. 2. art. pag. 31. Locus Elienſis episcopi lectu dignissimus est. Joh. Barnesius in Catholico-romano pacifico de Eucharistia : *Assertio transsubstantiationis, seu mutationis substantialis panis, licet sit opinio communior,* non

non tamen est fides Ecclesiae ; & *scripturae ac Patres docentes* μετουσίαν, *sufficienter exponi possunt de admiranda & supernaturali mutatione panis, per praesentiam corporis Christi ei accedentem, sine substantiali panis desitione.* Μετουσίαν *illam in augustissimo sacramento factam plerique graves & antiqui scriptores ita explicant,* Pag. 410.) *ut non fiat per desitionem substantiae panis, sed per receptionem supernaturalem substantiae corporis Christi in substantiam panis.* Haec ille, qvi plurimorum scriptorum, qva veterum, qva recentiorum, testimoniis eandem sententiam comprobat.

Cardin. Cusanus similiter Exercitationum. lib. 6. p. 522. *Tamen si qvis intelligeret*, inqvit, *panem non transsubstantiari, sed* supervestiri nobiliori substantia, *qvemadmodum nos expectamus lumine gloriae supervestiri, nostra substantia salva, prout qvidam veteres theologi intellexisse reperiuntur, qvi dicebant*, non solum panem, sed & corpus Christi esse in sacramento, *ille habet ad vim vocabuli attendere.* Suarez tom 1. disp. 5. S. 1. *Scholastici qvidem hanc doctrinam de transsubstantiatione* non valde antiqvam esse *dixerunt, inter qvos Scotus, & Gabr. Biel.* Bellarm. Recognit. p. 8. §. 8. ait: *Dixi*, conversionem panis in corpus Christi non esse productivam, sed adductivam. *Qvod dictum video a nonnullis perperam acceptum, qvi inde colligunt, non esse hanc veram conversionem, sed translocationem.* Vasqvez in 3. D. Thomae disp. 18. cap. 1. *Cum hoc mysterium conversionis* (panis

nis & vini in corpus & sanguinem Christi) *ita posset explicari, ut rudibus etiam & ignaris ad intelligendum facile redderetur, sicut antiqui Scholastici illud explicarunt; audito nomine* transsubstantiationis, *tanta inter recentiores aliqvos Scholasticos de natura illius exorta fuit controversia, ut, qvo magis se ab ea extricare conati fuerunt, eo majoribus difficultatibus se ipsi implicaverint. Ex qvo etiam effectum est, ut mysterium fidei nostrae, non modo difficile ad explicandum & intelligendum ab eis redditum fuerit, sed etiam adversariorum nostrorum argutiis & cavellationibus illud magis expositum fuerint; cum alias, si sincere & plane explicaretur, sagittae parvulorum, plagae haereticorum effectae fuissent. Ipsa vero* VOX *conversionis & transsubstantiationis,* dissensioni & controversiae occasionem dedit, *qvod physicam, alicujusqve rei productionem primarie significare videretur. Qvare tota eorum disputatio, in inqvirenda natura hujus actionis, & termino per eam producto, posita est, hoc est, solicite inqvirunt,* qvalis *actio sit haec controversio,* Pag. 411.) *&* ad qvem terminum *per ipsam productum terminetur. Qvo sane principio supposito, necesse fuit, plures inter Scholasticos opiniones oriri, cum nihil, qvod plane hac via difficultatem explanet, inveniri qveat.*

Et qvia saepe ante dictum a Romanensibus & aliis, in Concilio lateranensi primum fuisse transsubstantiationis dogma definitum, qvantum fidei illius Concilii decretis tribuendum sit, videat lector, praeter Protestantes, eruditam dis-

puta-

putationem apud Widdringtonum in Discussione Discussionis decreti Concil. lateran. contra Lessium, sub nomine *Guil. Singletoni* personatum, parte prima sect. 1.

CAP. IV.

In qvo nec transsubstantiationem, neqve consubstantiationem haereses esse ostenditur, & simul de orali, atqve etiam indignorum manducatione corporis Christi agitur.

A Seculis aliqvammultis creditam fuisse transsubstantiationem qvibusdam fidelium, ut scriptores antiqviores silentio praeteream, clare testatur Bertramus presbyter in praefatione lib. de Corpore & sanguine Domini: *Dum enim*, inqvit, *qvidam fidelium in sacramento corporis sanguinisqve Christi, qvod in Ecclesia qvotidie celebratur, dicunt*, qvod nulla sub figura, nulla sub obvelatione fiat, sed ipsius veritatis nuda manifestatione peragatur: *qvidam vero testantur*, qvod haec sub mysterii figura contineantur, & aliud sit, qvod corporeis sensibus appareat, aliud autem, qvod fides aspiciat, *non parva diversitas inter eos esse dignoscitur. Et cum apostolus fidelibus scribat*, ut idem sapiant & idem dicant omnes, & schisma nullum inter eos apppareat, *non parvo schismate dividuntur, qvi de mysterio corporis sanguinisqve Christi non eadem sentientes eloqvuntur.* Haec ille.

Ea-

Pag.412.) Eadem sententia licet non ab omnibus, a qvamplurimis tamen jamdiu recepta fuit, atqve etiamnum defenditur, in Ecclesia non solum romana, * sed in graeca ; qvod patet ex Graecis recentioribus, (ut alios paulo antiqviores omittam) Niceta in Thesaur. orthod. Gr. MS. in bibl. bodleiana , Euthymio in Panoplia tit. 21. Nicolao methonensi, Samona gazensi, Nicolao Cabasila, Marco ephesio, & Bessarione, qvi omnes in suis opusculis apertissime transsubstantiationem confitentur. Et in concilio florentino non fuit qvaestio inter Graecos & Latinos, (ut Chemnitius E. C. T. p.278. aliiqve multi Protestantes affirmant) An panis substantialiter in corpus Christi mutaretur ; sed, qvibusnam verbis illa ineffabilis mutatio fieret, an solis verbis Domini, an vero etiam sacerdotis & ecclesiae oratione ? Videantur Acta Concilii florentini. Jeremias, patriarcha constantinop. in Censura ad Augustanam confessionem cap. 10. in qvo de Cœna Domini agitur, *Multa*, inqvit, *in hac parte de vobis referuntur , qvae nobis nullo pacto probari possunt. Ecclesiae igitur sanctae illud judicium est, in sacra cœna post consecrationem, & benedictionem, panem in illud ipsum corpus J. C. vinum autem in illum sanguinem , virtute Spiritu sancti transire ac immutari.* Et paulo post: *Neqve vero aut tunc, cum illis porrigebatur, ea caro , qvam ipse Dominus gerebat, in cibum dabatur Apostolis , aut sanguis in potum, aut nunc in divina mysteriorum administratione,*

* Sed & in graeca.] Walenb. tom. 2. p. 29.

tione, tanqvam corpus illud sursum translatum, de cœlo iterum descendat, (*blasphemum enim hoc est*) *sed & tunc, & nunc,* transformatis & transmutatis (μεταποιηθέντος καὶ μεταλλομένου) gratia Spiritus S. & ejusdem invocatione, qvi omne hoc perficit & consummat sacramentum, speciebus, per divinas & sacras preces, dominicaqve verba, *ipso qvidem pane in verum corpus Domini, vino autem in verum sanguinem transeunte & immutato.* Et rursus: *Illud ipsum verum corpus Christi, sub speciebus fermentati panis continetur.* Graeci, qvi Venetiis vivunt, in Resp. sua ad 12. Qvaestiones a Claudio card. Guisio propositas, (scriptum ex interpretatione J. * Levenklaii prodiit, A. 1571. Basileae) qvarum prima fuit: *Credunt Graeci, panis ac vini substantiam in Christi corpus mutari, manentibus tantum panis accidentibus sine subjecta substantia?* ita respondent: *Credimus & confitemur, panem in Christi corpus, ac simili ratione vinum in Christi sanguinem ita mutari,* Pag. 413.) *ut neqve panis, neqve substantiae ipsius accidentia maneant,* (en, qvo provehuntur!) *sed in divinam substantiam transelemententur. De qvo magni patris illius Chrysostomi testimonium in 26. Matth. audito:* Qvum Christus ait, *H. E. C. M. &c.* Citant & verba Theophylacti in 14. Marci, ad verba H. E. C. M. & verba Damasc. Orthod. fid. lib. 3. cap. 14. Cabasilae, & aliorum qvorundam. Ante paucos annos, cum hac de re ego cum Episcopo dypac. viro certe non indocto,

* Levenklaii] Qvi alias *Leunclavius* appellatur.

cto, conferrem, transsubstantiationem clarissime confitebatur, & ex Chrysostomo tueri conabatur. Caspar Peucerus, historicus & medicus clarissimus, in Historia carcerum, pag. 527. *Transsubstantiationem*, ait, *Pontificii sibi fecerunt propriam, & pro ea sola pugnant. Vocabulum cum re ipsa primae & puriori Ecclesiae ignotissimum, natum est in Ecclesia romana, & ab autoribus sententiariis & scholasticis introductum atque usurpatum. Recentiores Graeci cum hujus opinionis ex romana Ecclesia profectae meminerunt,* μεταβολὴν, *ut ostendunt canon graecae missae & Damascenus*, & μεταστοιχείωσιν, *i. e.* mutationem & transelementationem *vocant.* An μετουσίας *seu* transsubstantiationis *vocabulo utantur, dubito.* Μεταβολῆς *appellatio eadem est; quia primi autores hujus sententiae, finxerunt conversionem physicam simplicem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, quam posteriores Romani & Scholastici, manentibus accidentibus panis & vini, defendere ut possent, commenti sunt* μετουσίαν, *seu transsubstantiationem.* Haec ille.

Sandius anglus, eqves auratus, in Speculo Europae p. 233. *Graeci cum Romanis consentiunt in dogmate transsubstantiationis, & in universum de sacrificio, toroque corpore missae.* Videatur etiam Christ. Potterus * in lib. nuper edito contra tractatum scriptoris pontificii, cui titulus *Charity mistaken*, pag. 6 sect 7. Petrus Arcudius, corcyraeus presbyter lib. 3. de concordia Ecclesiae occiden-

*In lib.] Want of charity.

occidentalis & orientalis in septem sacramentorum administratione, cap. 2. *In sacramento eucharistiae inprimis Graeci agnoscunt & amplectuntur, quin & firmissime credunt* veram μετουσίωσιν, transsubstantiationem, *ut satis constat ex antiquis, & omnium aetatum* Pag. 414.) *Patribus graecis;* (Sed hoc falso dicitur, ut supra ostensum est) *novissime autem ex ipsomet Hieremia, patriarcha constantinop. cap. 10. suae Censurae contra Lutheranos: & quamvis eo nomine non utantur, sunt tamen auctores aliorum nominum, quibus eam, quantum fieri potest, appellant, & exprimunt: Dicunt enim* μεταβάλλειν, ἢ μεταβολὴν, μεταποιεῖν ἢ μετατόιησιν, μεταβαίνειν ἢ μετάβασιν, μεταῤῥυθμίζειν, μετασκευάζειν, μεταστοιχειῶν πλείωσιν, ἢ πλειῶν μέθεξιν, *aliaque id genus.*

Non possum igitur non mirari, qvomodo Thomas Mortonus, * episcopus, in libro tertio de Sacramento eucharistiae, cap. 4. sect. 7. pag. 144. *negârit, Hieremiae patriarchae transsubstantiationem creditam fuisse;* & ut hujus rei fidem faciat, haec citat verba ex Actis theologorum wirtemberg. & Hieremiae P. C. *Non hic nominis tantum communicatio est, sed rei identitas: etenim vere corpus & sanguis Christi mysteria sunt: non qvod haec in corpus humanum transmutentur, sed nos in illa, melioribus praevalentibus.* Non enim hic negat transmutationem panis in corpus Christi, sed transmutationem corporis & sangui-

* Episcopus.] Primum coventr. dein dunelmensis.

nis Christi in corpus humanum, sicut August. ait: *Non tu te mutabis in me, sed ego mutabor in te.* Certe Cyrillus, patriarcha constantinop. in sua Confessione fidei nuper scripta Constantinopoli, & Sedani excusa anno 1629. haec habet verba: *In eucharistiae administratione praesentiam veram & realem Christi confitemur & profitemur, at illam, quam fides nobis offert, non autem, quam excogitata docet transsubstantiatio, &c.* per omnia fere ad mentem Calvini. Vnde P. Arcudius praenominatus, in praef. sui operis ad Sigismundum III. Poloniae R. sic in illum impotenter debacchatur: *Non destiterunt unquam illi ipsi haeretici vexare infelices Graecos Ruthenosque, ac viro probo nec a rom. Pontifice dissentiente, patriarcha Timotheo Constantinop. vi veneni nuper extincto, alium quendam Cyrillum pseudopatriarcham alexandrinum, (qui nunc patriarcha CP est, si fato non est functus) calvinianae furiae alumnum, soluta Turcarum Imperatori pecunia, Graecis constantinopolitanis, quasi alterum antipapam obtruserunt. Is quamvis genere, nomine, habituque sit graecus, alterius tamen gentis nefaria dogmata toto pectore hausit,* Pag. 415.) *quae deinde Gracis in ipsorum provinciis, simplicioribus autem Ruthenis in tua editione, abjecta simulatione palam propinavit.* Haec ille. Sed qvicqvid hac de re senserit Cyrillus, certum est, recentiores Graecos a transsubstantiationis opinione non fuisse, neqve etiamnum esse, omnino alienos. Hosce autem omnes christianae pietatis cultores, haereseos aut erroris exitialis dam-

damnare, magnae profecto est audaciae & temeritatis.

Lutherus ipse in Captiv. babylonica anno 20. scripta: *Thomistica doctrina est*, transubstantiari panem & vinum. *Liberum est, citra salutis periculum, imaginari, opinari, & credere, remanere aut non remanere substantiam panis & vini*; permitto, qvi volet utramqve opinionem tenere: *Hoc solum nunc ago, ut scrupulos conscientiarum de medio tollam, ne qvis se reum haereseos autumet, si in altari verum panem verumqve vinum esse crediderit, sed liberum esse sibi sciat citra periculum salutis, alterutrum imaginari, opinari, & credere, cum sit hic nulla necessitas fidei.* Et rursus: *In sacramento, ut verum corpus, verusqve sanguis sit non est necesse, panem & vinum transsubstantiari. Permitto tamen aliis, opinionem alteram sequi, qvae in Decretali* Firmiter *statuitur, modo non urgeant suas opiniones pro articulis fidei acceptari.* Et in libro ad Waldenses fratres A. 1523. *errorem qvidem esse* dicit, *affirmare, panem in sacramento non manere, sed tamen* in isto errore non multum esse situm, *modo corpus & sanguis Christi cum verbo ibi relinqvatur.* Et ann. 1528. in Confessione majore rursum scribit, *se hactenus docuisse & adhuc docere*, parum referre, nec magni momenti qvaestionem esse, *sive qvis panem in eucharistia manere, sive non manere, sed transsubstantiari credat.* Haec ille, cum paulo pacatior esset. Vide Hospiniani Historiae sacram. partem 2. p. 7. 8. Lutheri inconstantiam in aliis scriptis non excuso.

Chemnitius in Exam. decreti Concil. trid. de Transsubstantiatione: *Sed dicat quis: Quare ita contendamus an substantia panis in eucharistia vel remaneat, vel non remaneat: cum thesaurus eucharistiae sit non panis materialis & vinum vulgare, sed vera & substantialis praesentia, exhibitio & sumptio corporis & sanguinis Christi? Respondeo,* inqvit, *nullo modo pari momento censemus panem & corpus Christi.* Pag. 416.) *Et Lutherus semper dixit,* se in tota hac disputatione, magis spectare praesentiam corporis & sanguinis Christi in cœua, qvam praesentiam panis & vini: *Sed* qvia transsubstantiatio pro articulo fidei, sub pœna anathematis proponitur, *necessario contradictum est.*

Longius Consubstantiatorum, qvam Transsubstantiatorum sententiam a Christi verbis recedere, sive litera spectetur sive sensus, affirmat Hospin. Hist. sacr. parte 2. pag. 7. & cæteri Calviniani communiter. Beza tamen parte altera Responsionis ad Acta colloqvii montisbelgard. pag. 253. *Verum est,* inqvit, *fuisse per nos* obnixe flagitatam fraternitatis dextram, *non qvasi per omnia consentiremus, sed ut omni offensione animorum sublata, placidae disqvisitioni deinceps aditus patefieret.* Consensus sendomirienſis evangelicorum fratrum, qvantum ad controversiam de S. Cœna Domini, sic se habet: *Qvantum ad infelix illud dissidium de cœna Domini attinet, convenimus in sententia verborum Domini nostri Jesu Christi, ut illa ortho-*

orthodoxe intellecta sunt a Patribus, & inprimis Irenaeo, qui duabus rebus, *scilicet* terreno & coelesti, hoc mysterium constare *dixit. Neque elementa signave nuda & vacua illa esse asserimus, sed* simul reipsa credentibus exhibere & praestare fide, qvod significant. *Hujus autem sancti mutuique consensus vinculum fore arbitrati sumus convenimusque, ut,* qvemadmodum illi nos, nostrasqve ecclesias, & confessionem nostram, in hac synodo publicatam, & fratrum orthodoxas esse testantur, sic etiam nos illorum ecclesias eodem christiano amore prosequamur, & orthodoxas fateamur, extremumqve vale dicamus & altum silentium imponamus omnibus rixis, distractionibus, dissidiis. *Ad haec recipimus mutuo consensu,* omni studio nostris fratribus omnibus perspicuros, atqve eos invitaturos ad hunc christianum & unanimem consensum amplectendum, colendum & observandum, illumqve alendum & obsignandum, praecipue auditione verbi (frequentando tam hujus, qvam alterius cujusqve confessionis coetus) & sacramentorum usu. Formula haec Consensus sancita fuit anno 1570. Vide Parei Irenicum cap. 2. Atqve idem Pareus sic commentatur ad 1. ad Cor. 3. 12. Per stipulas & ligna *intelligit apostolus dogmata non plane haeretica, impia, blasphema, cum fundamento pugnantia,* Pag. 417.) *sed erronea, vana, curiosa, non necessaria, doctrinae fundamentali admixta.* Et post stipularum acervum, eumqve paene magnum congestum, subdit: *Credere, qvod*

caro Christi ubique sit, qvod *in pane sit, & oraliter manducetur, idqve etiam ab impiis, stipula & palea est.* Haec ille. Non sunt igitur dogmata haeretica & cum fundamento doctrinae salutis pugnantia. Idem in Irenico capite 13. pag. 68. 69. *Porro qvi in uno tantum doctrinae capite, eoqve fundamentum directe non concernente, dissentiunt, eos charitatem neqvaqvam abrumpere, sed pacem colere omni modo convenit.* Et paulo post: *Verisime jam inde a schismatis hujus exortu non fuit controversia Evangelicis, nisi* de corporali praesentia in pane eucharistico, & orali manducatione corporis Christi, *qvam fidelibus & infidelibus communem esse volunt Lutherani.* Et pag. 71. *Vtrumvis sit, dicimus,* esse errorem non de fundamento, sed esse stipulam fundamento superstructam, cujuscunqve illa sit, & esse paleam. *Fatetur enim pars altera,* oralem manducationem sine spirituali, nemini ad salutem prodesse, sed noxiam esse: infidelibus item cum fidelibus communem esse. *Qvid igitur de ea litigabimus?* Et rursus: *Ponamus, veram esse oralem & impiorum manducationem, cum nondum sit de fide salutis, an qvisqvam eam non credens erit haereticus? ab ecclesia excludendus? Certe neutra opinio est de fide salutis.* Hier. Zanchius in lib. de Dissidio in cœna Domini tollendo ait: *Istud de Cœna Domini inter Ecclesias dissidium non est tale ac tantum, ut propter illud debeant turbae in mundo excitari, aut alterutrae Ecclesiae damnari.* Rich. Hookerus, licet transsubstantiationem & consubstantiatio-

ationem improbet, *pro opinionibus tantum superfluis, & qvae ut necessariae minime urgendae sint, habet.* Vide lib. 5. De Politia eccles. sect 67. & Covellum, ipsius hyperaspisten, artic. 17. de Transsubstantiatione, qvi eandem sententiam defendit.

Archiep. spalat. de Rep. eccles. lib. 7. cap. 11. n. 6. *Fateor, neqve transsubstantiationem, neqve ubiqvitatem haeresin ullam directe continere: ac propterea, qvi eas tenent & asserunt,* Pag. 418.) *non sunt tanqvam haeretici a Catholicis separandi. Errores enim & manifestas falsitates eos tueri non dubito; non tamen errores hi & falsitates sunt in fide, qvia nulli fidei vero articulo sunt contrariae. Errantes vero, & non in fide, non sunt haeretici a catholica communione separandi.* Credat, qvi vult, panem transsubstantiari in corpus Christi, & vinum in sanginem. Credat, qvi vult, corpus Christi sua ubiqvitate conjungi pani eucharistico; *ego neutrum credo: illi, qvi credunt, suae credulitatis suo tempore accipient confusionem.* Cum his ego, ut reliqvis Catholicis, communicare & volo, & debeo: *non enim sine causa schisma est faciendum. Sed in eorum erroribus nolo communicare.* Vide qvoqve n. 8. Idemqve etiam Romae, post reditum, transsubstantiationem de fide esse negavit. Vide Histor. mortis ipsius.

Joh. Barnesius, ut * supra dictum est, satis habet dicere, *assertionem transsubstantiationis, licet*

* Supra] Pag. 373.

sit opinio communior, non tamen esse fidem Ecclesiae, *& scripturas ac Patres docentes μετάβασιν*, communionem, *sufficienter exponi posse de admiranda & supernaturali mutatione panis, per praesentiam corporis Christi ei accedentem, sine substantiali panis desitione; quam sententiam ipsemet tuetur, ut maxime probabilem.* Sic enim scribit: *Interim cum bona venia & Calvini & Spalatensis, non est additio ad sensum apertum verborum Christi*, (ut illi docent locis cit.) *dicere*, corpus Christi esse in eucharistia, cum substantia panis permanentis, aut transeuntis. *Panis est instar indumenti, quo corpus Christi vestitur in eucharistia. Sicut ergo demonstrando vestes, sub quibus est Petrus, licet dicere*, Hic vel hoc est Petrus: *& sensus hujus dictionis, sic determinatae per designationem, est, Petrum esse ibi cum vestibus; ita ostendendo manibus panem, & dicendo*, H.E.C.M. *sensus dicti est*, corpus Christi est ibi cum pane vel permanente vel transeunte, uno vel altero modo. *Ac per consequens non est idololatria*, adorare Christum ibi in eucharistia realiter existentem. *Quare accipio confessionem Spalatensis, noloque, pacis ergo, quicquam addi ad verba Christi, non contentum in iis aperte.* Pag. 419.) *Non continetur autem in verbis Christi, substantiam* panis desinere adveniente corpore Christi ad panem: *ac propterea litigandum non est eadere cum iis, qui admittunt realem corporis Christi praesentiam in sacramento; ita ut corpus Christi in pane intret in os, &* marducetur non solum spiritualiter fide cordis, sed etiam sacra-

cramentaliter fide oris, *juxta illud Augustini contra Adverss. legis & Proph. lib. 2. cap. 9. qui ait*, nos in eucharistia Jesum fideli corde & ore suscipere.

Petro Picherello nec transsubstantiatio, neq; etiam consubstantiatio probata fuit, sed mystica praesentia, & participatio corporis Christi, spirituali modo infallibili: de iis tamen, qvi transsubstantiationem defendebant, qvam modestissime sensit & locutus est, & in communione Ecclesiae romanae svaviter & placide obdormivit, ut patet ex ipsius dissertatione de Missa cap. 3. circa finem: *Finem autem*, inqvit, *hic faciam de pane & vino in cœna remanentibus, si ante lectorem admonuero, in qvadam oratione* (intelligit orationem Cardinalis lotharingi in Colloqvio poissiaceno, unde facile colligi potest, qvo tempore fuerit hic tractatus ab autore scriptus) *celeberrimo conventu ante aliqvot dies habita, & magna immensae multitudinis attentione audita, magnoq; applausu accepta*, qvod ex fructibus terrae acceptum, & prece mystica consecratum consumitur, *fuisse pronunciatum* corpus & sanguinem J. C. esse. *Verum id nec habent, nec ferre possunt pulchra Augustini duo loca, lib. 3. de Trinit. cap. 4 unum, alterum cap. 10. e regione ad marginem orationis adnotata, & ab oratore permixta, confusa & depravata. Idqve pace, bonaqve venia tanti viri, tanta valentis auctoritate, tot dotibus, tot beneficiis, tot gratiis a Deo cumulati, veritatis ergo tantum dictum velim. Immo ex adverso uterqve locus ex prioribus ac poste-*

rioribus diligenter animadversus & consideratus, multum ab iis stat, qvi panem volunt esse superstitem. Vide etiam conclusionem contra transsubstantiationem & consubstantiationem in fine differt. ejusdem p. 212 & seq.

Contra *oralem seu corporalem corporis Christi manducationem*, vel potius *receptionem*, *sumptionem*, *participationem*, ut loqvi amant, Pag. 420.) qvi magis sobrie sapiunt & loqvuntur cum Romanenses tum Lutherani, (carnem enim Christi, dum in hoc sacramento recipitur & sumitur a nobis, non dentibus atteri seu frangi, existimant modestiores omnes contra alios, qvi crassissime hac de re loqvuntur, qvia *Christi caro in hoc sacramento tangi neqvit, estqve immortalis & impartibilis.* Manducatio *autem* realis *reqvirit contactum rei edendae, ut possit dividi & transmutari; qvod hic de corpore Christi fieri neqvit:* qvae verba sunt Salmeronis jesuitae tom. 9. tract. 20. pag. 136. aliorumqve multorum eadem mens est) multa praeclare a multis Protestantibus aliisqve viris moderatis scripta sunt, ut & contra *indignorum seu impiorum manducationem.* Haec nos ad suos autores, unde peti & possunt & debent, rejicimus.

Autor Diallactici de Eucharistia* supra citatus, scribit pag. 63. *Qvod autem negatur*, malos edere posse corpus Christi, *qvod necessario fieret, si virtus & gratia spiritualis cum pane conjuncta sit, responderi potest, distinctione utendum esse. Nam si specte-*

* Supra] Pag. 383.

spectemus ipsam sacramenti naturam, *divina virtus abesse a signo non potest, qva sacramentum est, & huic usui servit: sin* mores & ingenium accipientis, *illi vita & gratia non est, qvod alioqvi natura sua utrumqve est.* Videatur Cyprian. de Cœna Dom. & Augustin. contra literas Petiliani lib. 2. cap. 47. lib. 5. de Baptismo contra Donatist. cap. 8. & contra Crescent. lib. 1. cap. 25. qvos autor hic citat. Subdit autem: *Ex his & aliis multis locis patet, qvod eucharistia, qvantum ad sacramenti naturam attinet,* vere corpus & sanguis est Christi, vere divina & sancta res est, etiam qvum ab indignis sumitur: qvum tamen illi minime participes fiant gratiae illius & sanctimoniae, *sed mortem inde hauriant & condemnationem.* Vide autorem.

Christum autem *in eucharistia comburi, a bestia rodi & devorari posse,* christianis auribus indigna sunt, & multi etiam Romanenses vix ferre possunt. Crassus est hic, post alios multos, Bellarmini de Eucharistia lib. 3. cap. 10. error. Neqve eum qvicqvam hic juvat, qvod Christum non in propria, sed *in aliena specie* haec pati posse dicat: Pag. 421.) qvomodocunqve enim hae dicantur Christi corpori accidere posse, dictu absurdissima, & auditu indignissima sunt. Videantur alii modestiores, qvi ab hisce portentosis assertionibus abhorrent, & Hardingus apud Juellum art 23.

Ob hanc tamen sententiam, de orali, etiam indignorum, manducatione corporis Christi, sobrie

sobrie & modeste defensam, qvod a plerisqve cum Romanensibus tum Lutheranis fit, *nolim illos infamari & damnari, ut Capernaitas carnivoros, christicidas, αἱματοπότας*: haec enim convicia, ut nihil in se veri habent, ita ab omni christiana charitate aliena sunt; ac proinde ab illis abstinendum est, si Deum, si veritatem, & unitatem ecclesiae amamus.

De controversia inter ipsos Romanenses agitata, *An per eucharistiam consequamur solam unionem spiritualem cum Christo per charitatem*, ut nonnulli in complutensi & salmanticensi academia defenderunt, *an vero etiam realem & substantialem carnis nostrae cum carne ejus*, qvemadmodum cardin. Mendoza contra eos defendit, vide prolixam disputationem apud Vasqvez in 3. D. Thomae tom. 3. disp. 204. Vide etiam Thom. a Jesu de Oratione lib. 4. cap 27. aliosqve permultos.

Rationes, qvibus Protestantes rigidiores sibi videntur clarissime demonstrasse, *utrumqve dogma, & Romanensium, & Lutheranorum, cum fidei articulis pugnare*, ac proinde *haeretica, impia & blasphema esse*, abunde cum ab harum sententiarum defensoribus, tum etiam ab aliis Ecclesiae unitatis cupidis dissolutae sunt. Qvos consule.

Ac proinde, ut hunc librum concludam, non levis subit animum meum admiratio, qvando apud Th. Mortonum, episcopum Ecclesiae anglicanae, in opere de Eucharistia nuper edito anno

anno 1631. lib. 4. cap. 1. sect. 1. lego: *Nemini Protestantium*, saniorum scilicet, ut ille intelligit, *eam moderationem placere posse, de discrepantibus super modo praesentiae corporis Christi in sacramento sententiis, ut sectam romanam vel tolerabilem, vel reconciliabilem esse existimet; praesertim, cum quaestio duntaxat* Pag. 422.) *sit* de modo, *ac proinde tota controversia hac de re* inutilis & inanis *sit.* Haec ille. Faxit Deus, ut extremis vitatis, piam veritatem, qvae saepicule in medio posita est, in charitate omnes sectemur.

Soli Deo gloria.

Pag. 423.

Liber II.

In qvo de communione sub una, vel utraqve specie, de veneratione eucharistiae, atqve aliis nonnullis dogmatibus controversis agitur.

CAP. I.

De Communione sub una vel utraqve specie.

Res

RES non est adiaphora, vel libera fidelibus, ex calice eucharistico bibere, aut non bibere, sed necessaria (extra casum necessitatis scilicet, qva de re inferius) & imperata a Christo domino. Qvos in institutione cœnae suae jusserat manducare, eos similiter bibere omnes jussit: *Bibite ex hoc omnes.* Ac proinde alterius speciei interdictio plane illicita est; qvicqvid Romanenses contra contendunt. Res, inqvam, necessaria est; nam si aliqva est necessitas in his verbis, *Accipite, manducate*, perinde & in his erit, *Accipite, bibite.* Si nulla, possunt igitur laici non manducare, Pag. 424) qvemadmodum bibere illos non est necesse. Nam res non necessarias, citra omnem culpam omittere, cuiqve fas est, ut recte argumentatur Andr. Fricius in Defens. cœnae Domini, integre a populo sumendae pag 599. aliiqve viri doctissimi.

Frustra sunt, qvando aiunt, in illo, *Bibite omnes*, τὸ omnes, *restringi debere ad Apostolos*, qvos alloqvatur solos. Apostoli enim istic Ecclesiam totam repraesentabant; qvocirca τὸ *omnes* universe ad omnes fideles pertinet. Sic Patres omnes verba Christi intellexerunt. Etiam Paschasius Radbertus, qvi claruit A. 820. lib. de Corp. & sangu. Dom. cap. 15. *Bibite ex hoc omnes, id est, tam ministri, qvam reliqvi credentes. Hic est calix sanguinis mei, novi & aeterni testamenti.* Et sane mens fuit Christi, qvamvis soli adessent Apo-

Apostoli, praescribere Ecclesiae universae rationem administrandi hoc sacramentum, qvam observari vellet, usqve ad consummationem seculi. Qvod nisi nobiscum fateri Romanenses velint, unde qvaeso comprobabunt, manducationem panis, ad laicos pertinere; praesertim cum de ea non diserte *omnes* dicatur, qvod in calicis praecepto fit? ut recte Vossius disput. 5. de Cœna. Inanis etiam est illa commentitia *distinctio de sacrificantibus & non sacrificantibus*; illis scilicet necessitatem impositam esse, utramqve speciem sumendi, istis alteram tantum, nempe panem. Omnino enim si sacrificantes necessario utraqve specie utuntur, ut ostendant, in summo illo Christi sacrificio sanguinem ex corpore effusum fuisse, & cœnantes utraqve utantur necesse est, qvod Christus convivis suis in memoriam ejusdem sacrificii utrumqve dederit, & cibum & potum, & qvidem separatim utrumqve. Fricius l. c. ait, *Concilium constantinense, in qvo primum alterius speciei interdictio sancita fuit, sess. 13. clarissime Christi verba sic eludere conatur, ut pronunciet, licet Christus instituerit, & dederit sacramentum post cœnam discipulis, hoc non obstante observandã esse Ecceſiae consvetudinem, ut* non sumatur nisi a jejunis; *Ecclesiam pariter, etsi Christus sub utraq; specie sacramentum instituerit & dederit discipulis, jus habere praecipiendi, ut* laicis sub altera tantum specie *praebeatur*. Sed *dispar valde horum ratio est*, ut inqvit Vossius post alios innumeros viros doctos: *Nam Christus, ut calix bibatur, mandavit,*

davit, pag. 425.) *cum dixit, Bibite ex hoc omnes, Matth. 26 &, Hoc facite, quotiescunque biberitis, ad mei commemorationem. 1. Cor. 11. At non dixit similiter, Hoc facite post cœnam.* Nam *si*, ut inqvit Aug. epist. 118. ad Januar. *hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper sumeretur, credo, quod eum morem nemo variasset.* Frivola tandem est distinctio ista ab illis usurpari solita *inter Christi institutum & mandatum.* Qvis enim Christi institutum pro mandato non habeat, praesertim cum ita expresse dicatur? *Bibite ex hoc omnes.* Legatur heic apostolus Paulus, qvo nemo Christi mentem rectius nos docere potest. 1. Cor. 10. & clarius cap. 11. Qvae contra ex scripturis objiciuntur, nihil in se veri vel solidi habent. Videantur Protestantes.

Qvod ad Ecclesiae primitivae praxin attinet, ipsum constantinense Concilium loqvatur. Sess. 13. *Licet Christus*, inqvit, *suis discipulis administraverit* sub utraqve specie *panis & vini, tamen hoc non obstante, &c.* Et mox: *Haec consvetudo ad evitandum aliqva pericula & scandala est rationabiliter introducta; qvod licet* in primitiva Ecclesia hujusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraqve specie, *postea a conficientibus sub utraqve, & a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur.*

Qvae respondet Bellarm. cum aliis lib. 4. de Eucharistia ad objectiones ex Patribus, mera & inania subterfugia sunt, ut intelligenti lectori obscurum esse non potest. Notatu digna sunt illa verba, qvae in principio cap. habet: *Revera Patres*

tres bene intellecti (audax est haec assertio) *nihil eorum habent, qvae ipsi illis tribuunt. Nec tamen mirandum esset, si aliqvis eorum obscurius loqveretur, cum tempore ipsorum non fuerit ista qvaestio introducta, sitne utraqve species necessario sumenda.* Haec ille. Post plurimos alios, qvi hanc Ecclesiae romanae mutilationem eucharistiae cum scripturis, tum Patribus adversari clarissime ostenderunt, videantur inter Protestantes Juellus & Mortonus in opere eucharistico nuper edito, & Featleyus de Grandi sacrilegio Ecclesiae romanae, ut alios innumeros taceam: brevitati enim studeo, praesertim cum res tam clara sit.

Cassander in Consultatione de S. Communione christiani populi in utraqve specie, licet eam non jure divino Pag. 426.) simpliciter necessariam esse existimet, fatetur tamen, *veteres omnes tum Graecos tum Latinos, in ea sententia fuisse videri, ut existimaverint, in legitima & solemni celebratione corporis & sanguinis D. & administratione ac dispensatione, qvae in ecclesia fideli populo e sacra mensa fit,* duplicem speciem, panis & vini, esse exhibendam: atqve hunc morem per universas orientis & occidentis Ecclesias antiqvitus observatum fuisse, *tum ex priscorum Patrum monumentis, tum ex vetustis divinorum mysteriorum formulis apparere; inductos autem fuisse primo* exemplo & mandato Christi, *qvi instituendo hujus sacramenti usum, Apostolis, fidelium sacramenta participantium personam repraesentantibus,*

bus, qvibus dixerat, Accipite & edite, *iisdem ipse mox dicebat*, Bibite ex hoc omnes. *Qvod ex veterum sententia interpretatur Paschasius Radbertus*, tam ministri, qvam reliqvi credentes. Vide autorem ipsum, qvi multos hic citat Patres, inprimis illud Gelasii memorabile decretum (de Consecr. dist. 2. cap. *Comperimus*) qvo jubet eos, qvi superstitione aliqva impediti, a calice sacrati cruoris abstinebant, aut integra sacramenta percipere, aut ab integris arceri, qvod *diviso unius ejusdemqve mysterii sine grandi sacrilegio neqveat provenire.* Et p. 1025. edit. oper. paris. *His*, inqvit, *& hisce similibus rationibus inducta Christi Ecclesia, orientalis qvidem in hunc usqve diem, occidentalis vero, sive romana, mille amplius annis continuis, non aliter qvam sub duplici specie in conventu Ecclesiae sacramentum hoc administrasse legitur, idqve in pane & vino, atqve adeo separatim. Ætate autem Leonis & Gelasii pontificum, Manichaei hunc universalem & perpetuum Ecclesiae ritum violarunt.* Et p. 1027. *Non puto demonstrari posse, totis mille amplius annis in ulla catholicae Ecclesiae parte hoc eucharistiae sacramentum aliter in sacra synaxi e mensa dominica fideli populo, qvam sub utroqve panis viniqve symbolo, administratum fuisse. Nisi qvod* apud Latinos, parasceves die, solo pane pridie sanctificato & reservato communio fieri videatur. Sed graviores auctores, &c. Et p. 1028. *Non satis igitur considerate scribere videntur, qvi apud veteres, etiam in publicis conventibus, & ordinaria admini-*

miniſtratione, indifferentem uſum hujus ſacramenti in una vel duplici ſpecie *probare nituntur. Nam ut aliquando in altera ſpecie vel panis vel vini euchariſtia data & praecepta ſit;* Pag. 427.) *id tamen privatim & extra ordinem, & non niſi quodammodo neceſſitate impellente factum apparet.* Legatur integer ille tractatus: lectu enim dignissimus eſt, & omnia fere, qvae de hoc argumento dici poſſunt, iſtic reperias. Videatur idem in Conſultatione ſua artic. 22. ubi eadem ſupra tradita breviter repetit, & in epiſt. 19. item in epiſt. 102. 106. & 73. ubi ait, *optimos qvosqve deſiderio calicis teneri, ſed plerosqve expetendo non rectam rationem ſeqvi, qvod illum ita ſimpliciter a Chriſto praeceptum, atqve adeo neceſſarium putent, ut nullo tempore in altera ſpecie verum ſacramentum corporis Domini praeberi poſſit: qvae perſvaſio illis facile & damnandae tot ſeculis Eccleſiae romanae obſervationis, & ab ea deficiendi occaſionem praebeat.* Vide etiam epiſt. 115. qvae eſt ad Georg. Wicelium. Rectiſſime affirmat Caſſander in epiſt. 19. ſupra citata, *antiqvoribus ſeculis ad plenam, legitimam & ſolennem communionem, utriusqve ſacramenti corporis & ſanguinis Domini participationem neceſſariam habitam fuiſſe: de extraordinaria*, inqvit, *infirmorum, abſtemiorum, infantum, peregrinorum, domeſtica item & privata* (de qvibus Tertull. & Hieron.) *hic nil loqvor.* Vide etiam ejusdem Liturgica c. 31.

G. Wicelius in Via regia: *De communione ſub una ſpecie eſt in confeſſo, ſumptionem ſacramen-*

talem de altari aeqve omnibus Christianis communem extitisse ad salutem, per omnia novi testamenti tempora ; obliteratam qvidem paulisper apud nos occidentales, & ab usu promiscuo semotam suas ob causas, at non deletam omnino atqve extinctam. Sed male Ecclesia romana in publica synaxi usum calicis intermisit, *neqve ullae justae causae, cur hoc faceret, nedum ut illo laicis interdiceret, subfuerunt.* Subdit autem : *Ejus rei cum nube qvadam certissimorum testium septi simus, πληροφορίαν amplectimur, omni excluso dubio, alteram qvidem in hoc sacramento speciem,* cui assvevimus Latini, non impugnantes, nec ullis modis condemnantes, aut improbe irridentes, sed aeqvi boniqve consulentes, *& qvidem, uti tulerunt tempora novissima, partem in meliorem interpretantes, pro aliorumqve infirmitate, ignorantia ac meticulositate aliqva sufferentes. Multa etenim sunt,* Pag. 428.) *cujusmodi in reformatis etiam Ecclesiis ac utcumqve restitutis toleremus necesse erit, ut sciamus, ad perfectionem viam esse difficillimam.* Vide eundem in Methodo concordiae cap. 5. p. 20. *De participatione communionis facilis erit consensus,* si necessitatem legis (absolutam necessitatem intelligit) de utraqve specie laxârint Sectarii, siqve (1) Ecclesiastici, (2) utraqve vescentes (3) Erebi duci non miserint, *sed medium utrique tenuerint. Enimvero laudandum,* si generali Synodo consentiatur

(1) Ecclesiastici] Id est, Romano-catholici.
(2) Vtraqve vescentes] Seu eos, qvi Protestantes dicuntur.
(3) Erebi duci] i. e. Satanae, vel diabolo.

tiatur καθόλου in utramqve; *siqvidem olim ita communicatum in Ecclesia.*

Gerardus Lorichius lib. de Missa publice proroganda in 7. part. Canonis: *Sunt pseudocatholici, qvi reformationem Ecclesiae qvoqvo modo remorari non verentur. Hi ne laicis altera species restituatur, nullis parcunt blasphemiis.* Idem lib. de S. Euchar. fol. 73. *Non possum non culpare nostrates, qvi non animadvertunt*, sacramentum eucharistiae hinc in simoniae labi crimen, illinc in haereseos, & homicidiorum causam rapi, propter alterius speciei subtractionem. *Nec hujusmodi malis obviam eunt, sed magis dissimulant & adnivent. Vnde omnium hujusmodi malorum Dominus ab illis rationem in illo die poscet.* Vide ejusd. Epitomen textus & glossemat. in c. 6. Joannis, & Petrum Picherellum fuse in dissert. de Missa c. 4. de concomitantia & communione sub utraqve specie differentem. Legatur etiam Ferdinandi Imper. Rescriptum de usu calicis. Rem ita narrat Andr. Dudithius, episcopus qvinqveeccleſienſiis, caesar. Majestatis legatus, in orat. habita in Concilio tridentino pro permissione calicis in sacra cœna A. 1562. *Etsi antea satis perspicere potuistis, qvae Caesaris mens fuerit, cum a sancta Synodo calicis permissionem pro regnis & provinciis sibi subjectis petendam curavit, intellexistisqve tam ex eo libello, qvi caesareae Majest. suae nomine vobis oblatus est, qvam ex accurata illustrissimi domini Mantuani, primi legati, oratione, justis & necessariis causis Majestatem suam adductam*

esse, ut hoc peteret, &c. Vide (1) Goldastum Constit. Imperial. tom. 2. p. 399. Caesar. Majestatis Articulos (in qvibus hic unus est) de reformatione Ecclesiae, Pag. 429) per oratores in Conc. trid. propositos, p. 376. & oratorum scriptum de Communione corporis & sanguinis Christi sub utraqve specie, p. 377. & 378. & Imperatoris ipsius Rescriptum, p. 379. ubi *id se tum suo, tum Ducis Bavariae generi sui nomine petere* ait, *persuasum, rem dignam pietate ipsius Pontificis, & sibi gratissimam facturum.* (2) Vide etiam Literas Ducis Bavariae, aut earum summam, in Hist. Conc. trid. lib. 8. p. 1415. & apud Goldast. loc. cit p. 399. Idem qvoqve petiit Rex Galliae per suos oratores. Vide Goldastum ibidem, Jac. Aug. Thuanum Histor. lib. 35. Anno 1564. Histor. Conc. trid. lib. 6. p. 960. & seq. & autoris anonymi galli Recognit. Concil. trid. lib. 2. cap. 1. Nihil tamen hic praestitum est.

In Conc. trid. cardin. Madrucius absqve omni exceptione calicem permittendum censuit; similiter Episc. mutinensis, & Caspar. de Casal, episcopus leirienſis, natione lusitanus, vir & vitae exemplaris, & praestantis doctrinae, atqve Dudithius, episc. qvinqveeccleſienſis, tanqvam praesul, non tanqvam caesar. Maj. legatus tantum, qvanqvam plurimis aliis contradicentibus. Vide

(1) Goldastum.] Item Wicelii Viam regiam, edit. conring. p. 230.

(2) *Literas Ducis Bavariae.*] Qvae integrae exstant apud Conringium post Viam regiam Wicelii p. 254.

Vide Hist. Concil. trid. lib. 6. p. 965. Joan. Barnesius in Catholico-romano pacif. sect. 7. *Communio sub utraqve specie scripturis, Patribus & universalis Ecclesiae consvetudini est conformior*, ac per se jure divino praescribitur; per accidens tamen potest fieri, ut plebs sub una tantum specie communicet: & idem late probat ex Cassandro, & autoribus ab illo citatis in Consult. art. 22. & in tractatu de sacra Communione in utraqve. Alia plurima, qvae ex Romanensibus ipsis citari possent, ad ostendendum, hanc fuisse antiqvissimam, & qvidem universalis Ecclesiae consvetudinem ante secula pauca posteriora, brevitatis causa omittimus, & lectorem sedulum ad autores alios, ex qvibus haec peti possunt & debent, remittimus.

De *inconstantia* (1) *Lutheri de communione sub una vel utraqv specie*, tum a Romanensibus, tum etiam ab iis, qvi vulgo Sacramentarii dicuntur, saepe exprobrata, nihil nunc dicam. Vide Hospin. Histor. sacram. parte altera p. 12. 13. aliosqve. Historia August. Confess. Dav. Chytraei p. 254. edit. francof. A. 1578. de concessione, qvae super hac re Romanensibus Pag. 430.) facta dicitur Augustae a Protestantibus, (2) rem ita re-

(1) Lutheri,] Vide König. Cas. consc. p. 650.

(2) *Rem ita refert*,] In ipsa illa Chytraei editione, qvam auctor citat, atqve ego etiam possideo, haec leguntur verba: *Postea, de utraqve specie, non recitatur, qvomodo excusaverimus una specie uten-*

fert: *Dehinc de utraque specie sacramenti non indicatur, quo modo aut qua ratione excusemus illos, qui una specie utuntur: & ex odio adjicitur*, quasi nolimus docere, quod, qui sacramentum sub una specie percipiunt, non peccent. *Qui hoc ita obiter legit, possit opinari, nos consentire in unius speciei communionem, atque nihilominus vel ex odio, vel aliis iniquis de causis, in publicis concionibus nolle hoc profiteri. Nos autem e contra verbis & scriptis multoties exposuimus, quo pacto* eos, qui unam speciem per necessitatem, quae multiplex & varia esse potest, excusatos habeamus. *Hac autem concessione prohibitionem alterius speciei non approbavimus.* Vide Joh. Dietericum, lutheranum, contra Joh. Lampadii tertiam Mellificii historici partem pag. 37.

Bucerus in Defens. christ. reform. Hermanni, archiep. colonienſis, cap. 73. *Necesse igitur est, ut*

utentes. Et in tanta brevitate odiose ponitur, quod nolimus docere, quod non peccent unam speciem sumentes. Haec qui sic legit nude posita, cogitat nos probare ordinationem de utraque specie, & tamen odio alterius partis, aut propter alias cupiditates, nolle hoc in concionibus publicis fateri. Nos vero multis verbis, ad haec scripto quoque ostendimus, quomodo excusemus sumentes unam speciem propter necessitatem, quae multiplex & varia est. Interim non probavimus prohibitionem alterius speciei. Unde patet, verba citata, cum iis, quae liber Chytraei exhibet, non plane esse eadem.

ut totalem hanc calicis Domini, ac dispensationis ejus sublationem sinamus esse gravissimum sacrilegium, & abominandam operis ac mandati I. C. perversionem: *nemoque ullo fuco ordinationem seu dispensationem ecclesiasticam ex ea faciat, etiamsi multa millia filiorum Dei, ac verorum membrorum Christi sacrilegium istud ex ignorantia, sicut etiam alios abusus, longo jam tempore tolerarunt, ac simul exercuerunt.* Haec ille pag. 238. Et rursus pag. 241. *Si qvis esset,* * *qvi vinum bibere non posset, & tali solus panis Domini porrigeretur, haec sane esset Ecclesiae in hoc sacramento dispensatio, qvae illi, juxta exemplum & verba Domini de sabbatho, licita esset & concessa. At integrum sacramentum, cujusmodi est dispensatio calicis Christi,* universae Ecclesiae penitus substrahere, id ei nullo modo licet.

Episc. elienſis contra card. Bellarm. Apol. cap. 8. p. 192. *Si qvi in extremis viaticum petant,* ab hac autem vel illa specie abhorreant, *qvaeri potest porro,* an eo casu dispensari possit, ut altera tantum specie communicent: *& an (necessitate id urgente) immutari possit qvid in eucharistia, (ut olim in baptismo clinicorum) gratia divina humanum defectum supplente, cum sacramentum propter hominem factum sit, non homo propter sacramentum. Verum* Pag. 431.) casus ille in legem trahendus non esset, (*ut jam apud vos lex est*) *sed cessante ferrea necessitate, de reliqvo redeundum mox ad Christi institutum.* Ic.

*Qvi vinum bibere non posset.] Vide G. Königii Cas. catech. p. 648.

Is. Casaub. in epist. Excertitationibus praefixa: *Quid? audebuntne dicere, doctrinam de adempto populis calice* extra casum necessitatis, *esse illam Judae apostoli semel traditam fidem?* Vorstius in Antipistorio de Communione sub utraqve specie, part. 2. pag. 350. *Status qvaestionis verus est, An* ordinarie in cœtum fidelium, ubi nullum est necessarium impedimentum, *utraqve sacramenti species omnibus communicantibus, & qvidem necessario, puta ex ipsius Christi institutione & praecepto, administranda ac percipienda sit: an vero laicos, item clericos non consecrantes, sola panis specie contentos esse oporteat. Nos priorem sententiam tenemus, nimirum freti ipsa Christi institutione & praxi ecclesiae apostolicae, immo etiam continua observatione seqventis ecclesiae per mille amplius annos, &c.* Speciales tamen casus hic semper excipimus, *in qvibus alteram speciem fortasse sufficere posse, non admodum contentiose negamus.*

Archiep. spal. De Rep eccl. lib 5. cap. 6. n. 278. *Dico 1.* perfectum ac verum sacramentum consistere in utriusqve speciei sumptione: *ea enim fuit prima Christi institutio.* Et n. 279. *Dico 2. non esse adeo sub praecepto, ut eucharistia & in cibo & in potu semper a fidelibus sumatur, qvin* ex gravi, sed privata privatorum causa, possit cum fructu, & licite etiam, sub solo pane sumi, *licet in tali casu sacramentum vere & proprie, ut dixi, integrum non sit. Casus vero potest esse,* vel ubi vinum non adsit, vel in abstemio, vel commoditatis privatae gratia, *puta, qvia qvis malit domi*

domi communicare, qvam in ecclesia, ex legitima causa; is enim ferre secum panem potest, vinum non solet, ut exempla antiqva docent, apud Bellarm. de Eucharistia lib. 4. (1) *cap. 24. Sed* lege universali prohibere laicis omnibus, & auferre etiam invitis usum calicis, ubi nulla necessitas cogit, Ecclesia nullo modo potuit, aut potest: *qvod enim Christus concesit omnibus, perperam ab Ecclesia negatur: & ubi commode exhiberi potest & debet integrum sacramentum, cum maxima iniqvitate* Pag. 432.) *mutilatur & dimidiatur: & hoc merito expresse sub anathemate vetatur a Gelasio canone ecclesiastico de Consecr. dist. 2. cap. Comperimus.* Haec ille. Vide alia apud autorem ibid. & (2) in Ostensione errorum Suarezii cap. 2. n. 14. & 15. Plura de re adeo certa & clara scribere non libet. Legantur alii, qvi fusius hanc qvaestionem tractarunt; inprimis, praeter hactenus citatos, tres Dialogi Andr. Fricii modrevii, de Vtraqve specie cœnae dom. & Defensio eorundem per eundem autorem, ac Disputat. theologica 5. Ger. Io. Vossii, de Sacris cœnæ dominicae symbolis, accurata & nervosa; alios innumeros ut omittam.

CAP. II.

De consecratione eucharistiae, & ejusdem reservatione, ac veneratione.

Verba,

(1) Cap. 24.] Apud M. Antonium de Dominis mendose legitur, cap. 34.

(2) In Ostensione.] Qvae subjuncta est libro VI.

VErba, qvibus eucharistia conficitur, *debere esse consecratoria*, non concionalia tantum, i. e. non tantum dici debere ad populum instruendum, sed etiam, immo potius ad eucharistiam consecrandam, fatentur omnes saniores Protestantes. Sed consecrationem non aliis verbis fieri, qvam istis, H. E. C. M. & H. E. S. M. qvemadmodum contendunt Romanenses contra Graecos, id plane inficiantur pleriqve. Non enim solis illis Christi verbis consecrationem fieri existimant, sed *etiam mystica prece*, qva Spiritus sancti adventus imploratur, qvi elementa sanctificet, atqve adeo actione tota, qvatenus ea cum a ministro, tum a communicantibus fit secundum institutionem Christi.

Scriptura certe sententiae Protestantium magis favet, & plurimi Patrum passim dicunt, prece atqve invocatione elementa consecrari. Vide hic Archiep. spal. lib. 5. de Rep. eccles. cap. 6. n. 5. 6. & seq. fuse hoc probantem. Cas. sander in epist. 72. qvae est ad Ducis Cliviae cancellarium, *De discrimine* Pag. 433.) *Graecorum & Latinorum*, ait, *videtur tua excellentia non satis scripti mei sententiam observasse: nam diserte & expresse ibi scribitur, veteres Latinos cum veteribus Graecis*, non solum in sententia de consecratione, qvae mystica prece fit, sed etiam in precandi forma, qva Spiritus S. adventus imploratur, qvi proposita munera sanctificet, convenisse, *idqve probatur testimoniis Hieronymi, Fulgentii,*

gentii, Gelasii, Isidori. Veterum autem Latinorum, qui precis & invocationis meminerunt, passim obvia sunt, & commemorantur in Antididagmate coloniensi, ni fallor, ut est illud Hieronymi ad Evagrium, & Augustini de Trinit. lib. 3. cap. 4. De posterioribus vero Latinis, qvi a qvingentis annis fuerunt, praesertim Scholasticis, *manifestum est, qvod* formam consecrationis constituerint in solis istis verbis dominicis H. E. C. M. *reliqvas autem preces ad formam non pertinere.* Et paulo post: *Multo tutiorem existimo veterum Latinorum & Graecorum consensum, ut ex Ecclesiarum omnium consvetudine invocatio qvoqve adhibeatur.* Gul. Lindanus Panopl. lib. 4. cap. 41. eandem sententiam mordicus defendit ex Justino martyre Apol. 2. & Basil. de Spir. S. cap. 27. Sic & autores Antididagm. colon. ut patet ex ipsorum libro, & Buceri Defensio christ. reform. cap. 102. ubi male hoc *novum dogma* appellat, & non solum scripturae, & omnibus Patribus, sed etiam ipsis doctoribus scholasticis repugnare contendit. Christoph. de Capite fontium, archiep. caesarienſis, Tract. var. ad Sixtum V. pontif. Paris. 1586. cap. 1. prolixe defendit, *non in sola verborum illorum H. E. C. M. prolatione consecrationem fieri, sed etiam sacerdotis benedictione, seu precatione.* Huic sententiae firmandae adducit multos Patres post scripturam, & inter Scholasticos Scotum, & Scholasticorum turbam, qvi Scotum seqvuntur, Alphonsum etiam a Castro, & Lindanum; ad Missales qvoqve libros antiqvos sive liturgicos

fiden-

fidenter provocat omnes lectores. Vide episc. Mortonum de Euchar. lib. 1. cap. 2. p. 8. & Gerard. Jo. Vossium disp. theol. 2. de Sacris cœnae domin. symbolis, thesi 2. Alios, brevitatis ergo, silentio praetereo.

Haec controversiola diu jam, & magno animorum fervore agitata est inter Graecos & Latinos, & multi Latini cum Romanenses, tum etiam Protestantes, defendunt, nonnulli Graecorum, alii Latinorum sententiam pag. 434.) Neutra tamen gravis aut impii erroris damnanda est. *Multo tutiorem*, inqvit Cassander loco supra citato, *existimo veterum Latinorum & Graecorum consensum, ut ex Ecclesiarum omnium consvetudine invocatio qvoqve adhibeatur.* Archiep. spalat. loco cit. n. 5. *Major difficultas est, qvibus verbis sit facienda haec consecratio? siqvidem neqve scriptura, neqve traditio, ea praecise explicat. Omnes enim supra citati Patres eam precibus fieri contendunt, certas preces non explicantes; nonnulli etiam verba Christi H. E. C. M. &c. consecratoria & Christo fuisse, & nobis esse volunt: adeo ut Scholastici jam ferme omnes, in his verbis Domini constanter asseverent consistere vim, eucharistiam consecrandi; Roma vero hodie pro haeretico puniat, si qvis negaret. Ego autem (ut ingenue dicam, qvod sentio) ita probabilem puto hanc sententiam, propter alicujus patris, qvi eam tenuisse videatur, assertionem, ut tamen longe probabiliorem existimem aliam, nimirum* precibus Ecclesiae fieri eucharistiae consecrationem: *nam & scriptura huic sententiae magis favet, &*

plures

plures Patres eam docuerunt, & paucioribus implicata est difficultatibus. Et lib. 7. cap. 12. n. 104. *Aliae vero a Calvino reformatae Ecclesiae, si solâ concione, & ministri adhortatione conficiunt eucharistiam, nullis specialibus adhibitis precibus sacramenti consecratoriis*, ego plurimum suspicor, eos veram eucharistiam non habere: *neque video, quam excusationem possint afferre, cur antiquas aut non accipiant, aut non imitentur, in partibus essentialibus saltem, liturgias, & praesertim latinae Ecclesiae antiquissimae.* Erasmus super illud 1. Cor. 11. 24. H. E. C. M. *In omnibus*, inqvit, *accedendum est judicio Ecclesiae, licet hic sermo videatur jam panem consecratum porrigentis.* Mihi in totum videtur consultius, de rebus hujusmodi, qvae certis scripturae testimoniis doceri non possunt, sed ab humanis pendent conjecturis, non adeo fortiter asseverare, ut nostram opinionem oraculi vice haberi postulemus, ac fortasse tutius sit, ecclesiasticos proceres non temere pronunciare de qvibuslibet, qvae doceri non possunt, *qvum & ipsi sint homines & labi qveant.* Idem in Apologia adversus monachos hispanos, tom. 9. p. 868. *Christum his verbis consecrasse*, H. E. C. M. & H. E. S. M. Pag. 435.) *nondum mihi constat expresse pronunciatum ab Ecclesia, etiamsi constaret, a Christo nobis traditam hanc consecrandi formam: & juxta speciem probabilius videtur qvibusdam, qvod benedictione consecraverit. Nec ipse Thomas, nec hoc recentior Gabriel dissimulant, varias theologorum hac de re fuisse sententias, etiam or-*

thodo-

thodoxorum, qvorum nullus pronunciat, haereticum esse de hoc dubitare, *nec ullum inducunt autorem, qvi hoc affirmarit, praeter Eusebium emisenum, autorem parum secundae famae, si modo illius sunt verba, qvae referuntur in Decr. de Consecr. dist. 2.* Qvia corpus. Vide alia ibidem in eandem sententiam. Atqve haec hac de lite sufficiant. *in qva nihil temere, & tanqvam de fide definiendum est.*

Verus & legitimus hujus sacramenti usus in manducatione & potu consistit. Hoc ex parte etiam vidit inter recentiores Scholasticos Gabriel (1) Biel, in Can. lect. 36. (2) *Remissio peccatorum*, inqviens, *plus fit per usum hujus sacramenti, qvam per ipsum in se.* Non *enim* tantum prodest in pixide conservatum, *sicut oblatum & sumptum in vera fide & devotione.* Causam deinde subdit; *qvia manducatio & potio, hujus sacramenti est usus. Hinc*, inqvit, *& volens discipulos suos Christus fructus hujus sacramenti participes fieri, postqvam corpus suum consecravit, non sistebat in consecratione. Neqve dedit discipulis, ut ipsum honorifice conservarent, sed dedit in sui usum, dicens:* Accipite & manducate. Et paulo post: *Ex his satis patet, qvod* consecratio ad usum, qvi est ejus manducatio, tanqvam ad finem qvodammodo proximum ordinetur. *Qvia Christus, postqvam*

(1) Biel in Can. lect. 36.] Apud Cassandrum in Liturgicis p. 68. citatur lect. 26.

(2) Remissio peccatorum] Verba haec sunt B. Augustini lib. 2. de Trinit. ut ea citat Cassander in Liturg. p. 68.

postqvam accepit panem, benedixit, dedit discipulis suis, ut manducarent. Et lect. 38. *Ipsa enim consecratio non est simpliciter finis consecrantis, sed potius usus fidelium. Ad hoc enim consecratur corpus & sanguis, ut fideles eo utantur manducando, & manducantes capiti & membris fortius uniantur.* Haec ille. Videatur etiam Humbertus * episc. contra libellum Nicetae monachi, apud Cassandrum in Liturgicis cap. 30. circa finem, p. 69.

Negari tamen non potest, in veteri etiam Ecclesia obtinuisse reservationem eucharistiae, prius privatam domi ab ipsis fidelibus, Pag. 436.) qvod multa Patrum loca clare evincunt, (vide Bellarm. de Euchar. lib. 4. cap. 4. Gerard. Jo. Vossium disp. 41. de Sacram. euchar. thes. 8. aliosqve) qvanqvam locus ille Origenis, seu Cyrilli in cap. 7. Levit. hom. 5. *Dominus panem, qvem discipulis dabat, cum dicebat,* Accipite & manducate, *non distulit, nec servari jussit in crastinum,* morem illum non omnibus placuisse, innuere videatur. Sed clarissime idem ostendit Concil. caesaraugustanum in Hispaniis, aetate Damasi, habitum, anno scil. 381. qvod morem istum esse abrogatum, istic saltem, demonstrat, can. 3. atqve idem confirmatur Concilio toletano 1. A. 400. can. 14. unde Bellarminus libro supra citato c. 5. *Concilium,* inqvit, *tolet. & caesaraugust. non prohibent asservari in Ecclesia eucharistiam, sed jubent fidelibus communicantibus, ut in Ecclesia communicent, & non secum asportent venerabile*

* Episcopus] Sylvae candidae.

rabile sacramentum. Deinde morem veterem fuisse, (licet de pari antiqvitate non satis clare constet) ut sacramentum publice a sacerdote in pastophorio, vel pixide *asservaretur*, uti & *delationem* ad absentes, atqve infirmos, patet ex historia de Serapione apud Euseb. lib. 6. Hist. eccl. cap. 36. Qvo autem tempore sacramentum publice administrabatur, ad aegrotos, atqve alios, qvi adesse non possunt, per diaconum mitti solere, etiam Justini martyris seculo, clarissime constat ex ipsius Apolog. 2. pro Christianis; posterioribus vero seculis, cum qvotidie fideles communicare non solerent, reliqvias eucharistiae vel igni tradi, vel a pueris absumi solere docet * Concil. matisconense 2. habitum anno 583. can. 6. Hesychius lib. 2. in Levit. c. 8. Evagrius scholasticus lib. 4. cap. 35. Niceph. lib. 17. Hist. cap. 25. Concil. aurelianense, testibus Ivone & Burchardo, Guitmundus lib. 2. & Algerus lib. 2. cap. 2. Videatur hic Bellarm. loco praecitato cap. 5. & plurimi Protestantes, inprimis Vossius loco citato. Sed publica illa asservatio & delatio, ut nec ubiqve, nec semper recepta fuit, ita etiam, ubi obtinuit, pro more libero habebatur, non necessario. Sed Synodus trid. sess. 13. cap. 6. *retinendum omnino salutarem hunc & necessarium morem* statuit. *Denique in Ecclesia veteri*

* Concil. matiscon. 2.] Citatur etiam a Chemnitio in E. C. T. part. 2. ad Concilii trid. sess. 13. cap. 6. & can. 7. Sed ille canon concilii matiscon. loqvitur de missis jejunis celebrandis.

reservabatur quidem eucharistia, & ad aegrotos atque alios absentes deferebatur: sed utrumque fiebat, ut sumeretur & manducaretur; *atque hic pius mos neutiquam damnari debet.* Sed in romana Ecclesia circumgestatur eucharistia asservata *ad ostentationem & pompam*, aut *ad incendia*, tempestates, aliaque mala averruncanda: atque etiam Pag. 437.) in *adoratione* ejus peculiaris cultus est institutus, ut post alios innumeros inqvit Vossius. Haec autem commenta, utut qvibusdam fidelibus placuerint, universae tamen Ecclesiae probata fuisse primis & optimis seculis, nunqvam demonstrari poterit.

Vorstius in Antibellarm. in 3. tomum p. 406. *Quaestio hic non est de extraordinaria aliqua S. signorum ad absentes delatione, aut qualicunque asservatione, in usum aegrotorum, aut advenarum, &c. sed* de ordinaria illa repositione, ad cultum, aut circumgestationem hostiae, qvam vocant, consecratae, *qualis in papatu hactenus usitata est. Nostri igitur generatim omnes affirmant, S. Symbola tantum in usu communionis, qvalem Christus instituit, pro sacramento corporis & sanguinis Domini habenda esse: contraque diserte negant, extra hunc legitimum usum revera ullum esse sacramentum. Nec tamen* usum *illum ad actum manducationis, ac bibitionis, aut ad certum aliqvod temporis momentum, praecise restringunt, sed totam Eucharistiae actionem, sive integrum illum actum ceremonialem intelligunt: & sic regulam illam recte accipi volunt, qva dicitur*, Nihil habere rationem sacramenti

extra legitimum usum. Haec ille. Tollatur abusus hodiernae Ecclesiae romanae, semel consecratam hostiam, in ciboriis, ad circumgestationem, & theatricam pompam asservandi ; utqvae non minus extra communionem, qvam in ipsa communione, vel relatione ad eandem, verum & substantiale Christi corpus sit, & maneat, qvamdiu scilicet ipsae species durant : qvibus forte corruptis etiam corpus & sanguis Domini evanescant ; & haec controversia tolli potest, non damnata veteris Ecclesiae praxi in asservatione, qvae tunc obtinuit.

Alias qvaestiunculas, de *azymo pane*, ac fermentato, de *vino temperando aqva* in sacro calice, ut & de *fractione panis* omitto : parum enim momenti in his situm est ; neqve ob hujusmodi minoris momenti lites, Ecclesiarum pax turbanda est, aut Ecclesia schismate dividenda.

Qvod ad *adorationem hujus sacramenti* attinet, qvum, qvi digne sumit S. symbola, vere & realiter corpus & sanguinem Christi in se, corporaliter, modo tamen qvodam spirituali, miraculoso, & inperceptibili sumat ; Pag. 438.) omnis digne communicans adorare potest, & debet corpus Christi, qvod recipit ; non qvod lateat corporaliter in pane, aut sub pane, aut sub speciebus & accidentibus panis, sed qvod, *qvando digne sumitur panis sacramentalis, tunc etiam sumitur cum pane Christi corpus reale, illi communioni realiter praesens*, ut inqvit Archi-

Archiep. ſpalat. lib. 7 de Rep. eccl. cap. 11. n. 7. *Carnem Chriſti in myſteriis adoramus*, inqvit Ambroſ. lib. 3. de Spir. S. cap. 12. Greg. nazianz. in oratione de S. Gorgonia, tom. 1. p. 186. *Eum, qvi ſuper altare colitur, obteſtans.* Aug in Pſ. 98. *Nemo illam carnem* (Chriſti ſcilicet) *manducat, niſi prius adoraverit.* Videatur Chryſoſt. in compluribus ſcriptorum ſuorum locis. Conſentiunt & reliqvi veteres. Immanis eſt rigidiorum Proteſtantium error, qvi negant, Chriſtum in euchariſtia eſſe adorandum, niſi adoratione interna & mentali, *non* autem *externo aliqvo ritu adorativo*, ut ingeniculatione, aut aliqvo alio conſimili corporis ſitu. Hi fere omnes male de praeſentia Chriſti Domini in ſacramento, miro, ſed vero modo praeſentis, ſentiunt. *Stantes, an ſedentes, proni, an ſupini, erecti, an geniculati, manibus paſſis, an junctis, Chriſtum in euchariſtia praeſentiſſimum adoremus, adorationis qvidem per ſe non refert, ſed temporum magis & locorum, & id genus circumſtantiarum*, ut recte ait Claudius Eſpencaeus de Euchariſtiae adoratione lib. 2. cap. 16. Sed damnare, ut illicitum, adorationis geſtum exteriorem, qvem pleriqve fere omnes Chriſtiani ab Apoſtolorum usqve temporibus, *vel ſtantes, vel genibus incumbentes*, in ſuſcipienda euchariſtia obſervarunt, atqve etiamnum obſervant, magnae profecto temeritatis & audaciae eſt. De adorationis geſtu exteriori multiplici lege Eſpencaeum l. c. Multa ille refert de veteri ſtandi more die dominico, & a die paſchatis in

pentecosten; meminit praesertim decreti Concilii niceni I. qvod genua in paschali tempore ac gaudio flectentium difformitatem, ad non flectentium conformitatem reduxit. Narrat etiam ibidem, fuisse in Galliis e contrario A. 1555. qvi subortam in Ecclesia lugdunensi eandem in hoc sacrorum mysteriorum momento non geniculantium disparitatem, intolerabilem (ne qvid gravius dicam) rati, ad geniculantium paritatem censerent reducendam, non obstante qvamvis ejus Ecclesiae consvetudine contraria: Pag. 439) *cujus ejusdem controversiae* (inqvit) *qvis exitus fuerit, haud certo scio, nisi qvod audio a christianiss. Rege nostro Henrico II. ex consilio cardinalium Lotharingi & Turnonii, ad eum, in qvo ante litem motam, statum reductam, & in eodem manere jussam.* Haec ille. Ruardus Tapperus art. 14, p. 21. *Nec articulus*, inqvit, *habet, qvod prostrati eucharistiam suscipere debeamus; sed qvod recte a nobis adoratur signo externo, pro conditione loci, temporis, & qvalitatis personarum, & hominum, cum qvibus conversamur, consvetudine. Nam* cum defertur ad infirmos, *genua flectimus, si nullum sit impedimentum: in plateis autem immundis detegimus caput cum aliqvo alio reverentiae signo.* Si infirmi per plateas portamur, si curru vehimur, *signum ostendimus reverentiae, qvod patitur conditio temporis, loci, & personae: Item decumbentibus aut sedentibus* infirmis istud sacramentum ministramus, *praestita reverentia, qvam possunt. Et* sacerdotes in missa *consecrant & sumunt stantes.*

De

De antiqvissimo ritu stándi in eucharistia recipienda, vide etiam doctissimum Gabriel. Albaspiraeum, aurelianensem episcopum, de Veteribus ecclesiae ritibus, qvi Observationum lib. 1. observ. 12. pag. 82. *Eadem*, inqvit, *religione atqve ob eandem causam, cum eucharistia reficiendi essent fideles, non genibus nixi, non humi jacentes, sed* erecti, & in cœlum intuentes *preces concipiebant.* Vide etiam eundem pag. 121. & multos Protestantes, praesertim Anglos, qvi de exteriore adoratione Christi in eucharistia, adversus Puritanos, qvos appellant, scripserunt.

Perperam *εἰδωλατρείαν Romanensibus* a plerisqve Protestantibus objicitur, & illi idololatriae crassissime & gravissime ab his insimulantur & damnantur; qvum pleriqve Romanenses, ut & alii fideles, credant, panem consecratum non esse amplius panem, sed corpus Christi, unde illi non panem adorant, sed tantum ex suppositione, licet falsa, non tamen haeretica aut impia, vel cum fide directe pugnante, ut superiore libro ostensum est, Christi corpus, qvod vere adorandum est, adorant. In eucharistia enim mente discernendum esse Christum a visibili signo, docent ipsi; Pag. 440.) & *Christum* qvidem *adorandum esse, non tamen sacramentum, qvia species illae sunt res creatae & inanimes, & consequenter incapaces adorationis: neqve enim satis est, ut Christus sub illis sit, qvia etiam Deus est in anima, tanqvam in templo suo, & tamen adoretur Deus, & non anima*, ut ait Suarez tom.

3. qv. 79. artic. 8. disp. 65. sect. 1. Bellarminus lib. 4 de Euchar. cap. 29. *Nullus*, inqvit, *catholicus est, qvi doceat, ipsa symbola externa, per se & proprie esse adoranda cultu latriae, sed solum* veneranda cultu qvodam minori, qvi omnibus sacramentis convenit; cultu autem latriae *dicimus* per se & proprie Christum esse adorandum, & eam adorationem, ad symbola etiam panis & vini pertinere, qvatenus apprehenduntur, ut qvid unum cum ipso Christo, qvem continent. *Qvemadmodum, qvi Christum in terris vestitum adorabant, non ipsum solum, sed etiam vestes qvodammodo adorabant.* Qvod ad primam Bellarmini assertionem attinet de symbolis venerandis cultu qvodam minore, admittimus; sed qvod ait, adorationem latriae, licet Christo per se & propriae debeatur & exhibeatur, *ad symbola etiam pertinere, qvatenus apprehenduntur ut qvid unum cum ipso Christo, qvem continent, & qvibus qvasi vestibus tegitur & absconditur*, falsum est, & repugnans plurimorum aliorum sententiae. Species enim illae ad suppositum Christi non spectant, neqve unum faciunt cum illo. Vnde ipsemet fluctuans ait paulo post: *Qvicqvid sit de modo loqvendi, status qvaestionis non est, nisi, an Christus in eucharistia sit adorandus cultu latriae.* Sed de hoc Protestantes saniores non dubitant: in sumptione enim eucharistiae, ut utar verbis Archiep. spalatensis, adorandus est Christus vera latria, siqvidem corpus ejus vivum & gloriosum, miraculo qvodam inexplicabili digne sumenti prae-

praesens adest ; & haec adoratio non pani, non vino, non sumptioni, non comestioni , non signis, sed ipsi Christi corpori immediate per sumptionem eucharistiae exhibito debetur, & perficitur.

Dan. Tilenus in Paraenesi ad Scotos, cap. 12. *Scilicet*, inqvit, *ignorant Angli discrimen, qvod est* inter Christum & Christi sacramentum, *qvod ne Pontificii qvidem ignorare videri volunt. Tametsi hi panem adorant*, (ex sententia Protestantium scilicet) *non tamen panem adorandum esse dictitant : ideoqve nondum consecratum panem populo ostendi vetant*, Pag. 441.) *ne ab imperita plebecula temere adoretur ; sed neqve post consecrationem, in transsubstantiationis tragelapho, accidentia sine subjecto , sed* solum Christum adorari *dicunt.* Adorationem elementorum seu specierum negare Romanenses , fatetur etiam episc. roffensis in tractatu suo de hoc argumento scripto anglice p. 37. aliiqve complures. Vide Vrsinum in Consid. Commonef. Chytr. & contra Theses Rungii, thes. 7.

Cassander in Consultat. *De Adoratione sacrosancti sacramenti eucharistiae ita ex veterum mente statuendum puto. Cum in hoc sacramento Christus Deus & homo, & corpore & sanguine suo praesentem se exhibeat, consequens est , ut in hoc qvoqve mysterio adoretur , qvae* adoratio non ad ipsum signum, qvod exterius videtur, sed ad ipsam rem & veritatem, qvae interius creditur, referenda sit ; *qvamvis & ipsi signo, cujus jam virtus intelli-*

gitur, tanquam religioso & sacro, sua veneratio debeatur. pag. 984. Hanc verissimam suam sententiam confirmat testimoniis Patrum, Ambrosii lib. 3. de Spiritu sancto, Augustini hunc imitati in ps. 98. & epist. 120. Chrysost. in 1. ad Corinth. 10. hom. 24. & Theodoreti in Dialogo 2. *Intelligunt*, inqvit Theodoretus, *mystica symbola ea esse, qvae facta sunt, & creduntur, & adorantur, tanqvam ea existentia, qvae creduntur.* Archiep. spalat. de Rep. eccl. lib. 7. cap. 11. num. 7. *Respondeo*, inqvit, *me nullum idololatricum crimen in adoratione eucharistiae, si recte dirigitur intentio, agnoscere. Qvi enim docent*, panem non esse amplius panem, sed corpus Christi, *illi profecto* panem non adorant, sed solum, ex suppositione, licet falsa, Christi corpus vere adorabile, adorant. *Nam neqve nostri dicunt, species panis & vini, hoc est, accidentia illa esse adoranda, sed dicunt, corpus Christi verum & reale, qvod sub illis speciebus latet, debere adorari.* Et in hoc nulla est idololatria: *docti enim nihil aliud, nisi Christi corpus, ex suppositione, ut dixi, adorant. Qvod si scirent, sub speciebus illis panis & vini, aut sub pane & vino non latere verum Christi corpus, certe nullam illis exhiberent adorationem. Tota ergo mens adorantium ad solum Christi corpus vivum, immediate, & non ad aliqvid aliud dirigitur.* Haec ille, qvi tamen in ejusd. libri cap. 12. n. 44. *parum sibi constans* affirmat, doctos etiam plurimos, Pag. 442) nedum rudem plebem, * *adorare id, qvod vident*, id est

* Adorare id, qvod vident] Vide heic pag. 443.

est panem, seu, si vis, species panis: qvibus nostri dicunt Christum ipsum, qvasi vestibus, tegi & abscondi. Sententia enim ista plurimis doctoribus romanensibus displicet; neqve audet Bellarminus ipse, qvem ibi impugnat, eam aperte defendere, sed conatur elabi subtili, immo futili distinctione, qvam ipsemet, cum paucis aliis, qvantumvis doctis, nedum populus imperitus, non intelligunt. Joh. Barnesius: *Corpus Christi*, ait, *est ibi cum pane, vel permanente vel transeunte, uno vel alio modo.* Ac per consequens non est idololatria, adorare Christum ibi in eucharistia realiter praesentem. Erasmus de Amabili ecclesiae concordia: *Si in eucharistia totus est Christus, cur non est adorandus?* Nullus est tam stolidus, ut humanam Christi naturam adoret pro divina, aut ut panem & vinum adoret pro Christo. *Nullum est sacramentum tam humile, cui non assistamus nudis capitibus, cum administratur; velut in baptismo, in confirmatione puerorum.* Qvid sentiunt igitur, qvi putant, idololatriam esse, si huic sacramento caput aperiant, etiamsi Christi corpus & sanguis tantum ibi sint in saero signo? Graeci Venetiis viventes, in Respons. ad Qvaest. 6. cardin. Guisani: *Huic actioni qvum adsunt laici, ad terram usqve coram eucharistia, religiosa cum reverentia procidunt.* Reliqvi etiam Graeci omnes adorant Christum in eucharistia. Et qvis ausit omnes hos Christianos idololatriae arcessere & damnare? Autor Diallactici eucharistiae: *Veteres, qvum de sacramentis loqvebantur, variis*

variis vocibus usi sunt, honorandi, venerandi, adorandi; *quibus tamen haud alium quendam honorem & reverentiam sacris rebus convenientem significare voluerunt, quam illam adorationem, quae praecipitur a Deo, quum ait:* Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles. *Ut duplex adoratio esse definiatur; altera, qua Deum ipsum prosequimur; altera, qua praescripta signa & mysteria divina, juxta illud:* Adorate scabellum pedum ejus. *Quod plerique* de arca fœderis *intelligunt, alii* de humanitate Christi *interpretantur: aut si eandem utrobique adorationem esse censent, poterimus dicere*, adorandam carnem Christi, quamvis creatura sit, propter conjunctam divinitatem, adorandam arcam fœderis propter divinae majestatis praesentiam, Pag. 443.) quam Deus ipse pollicitus est, affuturam. *Ad quem modum etiam* eucharistiam possumus adorare, propter ineffabilem & invisibilem, ut ait Augustinus Christi gratiam conjunctam, *non venerantes id, quod videtur & transit, sed id, quod creditur & intelligitur.* Haec ille. Atque haec de adoratione dicta sint.

Consuetudinem vero, qua panis eucharistiae in publica pompa conspicuus *circumfertur*, ac passim omnium hominum oculis ingeritur, recte affirmat Cassander l. c. praeter veterum morem & mentem, haud ita longo tempore inductam & receptam esse. *Veteres enim*, inquit, *hoc mysterium in tanta religione & veneratione habuerunt, ut non modo ad ejus perceptionem, sed ne*

ne inspectionem quidem admitterent, nisi fideles. Et paulo post: *Quare videtur hic circumgestationis usus, citra grave Ecclesiae damnum, immo cum ipsius lucro (si modo id prudenter fiat) omitti posse, cum & recens sit, & sine ea circumgestatione, sacramento suus honos constiterit, & hodie constare possit. Deinde cum hodie plerumque non devotioni populi, sed pompae magis & ostensioni serviat, &c.* Vide auctorem ipsum. Erasmus loco citato: *Christus in eo sacramento est*, sub ratione cibi ac potus, ut summa cum animi puritate sumatur, non ut ostentetur, *aut in ludis publicisque pompis circumferatur, aut in equo circum arva vehatur. Id nequaquam est veteris exempli, sed in hoc multitudinis affectui plus satis indultum est.* * Regina Galliae anno 1561. referente Thuano Histor. lib. 28. pag. 39. &c. ex Joannis Monlucii, valentini episcopi, viri longe doctissimi, ut creditur, consilio, prolixas ad Pontificem dedit literas, quibus inter alia *sacrae communionis usum integrum, hoc est, sub utraque specie, sine personarum distinctione, restitui debere* ostendit; nec constantiensis Concilii, quod Dei mandato praeponderare, minime debeat, autoritatem, quo minus id fiat, obesse posse: recens etiam & nuper inventum *dominici corporis festum*, quod multarum offensionum causam praebeat, & minime necessarium sit, *abolendum esse*, nam mysterium illud ad orationem & spiritualem cultum, non ad pompam & spectacula institutum esse.

Ve-

Regina Galliae.] Vide pag. 429.

Vrbanum IV. instituisse primum festum corporis Domini, & solennem illam processionem, Bellarminus ipse negare non potest; sed qvod contendit, *eam institutionem nullo modo* Pag. 444.) *reprehendi posse, qvin immo optimas fuisse rationes ejus festi introducendi*, qvam id verum sit, ex praedictis judicet lector aeqvus. *Certe circumgestare hoc vestrum*, (ut ait Episcop. elienſis in Resp. ad cardin. Bellarm. Apolog. cap. 8.) *praecepto Christi contrarium est, nec ei unqvam scriptura favet:* contrarium & instituto. *Institutum enim tum sacrificii, ut absumi; tum sacramenti, ut accipi, manducari, non recondi & circumferri, &c.* Sed de his haec sufficiant. Reliqva controversa de eucharistia, in librum seqventem rejicimus, ne hic ultra modum excrescat.

Pag. 445.

Liber III.
de
Sacrificio missae
& annexis.

CAP. I.
An in missa verum sacrificium Deo offeratur.

Qvod

QVod ad *nomen Missae* attinet, *hebraicum vel chaldaicum esse, putidissimum commentum est*, inqvit, post alios plurimos doctissimos viros, inprimis autem Picherellum presbyterum in locum Matthaei de S. cœnae institutio. cap. 26. 26. dissertat. de Missa cap. 1. Is. Casaubonus, Exercit. 16. * pag. 582. Hanc sententiam Bellarminus etiam, & alii docti Romanenses, exploserunt dudum, ut, qvi diversum sentiunt, plane ridiculi sint, & neqve hebraicas neqve chaldaicas literas se intelligere, manifeste ostendant. Vocabulum certe latinum est, & inventum circa finem, ut videtur, tertii seculi, vel paulo ante. Nam si vere est epistola Cornelii papae ad Lupicinum viennensem, circa annum Domini 250. notum jam erat istud vocabulum; ut recte ait Casaub. l. c. Neqve a *missae* nomine abhorrent Protest. aeqviores, ut ex Confessione augustana, & Rituali anglicanae Ecclesiae, Pag. 446.) in qvo legere est nomina illa, *Christimas* & *Michaëlmas*, id est, Missa Christi, & Missa Michaelis, evidenter patet.

Neqve etiam a nomine *oblationis*, *sacrificii & immolationis* abhorrent. Oecolampad. in epistola ad Hedionem, Epist. lib. 1. *Qvid mali est, cum majoribus nostris, tam orientalibus qvam occidentalibus, recordationem tanti sacrificii*, immolationem *vocare? modo absint pernicioſae opiniones aliae. Natus est semel Christus, mortuus est semel, resur-*

* Pag. 582.] Vel 514. edit. genev. A. 1663.

resurrexit semel; *& egregii concionatores declamare solent in genethliis:* Christus nascitur, glorificate: Christus e cœlis, occurrite: Christus super terram, exaltemini. *Et pietas pie dictum, pie intelligit, &c.* Episc. elienſis contra cardin. Bellarm. Apolog. cap. 8. pag. 184. *Vos tollite de missa transsubstantiationem vestram*; *nec diu nobiscum lis erit* de sacrificio. *Memoriam ibi fieri sacrificii, damus non inviti: sacrificari ibi Christum de pane factum, nunqvam daturi* sacrificii *vocem.* Et paulo post: *Nec a voce vel* sacrificii, *vel* oblationis *abhorremus.* Legantur etiam, qvae habet in concione anglicana de Imaginationibus pag. 35. ubi Patres affirmat usos non minus verbo *sacrificii*, qvam *sacramenti*; *altaris*, qvam *mensae*; *offerendi*, qvam *manducandi*, sed utrisqve promiscue, ut ostenderent, utrumqve ibi peragi. Videatur etiam Casaub. in Resp. ad Epist. cardin. Perronii * pag. 52. de sacrificio in Ecclesia christiana, & episc. Elienſis jam nominatus concione 77. de Resurrectione pag. 453. aliiqve complures.

Panem & vinum aliqvo modo in missa Deo offerri, sacra scriptura clare & diserte non docet. Ex loco famoso Gen. 14. 18. *Melchisedecus rex Salem* הוציא *protulit*, vel, ut alii vertunt, *obtulit panem & vinum: & erat* (alii, *erat enim*) *sacerdos Dei altissimi, & benedixit ei*, evinci necessario non posse, ingenue fatetur cardin. Cajetanus ipse: non posse, inqvam, necessario evinci, qvod Melchisedec obtulerit panem & vinum Deo; ac proinde argumentum, qvod petitur a sacerdotio

*Pag. 52.] Seu pag. 925. Melchi-

Melchisedeci, utut figura fuerit Christi, illiusqve sacerdotium, ad probandum, qvod Christus in ultima cœna panem & vinum Deo obtulerit, non satis habere roboris: *Nihil*, inqvit, *hic scribitur de* sacrificio seu oblatione, Pag. 447.) *sed de* prolatione seu extractione, *qvam Josephus dicit factam ad reficiendum victores.* Consentiunt Pagninus & Vatablus, & omnium fusissime P. Picherell. differt. de Missa cap. 2. p. 116. & seq. & in appendice de Missa contra Maldonatum p. 333. & seq. Sed Patres magno consensu, qvi non est spernendus, affirmant, Melchisedecum panem & vinum non tantum protulisse & exhibuisse Abrahamo ad alendum exercitum, sed *Deo primum*, qvem praeclarissimae victoriae auctorem agnoscebat, usitato modo, *obtulisse & libasse*: ac proinde & *Christum*, cujus ille figura fuit, in institutione eucharistiae, *ut sacerdotem idem egisse.* Testimonia Patrum, cum graecorum tum latinorum, magno studio collegit post alios Romanenses Bellarm. de Missa lib. 1. cap. 6. Idcirco illis recensendis nos supersedebimus. Unde inter Protestantes Andr. Chrastovius, polonus, de Opificio missae lib. 1. contra Bellarm. cap. 4. de sacrificio melchisedechiano differens, thesi 65. inqvit: *Etsi autem utraqve pars non nititur expresso scripturae testimonio, dum haec ait*, panem oblatum fuisse ad sacrificandum, *illa vero*, non ad sacrificandum, sed militibus ad reficiendas corporis vires; *tamen propior est illorum sententia veritati, qvi unius convivii putant fuisse duas*

actiones. *Hic enim regale sacerdotium ostenditur, non ex militum sustentatione vitae, sed ex sufficienti hostiarum oblatione & Abrahae benedictione.* Et thes. 66. *Consensum porro & interpretationis harmoniam, christianis pastoribus ab icere non licet: idque cum propter apostolici seculi vicinitatem, tum propter singularem omnium concordiam, quae in omnibus locis habetur. Cujusmodi consensum neque* sanctorum invocatio, *neque* purgatorii ignea lotio *habere possunt, quia in his & aliis controversiis apud Patres diversa invenitur locorum scripturae interpretatio, hic autem* omnium veluti conspiratione, oblatio Melchisedeci sacra proponitur; *ut non tantum Abrahae militibusque, sed etiam Deo incruentum sacrificium symbolice oblatum videatur. Quod si nonnulli doctores* Melchisedecum panem & vinum Abrahae dedisse *asserunt, primariam tamen illam oblationem, quae fit Deo, non negant, sed in consequenti antecedens ponunt.* Quod confirmat testimonio Chrysostomi homil. 33. & 66. in Genesin, & Augustini lib. 1. contra adversarium legis & prophet. cap. 20. & thesi 68. adducit testimonia Patrum, Pag. 448.) qui loquuntur de oblatione Melchisedeci, & impletione ejusdem figurae in eucharistia per Christum. Et thesi 72. ad praecipuam Protestantium objectionem respondens, ait: *Apostolus minima quaecunque excutiens*, omiserat factam a Melchisedecho panis & vini oblationem, *non propter auditorum tarditatem & indignitatem, sed propter historiae notitiam, & rei propositae excellentiam: non, inquam*

inqvam, propter indignitatem, qvia erant fideles; nec propter tarditatem, qvia illis altissima de Filii Dei generatione, & humani generis redemptione mysteria sunt ab eo exposita. Et qvamvis apostolus dicat cap. 5. De qvo grandis est nobis sermo & ininterpretabilis ad dicendum, qvoniam imbecilles facti estis ad audiendum; *tamen haec redargutio dispositionem magis, qvam perfectum habitum sonat. Ait enim,* se de iis meliora sperare. *Notitiae igitur causa omisit prolationem panis & vini, qvae piis atqve bonis ultro involat, qvoties de sacrificio crucis ex collatione melchisedechiana loqvitur. Dum ergo vocat apostolus* sermonem ininterpretabilem, *de toto, non de parte istius dogmatis accipiendum est; neqve tantum de omissa oblatione panis a Melchisedeco facta, sed etiam de explicato & scriptis commemorato Dei mysterio intelligi debet, qvandoqvidem hoc textus ipse reqvirit.* Porro thesi 74 contra Bellarminum differens, inqvit: Benedicere, decimas accipere, oleo insensibili ungi, nulliqve succedere, & esse sine geneologia, *possunt esse in scripturis, multis communia. Nam & Adam & Abel nemini successerant, & Heliae geneologia non describitur, & Levitae populo benedicebant. En tibi concedo, Bellarmine,* panis & vini oblationem sic pertinere ad sacerdotium Melchisedeci, cum sit proprius ejus actus, ut ne aaronico qvidem competat. *Nam ibi sacrificium panis & vini erat, ut pars qvaedã & qvasi condimentum alterius sacrificii, nec simul panem solum cum*

vino Deo offerebant. Quid hinc statuis? Realem Christi oblationem? At haec illatio non ad sacramentalem, sed ad personalem veritatem pertinet. Et thesi 75. *Poterit autem quispiam dicere:* nos invicem pugnare, aliorumqve rationes alios expugnare. *Sed qvicunqve principalem controversiae statum intuebitur, optime videbit, nos mutuo nobismet ipsis inservire. Qvas enim affert vel Calvinus, vel Chemnitius rationes, non panis & vini, benedictionem,* Pag. 449.) *sed realem corporis & sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini oblationem expugnant. Nam & judaicarum figurarum explicatio, & methodus illa scribendi ad Hebraeos, commemorationem Christi symbolicam non extinguunt, sed oblationẽ corporis incorporei ac invisibilis papisticam: qvandoqvidem ibi apostolus confert legales umbras cum sacrificio principali, non cum sacrificio minus principali.* Deniqve thesi 81. *Ex vi igitur historiae praefigurantis hoc mysterium, atqve etiam consensu Patrum orthodoxo adhibito, neqve refutationem nostrae partis, neqve argumentorum jesuiticae familiae constitutionem pertimescimus. sed in Domino Deo confidenter dicimus,* Melchisedeci oblationem typicam non admittere invisibilis Christi immolationem. Haec omnia ille, qvae ideo adscripsi, qvia nemo Protestantium hanc rem fusius pertractat. Qvare totum istud caput diligenter legatur.

Franc. Masonus, anglus, de Ministerio anglicano, l. 5. c. 3. p. 573. *Sacrificasse Melchisedecum, multae rationes Patribus svadere poterant. 1. Melchi-*

sedechi

sedechi, addo etiam & Abrahami, pietas & religio. 2. Munus sacerdotale. 3. Mos antiqvorum, qvibus, post partam victoriam, sacrificare erat in usu positum. Denique ne convivia qvidem egregia sine sacrificio iniri solebant. *Qvare* si haec opinio proponatur tantum, ut conjectura humana, *hunc honorem Patribus delatum esse volumus, ut eandem, tanqvam non improbabilem, amplectamur : verum* si obtrudatur, ut dogma theologicum necessario credendum, *penitus repudiamus, qvia fundatur in humanis duntaxat conjecturis, non in divinis scripturis.* Thom. Mortonus, anglus, & * episcopus, de Eucharistia lib. 6. cap. 3. sect. 1. *Qvia qvaestio de prolatione panis & vini Abrahamo, &c. a Melchisedecho facta, qvo scil. fine, an ut Deo sacrificare, an (ut multi existimârunt) tantum ad reficiendos Abrahae milites id egerit, Patrum judicio, illorum scilicet, qvi sacrificium id appellarunt, exploranda venit. Hoc supponimus cum Bellarmino lib. 1. de Missa c. 6. qvod panis & vinum prolata,* Deo fuerint per Melchisedechum oblata, *& non tantum Abrahamo exhibita.* Caute sane: neqve enim illum latere potuit, nisi volentem: & ultro, qvae esset Patrum super hac re sententia. Pag. 450.)

Litem de aeternitate sacerdotii Christi secundum ordinem Melchisedec, recte ait Chrastovius thes. 80. *legem* subalternorum *tollere posse. Si enim ea, qvae subalterna sunt, non pugnant, neqve aeternitas chemnitiana, neqve aeternitas bellarminiana*

* Episcopus] Vide pag. 414.

inter se pugnabunt. Chemnitius *enim* aeternitatem considerat ratione causae, & effectus sacrificii crucis: Bellarminus autem ratione dispensationis mysteriorum Dei, & applicationis. *Quare frustra expugnare nititur Bellarminus rationes Chemnitii, cum sint fundatae in petra verbi Dei. Chemnitius non est adeo demens, ut nesciat, quid sit, quod Paulus ait:* Mortem Domini annunciabitis, donec veniat. *Aeternitatem infinitam optime Chemnitius in sacrificio crucis ostendit; finitam Bellarminus in sacramentali oblatione non invenuste inquirit, si modo recte intelligit: Nam & antiqui scripturae interpretes oraculum hoc Ps. 110.* Juravit Dominus & e tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedec, *ad formam exterioris sacrificii applicant.* Quod probat testimonio Augustini lib. 1. contra adversarium legis & prophetarum, cap. 20. & Anselmi in 5. cap. ad Hebr. *Tu es sacerdos*, id est, sacra dans per te & per tuos; *In aeternum*, id est, quamdiu durabit hoc seculum: quia non transibit sacerdotium Christi, ut aliud succedat, sicut transivit leviticum. *Quin ipse Paulus dicens*, Mortem Domini annunciabitis, donec veniat, *an non aperte indicat, finitam aeternitatem dispensationis mysteriorum Dei?* Haec ille. Disputat quidem Gabr. Vasquez contra sententiam Bellarmini aliorumque in 3. Thomae, Disp. 85. cap. 3. ubi dicit, *se non posse satis mirari theologos sui temporis doctissimos, qui censent, ex vita aeterna & perpetua ipsius Christi sub unione hypostatica, non recte colligi perpetuitatem sacerdotii*

dotii ejus. Sed qvam solida sit illius refutatio, judicet lector aeqvus & harum rerum intelligens.

Sed ut dimisso sacrificio melchisedechiano ad propositum redeamus, dicimus, licet ex scriptura clare & dilucide evinci non possit, *panem & vinum in missa offerri*, *Patres* tamen passim hoc *docere*, ut constat ex Irenaeo lib. 4. cap. 32. ex variis Cypriani locis, ex Fulgent. lib. de Fide ad Petrum diaconum cap. 10. aliisqve fere innumeris. In liturgia etiam latinae Ecclesiae, cum ante consecrationem dicunt, *Suscipe, sancte Pater, hanc immaculatam hostiam*, certe pronomen *hanc* Pag. 451.) demonstrat ad sensum id, qvod tunc manibus tenent; id autem panis est, ut fatentur ipsimet Romanenses. Et similes sunt in liturgia non paucae sententiae, qvae panem offerri clarissime demonstrant. Eodem modo intelligunt pleraqve canonis verba etiam doctissimi Protestantes. Sed in re clara & certa non est necesse diutius immorari. *Panis eucharisticus Deo consecratur*, qvia de profano seu non sacro sacer fit: Deo etiam specialiter dedicatur, ut constat ex rebus factis, & verbis dictis circa ipsum. Ideo negari non potest, qvin Deo specialiter offeratur: illi etiam oblato advenit benedictio, advenit comestio. Immo ad hoc offertur ac benedicitur, ut comedatur. Fit igitur ibi qvodammodo sacrificium panis, qvi offertur Deo, & circa qvem, ex Christi instituto, tot mystica verba dicuntur, & ritus sacri peraguntur

aguntur, ut recte * Casalius de Sacrificio missae lib. 1. cap. 20.

Dicunt etiam S. Patres, *in eucharistia offerri, & sacrificari ipsum Christi corpus*, ut ex innumeris pene locis constat, sed non proprie & realiter omnibus sacrificii proprietatibus servatis; sed *per commemorationem & repraesentationem ejus*, qvod semel in unico illo sacrificio crucis, qvo alia omnia sacrificia consummavit Christus, summus sacerdos noster, est peractum, *& per piam supplicationem*, qva ecclesiae ministri propter unici illius sacrificii perpetuam victimam, in cœlis ad dextram Patris assistentem, & in sacra mensa modo ineffabili praesentem, Deum patrem humilime rogant, ut virtutem, & gratiam hujus perennis victimae, ecclesiae suae, ad omnes corporis & animae necessitates, efficacem esse & salutarem esse velit. Disertissime enim affirmat apostolus Hebr. 10. 14. esse tantum *unicam oblationem Christi, qva consummavit in sempiternum sanctificates*; adeo ut *non sit amplius oblatio pro peccato*. v. 18. Similiter Patres docent: ut Chrysostomus, qvo crebrius nemo hujus sacrificii meminit, in cap. 10. epist. ad Hebr. (ubi qvum, qvod in ecclesia peragitur, *sacrificium* θυσίαν nominasset, continuo subjungit, sive explicationis, sive etiam correctionis loco, ἀλλὰ δὲ ἀνάμνησιν θυσίας) Ambrosius in eundē locum, Euseb.

* Casalius.] Qvi pronomen habet *Caspari*, distinguendus a *Joh. Baptista*, autore Splendoris urbis Romae & rom. Imperii, ac Veterum christ. rituum.

Euseb. de Demonstrat. evangel. lib. 1 cap 10. Cyprian. (1) lib. 2. epist. 3. *Passio est enim Domini,* Pag. 452.) *sacrificium, quod offerimus.* Theodor. in Hebr. 8. Theophylact. in Hebr. 10. Augustinus (2) epist. 23. qvae est ad Bonifacium, episcopum, & lib. 20. contra Faustum cap. 21. auctor (3) libri ad Petrum diaconum de Fide, cap. 19. aliiqve qvamplurimi, qvorum testimonia summa diligentia collegerunt alii viri doctissimi, qvos consulesis, praesertim Patres ipsos.

Qvotqvot autem Romanenses defendunt, in missa *vere & proprie corpus Christi sacrificari*, mirum, qvam ipsis aqva haereat, & inter se pugnantibus sententiis concertent. Novem opiniones super ea re affert episc. antuerpiensis Malderus tract. 10. de Justitia & Jure cap. 3. qvas omnes refellere nititur, ne Bellarmini qvidem sententia excepta, qvam sexto ponit loco. Ipsius etiam Malderi senentia nihilo aliorum sententiis melior est. In omni certe vero & proprie sic dicto sacrificio, necesse est, ut victima destructiva qvadam mutatione consumatur, ut ipsi commu-

(1) Lib. 2. epist. 3.] Seu epist. 63. qvae est ad Cœcilium. Et allegatum testimonium qvidem exstat in num. 12.

(2) Epist. 23.] Pag. 91. edit. reinhartinae.

(3) Libri ad Petrum diac. de Fide] Qvi exstat in tomo 3. operum S. Augustini; sed non est ejus, verum *Fulgentii*, testibus, praeter Erasmum, Lovanienses & Molanum, Bellarmino de Script. eccles. p. 98. Du Pin tom. 3. de la Biblioth. eccles. p. 230. Riveto Crit. S. lib. 4. c. 12. p. 419. Cave Hist. lit. p. 173. Gerhardo in Patrol. p. 368. & Placcio de Scriptor. pseudon. p. 155.

niter fatentur. At in missa corpus Christi neqve destruitur, neqve mutatur, ut constat. Nam qvod ait Bellarminus de Missa lib. 1. cap. 27. cum aliis multis, *corpus Christi nullam in se laesionem pati, neqve esse suum naturale amittere, cum manducatur in eucharistia, amittere tamen esse sacramentale, & proinde desinere realiter esse in altari, desinere esse cibum sensibilem*, ridiculum est & ineptum subterfugium: nam si corpus Christi vere destruitur destructione sacramentali, (licet non naturali, qvia jam est impatibile) qvia per destructionem specierum cessat esse, ubi fuerat, pariter etiam Deus ipse immutari & destrui dicendus esset, cum desinit esse, ubi fuerat, per destructionem rei, in qva erat, aut ejusdem annihilationem. Responsio a Vasqvez recens excogitata, sacrificium aliqvod esse *absolutum*, aliqvod autem esse *relativum* seu commemorativum, in qvo qvamvis non fiat immutatio rei, qvae hoc modo offertur, reperiatur tamen vera significatio, & nota divinae omnipotentiae, sicut in sacrificio absoluto; videtur ad veritatem propius accedere, non tamen satis solida est. Nam posito, de qvo tamen maxime qvaeritur, Christum contineri sub speciebus, nunqvam vel suis persvadebit, rem illam, qvae nullo modo in se immutatur, etsi praesens sit, Pag. 453.) vere & proprie in sacrificium offerri ob repraesentationem aliqvam mortis praeteritae ejusdem illius rei. Neqve etiam per Christi vivi & glorioſi praesentiam in eucharistia video, qvomodo

modo significetur, Deum esse autorem vitae & mortis, qva in re essentiam sacrificii constituit aliis omnibus antea incognitam, ut recte Andr. Rivetus in Psalm. 40. pag. 283. commentatur. Vide Vasqvezium in 3. part. Thomae tom. 3. disp. 222. cap. 8.

Longe modestius & verius veteres Romanenses super hac re, qvam recentiores multi, senserunt. Lombardus lib. 4. dist. 12. *Qvaeritur*, inqvit, *si, qvod gerit sacerdos, proprie dicatur sacrificium, vel immolatio? & si qvotidie Christus immoletur, vel semel tantum immolatus sit? Ad hoc breviter dici potest*, illud, qvod offertur, & consecratur a sacerdote, vocari *sacrificium & oblationem*, qvia memoria est & repraesentatio veri sacrificii, & sanctae immolationis factae in ara crucis. *Et semel Christus mortuus in cruce est, ibique immolatus est in semet ipso: qvotidie autem immolatur in sacramento, qvia in sacramento recordatio fit illius, qvod factum est semel.* Bellarminus inepte respondet lib. 1. de Missa cap. 15. *Lombardum hoc loco accipere nomen* sacrificii & immolationis *pro occisione, &c. An autem sit, qvod sacerdos gerit, sacrificium proprie dictum, Lombardum non qvaerere, sed praesupponere, ut omnibus notum sit.* Nam duas Lombardi qvaestiones & solutiones pro unica ponit. Neqve enim ille qvaerit, An, qvod gerit sacerdos, sit dicenda Christi occisio? nefas enim est, hoc asserere; sed primo interrogat, An, qvod gerit sacerdos, proprie dicatur sacrificium, vel immolatio? hoc est, an Christus realiter

realiter in cœna Deo in sacrificium offeratur? Et ad hanc qvaestionem respondet, *Christum non vere, nec proprie, sed commemorative ac repraesentative in cœna Deo offerri.* Secunda autem qvaestio est, An semel tantum Christus immolatus sit, an vero qvotidie in eucharistia immoletur? Et ad hanc qvaestionem Lombardus respondet: *Semel in cruce, qvotidie in sacramento. In Sacramento autem, qvia ibi recordatio fit illius, qvod factum est semel*, ut recte Andr. Chrastov. l. cit. cap. 10. thesi 86.

Neqve aliter sensit Thomas in Summae part. 3. q. 83. art. 1. *Duplici ratione*, Pag. 454.) inqvit, *celebratio hujus sacramenti dicitur* immolatio Christi: *primo qvidem, qvia, sicut dicit Augustinus ad Simplicium*, solent imagines earum rerum nominibus appellari, qvarum imagines sunt, *Celebratio autem hujus sacramenti*, imago qvaedam est repraesentativa passionis Christi, qvae est vera ejus immolatio. *Et ideo celebratio hujus sacramenti dicitur* Christi immolatio. *Vnde Ambros. super epist. ad Hebr. cap. 10. dicit:* In Christo semel oblata est hostia ad salutem sempiternam potens. Qvid ergo nos? nonne per singulos dies offerimus? Sed ad recordationem mortis ejus. *Alio modo*, qvantum ad effectum passionis Christi: *qvia scilicet per hoc sacramentum participes efficimur fructus dominicae passionis. Vnde in qvadam dominicali oratione sacrata dicitur:* Qvoties hujus hostiae commemoratio celebratur, opus nostrae redemptionis exercetur. Frustra hic Bellarm.

larm. l. c. respondet, *S. Thomam, ut & alios Scholasticos non fuisse sollicitos de eo, qvod nunc est in controversia, sed solum, qva ratione sacrificium missae possit dici Christi immolatio, ist est, occisio; & ideo fere respondere solere, dici* immolationem, *qvia est repraesentatio immolationis, vel qvia habet effectum similem cum ipsa vera & reali Christi occisione.* Sed si hoc effugium obtineat, certe doctrinam Thomae de re maximi momenti, qvantumvis doctus & subtilis fuerit, ut & aliorum multorum Scholasticorum, valde mancam & diminutam fuisse, necesse est fateatur. Atat nunc vident noctuae, qvod antea aqvilaenon viderunt.

Lyranus in Hebr. 10. *Illud, qvod emundat peccatum, oportet, qvod sit cœleste & spirituale: & istud, qvod est tale, habet efficaciam perpetuam, & per consequens non est reiterabile. Sic autem est dicendum de oblatione Christi in cruce, ratione deitatis adjunctae: & ideo non reiteratur, qvia semel facta, sufficit ad delendum omnia peccata commissa & committenda. Sed ad hoc dices:* Sacramentum altaris qvotidie offertur in ecclesia, &c. *Dicendum, qvod* * non est ibi sacrificii reiteratio, sed unius sacrificii in cruce oblati qvotidiana commemoratio. *Propter hoc dicitur Luc. 22. 19. Hoc facite in mei commemorationem: qvia idem offertur, qvod ipse obtulit.* Pag. 455.) Erasmus in Apologia adversus monachos hispan. tom. 9. operum pag. 867. *Fateor, missam esse sacrificium, licet* non eodem modo, qvo Christus verum sacrificium

* Non est ibi sacrificii reiteratio.] Vide pag. 457. 458.

cium peregit in cruce: *totoque pectore dissentio ab his, qui contendunt, missam esse abrogandam.* Et paulo post: *De rationibus, quibus eucharistia dicatur sacrificium, adhuc disputatur inter theologos; quemadmodum multa disputantur de* primatu Pontificis; *quod genus, an sit supra Concilium universale, nec ne.*

Concil. provinc. colon. celebratum anno 1536. de Administratione sacramentorum cap. 27. *Docendus item est populus, quale sit missae sacrificium, nempe* repraesentativum. *Semel quidem Christus mortuus est, justus pro injustis, semel in manifestatione sui corporis, in distinctione suorum membrorum omnium, &c. & tamen quotidie immolatur in sacramento,* non quod toties Christus occidatur, sed quod illud unicum sacrificium mysticis ritibus quotidie *renovetur*, quotidianaque recordatione mortis Domini (qua liberati sumus) in edendo & potando carnem & sanguinem, quae pro nobis oblata sunt, hoc ipsum *repraesentetur*, quod olim factum est; *facitque oblatio ista sacramentalis moneri nos, tanquam videamus praesentem Dominum in cruce, elicientes subinde nobis ex illo fonte inexhausto gratiam salutarem,* immolamusque hostiam pro vivis & defunctis, *dum pro illis Patrem per Filii mortem deprecamur.* Enchirid. colon. de Eucharistia (cujus auctor fuit * I. Gropperus) pag. 65. *Patres non dubitarunt, hoc Christi corpus in altari,* sacrificium & salutarem victimam *appellare, ratione*

* I. Gropperus.] Vide pag. 99.

ne sacrificii, qvod in cruce oblatum est semel. Et pag. 66. *Qvatenus Ecclesia verum corpus & verum sanguinem Christi Deo patri offert*, sacrificium mere repraesentativum *est ejus, qvod in cruce semel est peractum.* Et pag. 67. *Dum non habemus, qvod Deo dignum offerre valeamus pro omnibus, qvae retribuit nobis, calicem salutaris accipimus, id est, passionem ejus*, repraesentantes Deo Patri opus nostrae redemptionis, *ut illius sacrificii semel in cruce pro nobis oblati, & nostra commemoratione refricati, participes facti, maneamus & vivamus in ipso, per ipsum.* Passio Pag. 456.) enim Domini, est (*ut inqvit Cypr. ad Caecil.*) sacrificium, qvod offerimus, *id est, qvod offerendo repraesentamus, memores illius unici & summi sacrificii, & sanctae immolationis in cruce factae.* Immolatur *ergo Christus in altari, sed* sacramentaliter & mystice, *qvia in sacramento recordatio illius fit, qvod factum est semel.* Et paulo inferius: *Qvibus verbis qvid aliud inculcat B. ille pater*, (Chrysost. homil. 17. ad Hebr.) *qvam qvod in hoc sacrificio* ex parte rei oblatae sit verum corpus Christi, *qvum dicat, unam ubiqve esse Christum, & hic plenum & illic plenum, & utrobiqve unum corpus. Sed* qvod ad oblationem nostram attinet, eam esse exemplar illius in cruce factae, *hoc est, sacrificium repraesentativum.* Citatur in eandem sententiam Antididagma colon. & liber a Caesare propositus ad rationem concordiae in eundam in controversiis religionis art. 19. apud Goldastum Imperial. constit. tom. 2. pag. 197. cum aliis

qvi

qvibusdam a Richardo Fieldo in Appendice lib. 3. ultimae edit. pag. 211. & seq. Illum adi, qvia nos brevitati studemus.

Wicelius Examine catechistico *missam* definit, *qvod sit sacrificium rememorativum*, item *laudis & gratiarum actionis*. Et in Examine ordinandorum inqvit: *Missa est recordatio passionis Christi, in publico Christianorum conventu, ubi a multis aguntur gratiae ob pretium redemptionis.* Cassander (1) in Consult. de Sacrificio corporis & sanguinis Christi: *Manifestum est, veterem illam Ecclesiam ita semper sensisse: Corpus & sangvinem Christi semel in cruce oblata, ad salutem totius mundi, victimam esse perpetuam, qvae semel oblata consumi non potest, sed efficax manet ad remissionem qvotidianorum delictorum. Qvare & Christus in cœlis perpetuum habens sacerdotium,* qvotidie hanc perennem victimam pro nobis qvodammodo offert, *qvando apud Patrem interpellat pro nobis. Itaqve Ecclesiae ministri, idem illud corpus Christi, ex ipsius mandato,* qvotidie offerunt, per mysticam repraesentationem, & commemorationem sacrificii semel peracti, *cujus sacrificii perpetuam victimam, in cœlis ad dexteram Patris assistentem, in sacramensa praesentem habent; per qvam Deo Patri supplicant,* Pag. 457.) *ut virtutem & gratiam hujus perennis victimae Ecclesiae suae, ad omnes corporis & animae necessitates, efficacem & salutarem esse velit.* Concil. trid. Sess. 22. c. 2. (2) *Non igitur*

(1) In Consult.] Pag. 998.
(2) Non igitur] Pag. 999. apud eund. Cassandrum.

igitur hic novum est sacrificium, nam & eadem hic est hostia, qvae in cruce oblata fuit, & sacrificii illius in cruce peracti in mysterio commemoratio, *& continuati in cœlis sacerdotii , & sacrificii Christi in imagine* repraesentatio. Vide eundem (1) paulo post de *iteratione oblationis Christi semel factae in cruce*, qvam negat, & ex loco Lyrani in Hebr. 10. (2) supra adducto refellit, *utpote a qvo*, ut inqvit, *pulcherrime hujus sacrificii ratio exposita sit.* Et rursum (3) ibidem : *Deinde est sacrificium corporis Christi ; in qvo primum consideratur res oblata , hoc est, ipsum corpus Christi, qvod unicum est perpetuum &* propitiatorium sacrificium ; *non qvidem qvatenus hic a terreno sacerdote in altari qvotidie offertur in mortis commemorationem* , sed qvatenus a summo & aeterno sacerdote in ara crucis semel est oblatum. *Deinde sacrificii, & oblationis voce intelligitur ipsa actio, seu modus offerendi, qvi longe alius est ab eo , qvi factus est in ara crucis ; qvamvis* hostia, qvae offertur, eadem sit : *ibi enim oblatum est hoc corporis sacrificium per passionem & mortem*, hîc per passionis & mortis mysticam recordationem & repraesentationem. Et rursum : *Cum Christus sacerdos in aeternum sit, perpetuum qvoqve habet sacrificium : nam hostia illa semel in cruce oblata perpetuam habet vim & efficaciam , ad omnia corporis & animi bona conferenda. Itaqve a Christo sempiterno sacerdote , pro salute membrorum suorum*

(1) Paulo post.] Pag. 1000.
(2) Supra adducto.] Pag. 454.
(3) Ibidem] Pag. 1004.

in rei veritate offertur, dum pro nobis apud Patrem intervenit; hic autem offertur in imagine & mysterio, *cum externis precibus & interna fide & devotione, hostiam illam unicam, nomine totius Ecclesiae, sacerdos Deo Patri sistit, & per eam* sacrificium hoc laudis & fidei ac devotionis, *gratum & aceeptum esse postulat.*

I. Barnesius in Catholico-romano pacifico §. 7. *Cum unicum sit sacrificium crucis proprie dictum efficax & sempiternum*, in missa non fit nova iteratio sacrificii alterius proprie dicti. *Recte tamen in missa dicitur a S. Patribus offerri, & sacrificari corpus Christi*, 1. *eo sensu, quo asserunt, Ecclesiam, quae est corpus Christi mysticum, offerre in missa semet ipsam & preces.* Augustde Civit. Dei lib. 10. cap. 20. & cap. 6. Pag. 458.) 2. *quia in missa repraesentatur & commemoratur sacrificium crucis & passionis Christi, nuncupatur* sacrificium commemorativum. 3. *capiendo τὸ* sacrificium passive, pro sacrificato, noviter applicato nobis, *recte asseritur sacrificium missae, quia in ea continetur corpus Christi, quod fuit vere sacrificatum in unico illo sacrificio crucis, quo alia omnia sacrificia consummavit.* Et in Paralipom. *Paulus Hebr. 10. docet, esse tantum unicam oblationem Christi, qua suos perfectos reddit*, v. 14. *adeo ut*, v. 18. *non sit amplius oblatio pro peccato. Ex eo constat*, non esse iterationem seu novitatem secundi sacrificii in missa. *Quare Patres, qui docent*, in missa peragi sacrificium de novo, *debent exponi uno ex modis relatis in §. 7. Quod pulchre docet Cassand. in Consult. de Sacrificio*

cio art. 23. ubi ait, manifestum esse, veterem illam Ecclesiam ita semper sensisse, &c. Dicta omnia Cassandri * supra citata sunt. Concludit tandem Barnesius: *Et in hoc sensu admittitur hic* incruentum sacrificium, *& per hoc satisfit omnibus Patribus adductis a Bellarm. lib. 1. de Missa cap. 15. pro iteratione sacrificii veri.*

I. Ferus in Genes. cap. 14. *Justissime* sacrificium *hoc sacramentum nominatur, tum qvia verus usus hujus sacramenti est, ut in sumptione ejus* Deo laudes & gratias *offeramus, tum qvod* in ipso repraesentatur, & qvasi ob oculos ponitur unicum illud sacrificium, qvod Christus in cruce perfecit, *ac Deo sistitur crucifixus ille filius ejus, admoneturqve, ut propter ipsius passionem & mortem nobis propitiari dignetur. Deniqve etiam per sacramentum hoc admonemur,* ut nos ipsos Deo offeramus. *Congrue igitur* sacrificium *dicitur etiam ab antiqvis.* Caetera, & multa alia in eandem sententiam, lege apud autorem ipsum ibidem, & alibi. De Petri Picherelli sententia super hac re satis constat ex ejusdem dissertatione de Missa. Legatur etiam archiep. spalat. lib. 5. de Republ. eccl. cap. 6. fuse hac de re differens, & autor Examinis pacifici, cap. 1. vers. anglic. p. 15. 16.

De contentionibus inter Romanenses ipsos in Concil. trid. agitatis, *An Christus* scilicet *in cœna se ipse obtulerit, an vero praeceperit tantum, ut post mortem suam perpetua in Ecclesia oblatio*

* Supra] Pag. 456. 457.

fieret? Pag. 459.) qvod natura sacrificii verum & proprium sacrificium in cœna offerri non permitteret, vide Histor. Concil. trid. lib. 6. (1) p. 613. edit. francof. *Haec controversia non, ut solet, multos a paucis, sed tam theologos, qvam Patres in partes prope aeqvales dissecuit, atqve a contentione prope abfuit. Priores enim, qvippe praesidentiores,* alteram opinionem incusabant uti erroneam, anathema reqvirentes, qvo silentium eis imperaretur, haereseos damnatis omnibus, qvi dicerent, Christum non obtulisse semet ipsum in cœna sub speciebus sacramentalibus. *Alteri contra affirmabant,* non esse eam temporum conditionem, ut dogmatis fidei firmamenta qvaerenda sint a rebus incertis novisqve opinionibus, ab Ecclesia veteri nec auditis unqvam, nec cogitatis, *sed id tenendum, qvod ex S. scriptura & Patribus liqvidum certumqve, Christum videlicet oblationem praecepisse.* (2) Ibidem etiam ut legere est, Georgius Ataides, theologus lusitanus, licet *missam esse sacrificium* agnoscret, *ex apostolica traditione & Patrum communi consensu, argumenta tamen ad id evincendum ex scripturis ab aliis adduci solita,* ut de Melchisedeco, de agno paschali, de loco Malachiae, de muliere samaritana, de verbis institutionis, *Hoc est corpus meum, qvod pro vobis datur, & sanguis, qvi pro vobis effunditur,* de participando sacrificio Judaeorum, & de mensa daemoniorum,

(1) Pag. 613. edit. francof.] Seu pag. 942. edit. lipf. A. 1699.
(2) Ibidem etiam] Pag. 941.

rum, 1. Corinth. 10. de verbis Christi, *Hoc facite, &c. aëria & invalida esse* contendit; & qvidem recte, si verum & proprie dictum sacrificium corporis Christi urgeatur. Sententiam archiepiscopi granatensis & cardinalis Seripandi lege (1) p. 617. Episcopi clonienſis & veglienſis contra Salmeronem jesuitam (2) pag. 624. Atqve haec de hac qvaestione sufficiant. Reliqva, qvae desiderantur, ex aliis petantur, qvi fusius controversias pertractant.

Pag. 460.

CAP. II.

In qvo disqviritur, An missa sit propitiatorium, atqve etiam impetratorium sacrificium, & qvibus prosit?

MIssa superiori qvaestione de veritate & proprietate sacrificii corporis dominici, (de qva licet mirifice inter se dissentiant Romanenses, ut vidimus; sententia tamen, qvam multi hodie Romanenses tuentur, *utut falsa sit, minime haereseos aut erroris impii, cum fide pugnantis damnanda est*) paucis de iis, qvae in hujus capitis titulo praefixa sunt, differamus. Missam non tantum esse *sa-*

(1) Pag. 617.] Seu pag 949.
(2) Pag. 624.] Vel pag. 958.

crificium eucharisticum & latreuticum seu honorarium, sed etiam *hilasticum seu propitiatorium* sano sensu dici posse, recte affirmant Romanenses moderatiores; non qvidem ut efficiens propitiationem, & remissionem peccatorum, qvod sacrificio crucis proprium est, *sed ut eam jam factam impetrans*, qvomodo oratio, cujus hoc sacrificium species est, propitiatoria dici potest, ut inqvit Cassander (1) loco supra citato. Enchirid. colon. de Sacramento eucharistiae, p. 680. *Nemo vel primis rudimentis christianismi imbutus, ignorat*, non esse aliam satisfactionem pro peccatis, qvam qvae facta est in cruce, eandemqve non tantum pro nostris, sed & totius mundi peccatis sufficientissimam esse, nullaqve suppletione egere, neqve reqviri ullam aliam hostiam, aut ullum aliud meritum, per qvae ex impiis efficimur justi, & reconciliemur Deo Patri, &c. *Interim tamen omnes scire debent*, neminem hujus hostiae participem fieri, nisi tantum credentem & obtemperantem evangelio Christi. *Qvum ergo in missa propemodum totius evangelii summa recenseatur, qvis non videt*, Deum per talem fidem (*qvae in hujus repraesentativi sacrificii celebratione, atqve adeo ejusdem corporis pro nobis passi manducatione vel maxime exercetur*) beneficium Christi filii sui, suis fidelibus applicare? Pag. 461.) Joan. Barnesius (2) loco supra citato: *Capiendo τὸ* sacrificium passive, pro sacri-

(1) Loco supra citato] pag. 457.
(2) Loco supra citato] pag. 458.

sacrificato, noviter applicato nobis, *recte asseritur sacrificium missae, quia in ea continetur corpus Christi, quod fuit vere sacrificatum in unico illo sacrificio crucis, quo alia omnia sacrificia consummavit.* Immo plurimi Romanenses dicunt, sacrificium hoc non tantum repraesentativum & commemorativum esse, sed etiam *applicatorium*, propitiationis scilicet, qvae semel in cruce sufficienter facta est, & eatenus *propitiatorium* sacrificium recte dici posse. Videatur Antididagma colonienſe, Wicelius, * Sidonius, & autores libri *Interim* dicti. Gul. Estius in cap. 9. ad Hebr. vers. 25. *Qvod autem negat apostolus*, Christum saepius offerre se ipsum, *de ea dicit oblatione*, qvae per se valeat ad propitiandum Deum; *qualis sola est illa, qva se ipse obtulit in cruce: ab hac enim, sicuti sacramenta, sic & missae sacrificium vim suam omnem recipit.* Vide eundem in capite 10. ejusdem epistolae. Et omnes saniores Romanenses, qvamcunqve tueantur sententiam de modo verae & realis praesentiae corporis Christi in eucharistia, agnoscunt *oblationem sacrificii missae incruentam*, ab illa una cruenta, qvae facta est in cruce, omnem suam vim & efficaciam haurire, perinde ut sacramenta novi testamenti. Loca Patrum huic sententiae confirmandae adduci solita, videantur apud alios plurimos, qvi prolixius hisce de rebus scribunt.

* Sidonius.] Michaël Heldingus, primo sidonius, deinde merseburgensis episcopus.

Qvod ad Protestantes attinet, audiatur Jo. Barclaius in sua Paraenesi, lib. 2. cap. 2. pag. 251. 252. *Dicimus*, Romanenses scilicet, *eucharistiae celebrationem esse sacrificium vere & proprie propiciatorium. Vos* (Protestantes) *negatis, aut potius* qvidam ex vestris : *nobis enim, saltem tacite, eruditiores consentiunt. Is. Casaubonus pancis ante obitum mensibus, in sereniss. Britan. Regis triclinio erat, ego illi colloqvebar, & alius praeterea non catholicus homo, aulicus adhuc hodie in regis familia, & quem, si opus, facillime indicem. Tunc igitur, ut sermo inciderat, contigit de eucharistia inter nos agi; qvam ego dum propugno*, Nihil, *inqvit Casaubonus*, opus est, ut labores, sponte profiteor, & ex Ecclesiae antiqvae ritibus constare contendo, (Pag. 462.) eucharistiam esse sacrificium : nec sacrificium modo laudis, ut plurimi nostrûm volunt, sed sacrificium propiatorium, sacrificium ἱλαστικὸν. *Haec ipsius verba fuere : ita gemina lingua, cujus generis hoc sacrificium censeret, exposuit. Gaudio ego perfundi, ille alter, qvi tertius colloqvio aderat, ita sentientem vehementer mirari; & vero plus hac voce se perculsum asserere, qvam centum Papistarum argumentis. Potest ille veritati testimonium perhibere; vivit enim, & est cum Rege assiduus. Catholicus autem adeo nunqvam fuit, ut timeri nunqvam possit, ne ex composito illa fraude nos juvet.* Ad locum hunc Barclaii nihil aliud respondet M. Casaubonus, filius, * in Pietate

* In Pietate contra] Contra maledicos patrii nominis & religionis hostes, qvae prodiit Londini 1621.

tate contra &c. pag. 78. qvam : *Ad locum Barclaii qvod attinet, ubi dicit, Casaubonum in aula Regis seren. asseruisse,* eucharistiam esse sacrificium propitiatorium, sacrificium ἱλαστικὸν, *multa possent responderi (ne de Barclaii fide dubitem)* ex Patrum sententia, *qvae non sunt hujus loci.*

Amandus Polanus, scriptor alioqvi rigidissimus, Symphoniae cathol. cap. 17. (1) thes. 3. scribit in declaratione theseos : *Itaqve cœna Domini est sacrificium tum eucharisticum tum propitiatorium :* eucharisticum qvidem proprium, *qvatenus in ejus usu gratias Deo agimus, qvod nos a servitute & pœna peccati in libertatem asserere dignatus est, per filium unigenitum;* (2) propitiatorium *vero* aliqvo modo, *qvatenus unici illius sacrificii vere propitiorii memoriam in eo serio frequentare jubemur, qvod Filius Dei a Patre missus, ipse in propria persona semel pro nobis obtulit.* Bucerus in Defens. reform. cap. 84. pag. 273. *Cyprianus in ante positis verbis inqvit,* nostrum sacrificium esse Christum : *item,* passionem ejus esse nostrum sacrificium, qvod in sacra cœna offerimus. *Et qvoniam alio modo non possunt sacerdotes* passionem Christi, & Dominum ipsum offerre, *qvam passionem illius, ac fructum, qvi ex ea enatus est,* annunciando & praedicando, *Deumqve Patrem per ipsum pro nobis ipsis acceptis beneficiis digna gratiarum actione* laudando & celebrando, *deniqve* orando, *ut passionem & resurrectionem dilecti*

(1) Thes. 3.] Pag. 396.

(2) Propitiatorium aliqvo modo] Vide pag. 463.

filii sui in nobis efficacem reddat, ut qvotidie peccatum mortificemus, novam vero ac divinam vitam in nobis provehamus ac confirmemus, &c. Pag. 463.) *Hoc est memoriam ejus, sicut praecepit, celebrare, mortemqve ipsius annunciare.* Graeci, ad qvaest. 4. cardinalis Guisani, Qvale sacrificium hoc esse statuant? actionisne gratiarum, an pro peccatis expiatorium? sic respondent: *Divinum hoc sacrum* (1) *proprie* & expiatorium & gratiarum actionis *dicitur.* Citant Cabasilam c. 52. & (2) Basil. in Liturg. *Da, Domine, ut pro peccatis nostris & hujusce populi ignorationibus sacrum hoc nostrum sit acceptum, tibiqve gratum.* Et rursus: *Fac nos idoneos, ut citra condemnationem haec immaculata vivificaqve mysteria participemus ad remissionem delictorum, & Spiritus sancti communionem.* Simili precatione utitur (3) Chrysost. in sua Hierurgia.

Sacrificium autem hoc coenae non solum propitiatorium esse, ac pro peccatorum, qvae a nobis qvotidie committuntur, remissione, offerri posse modo praedicto corpus dominicum, sed etiam esse *impetratorium*, omnis generis beneficiorum, ac pro iis etiam rite offerri, licet

(1) Proprie expiatorium] Vide pag. 462.

(2) Basil. in Liturg.] Qvae, ut hodie exstat, plurimum est interpolata. Cave in Hist. lit. p. 137. Simon de Ceremon. & consvetud. Jud. p. 104. Du Pin tom. 2. f. 183.

(3) Chrysost. in sua Hierurgia.] Qvae & ipsa varie est interpolata. Cave p. 179. Simon c. 18. p. 104. Chemnit. E. C. T. part. 3. p. 649. Du Pin tom. 3. f. 38.

licet scripturae diserte & expresse non dicant; Patres tamen unanimi consensu scripturas sic intellexerunt, qvemadmodum ab aliis fuse demonstratum est; & Liturgiae omnes veteres, non semel inter offerendum, orandum praecipiunt pro pace, pro copia fructuum, & pro aliis id genus temporalibus beneficiis, ut nemini ignotum est. Francisc. Whiteus, episc. nunc elienſis, in Orthod. fidei explanatione, p. 338. 339. *Qvod ad nomen* sacrificii *attinet, Ecclesia anglicana idem attribuit S. eucharistiae, neqve solum ratione qvarundam piarum actionum illi annexarum, ut precum, gratiarum actionis, eleemosynarum, sed &* ratione eucharistiae ipsius, *in qva* 1. *externa elementa panis & vini, percipientia vocationem Dei, (ut loqvitur Iren. l. 4. c. 34.) consecrantur & ad Domini cultum deputantur, & instrumenta gratiae hominibus exhibendae efficiuntur.* 2. *Corpus & sanguis Christi, praesentia animae* (nimis jejune hoc dictum) *fide & pietate pastoris & populi, qvi haec mysteria percipiunt, Deo offeruntur & sistuntur, cum pia supplicatione, ut propter illorum meritum, gratiam & remissionem peccatorum, atqve alia beneficia illis largiri dignari velit.* Hieron. Zanchius in cap. 5. ad Ephes. de sacerdotio Christi differens, Pag. 464.) *Qvod si qvis,* inqvit, *sacrificium hoc, de qvo dictum est, hilasticum, a tota Ecclesia, aut etiam per ipsum* (ut vocant) *sacerdotem, totius Ecclesiae nomine, in publico cœtu,* hoc sensu Deo offerri dicat, nimirum qvod qvisqve hoc solo Christi sacrificio, semel pro peccatis nostris

nostris Patri oblato contentus, in eo totus acquiescat, atque ita Patrem precetur, ut hoc unicum sacrificium, cujus publica commemoratio tum verbis, tum ritibus in cœna Domini celebratur, loco omnium oblationum, satisfactionum, operum, & omnium deniqve earum rerum, qvae ad peccatorum nostrorum expiationem, aeternamqve salutem necessariae excogitari ab homine possunt, acceptum habeat: *cum hoc nos minime altercabimur. Nam ad rem ipsam qvod attinet, qvis haec improbare qveat? In hujusmodi etenim sacrificii oblatione, summa christianae pietatis consistit.* Sed *longe aliter vulgo in pontificatu doceri consvevit.* (Sed non nisi ab indoctioribus) *Faxit ergo Deus, ut idem sentiamus omnes, & consentanee cum S. literis loqvamur.* Videatur etiam Rich. Fieldus lib. 3. de Ecclesia, in Appendice pag. 200. & seq.

Cum autem haec victima (ut Cassandri verbis (1) in Consultat. utar) *semel oblata sit pro communi totius orbis salute, tam vivorum qvam mortuorum, & ad eam salutem qvotidie efficiendam perpetuam virtutem obtineat, nihil est absurdi, si in sacra hac actione,* (2) pro vivis & mortuis & communi omnium salute offerri *dicatur: qvando non solum* pro iis oblata commemoratur, *verum etiam solenni prece,* pro iis omnibus efficax & salutaris esse postulatur. *Itaqve hoc modo* sacrificare, *est preces & gratiarum actiones, ad impetrandam*

(1) In Consultatione.] pag. 1000. Et confer pag. 998.
(2) Pro vivis & mortuis.] Infra, pag. 466.

dam virtutem propositae illius perennis victimae Deo Patri offerre. Hoc comprobari posset plurimis Patrum testimoniis. Sed videantur hic alii, qvi hisce de rebus prolixius scribunt. Nos in re certa & clara diutius immorari nolumus. Qvod vero, *ad extrahendas defunctorum animas e flammis purgatorii*, sacrificia missarum exiguntur, & qvidem saepe repetita, otiosorum hominum, & simplicitate populorum ad qvaestum suum male abutentium, commentum est. Longe alios ob fines oratum & oblatum pro mortuis in veteri Ecclesia, ut contra Romanenses fuse ostendimus, qvum de purgatorio & oratione pro defunctis ageremus. Adisis tractatum ipsum. Non leviter hic peccatur a multis tum Romanensibus tum Protestantibus. Pag. 465.) Extrema vitanda sunt; veritas, qvae in medio sita, amplectenda.

Perperam scholasticis doctoribus aliisqve multis Romanensibus affingitur, qvasi docuerint & adhuc doceant, *opus sacerdotis in missa valere coram Deo ex opere operato, sine bono motu utentis, sineqve opere operantis*, hoc est, etiamsi nec sacerdos, nec populus suum opus, hoc est, veram fidem adjungat. Vt ut enim crassus iste error in nimis magna indoctiorum sacerdotum & vulgi parte altas radices egerit; docent tamen doctiores omnes, *S. cœnam, juxta institutionem Christi administratam, per se bonum ac salutiferum opus esse omnibus, qvi eo rite utuntur*, etiamsi sacerdos omni fide destitutus sit, *propter Christi institu-*

institutionem, unde hujus & omnium sacramentorum efficacia potissimum dependet; nihilominus sumentem judicium sibi sumere, qvando sine proprio opere operantis, hoc est, opere verae fidei suae, opus operatum, qvamvis juxta mandatum & institutionem Domini peractum, usurpat, vel ejus se participem reddit, ut recte M. Bucerus in Defens. christ. reformat. cap. 101. tradit. Vide * Cassandri Consult. art. 24. *Vno ore*, inqvit, *omnes hodie ecclesiastici scriptores clamant, falso Ecclesiam* (romanam) *accusari, qvod doceat, missae actionem ex opere operato, hoc est, ex opere externo, qvatenus id a sacerdote fit, mereri aliis remissionem peccatorum, pro qvibus applicatur; sed hoc tantummodo docent*, corpus & sanguinem Christi, qvae in hac sacra actione religiosa commemoratione offeruntur, & fidelibus dispensantur, ex panis & vini substantiis consecrari, & virtutem sanctificandi obtinere, *non ex opere operantis*, id est, dignitate & merito celebrantis ministri; *sed ex opere operato*, hoc est, ordinatione & pacto ipsius Christi, hanc sacram actionem instituentis. *Itaqve sacerdotis actionem, tanqvam ministri, qvae in sola sacramentorum celebratione & humili supplicatione, & gratiarum actione consistit, eo tantum valere, ut virtus & gratia, qvae corpori & sanguini Christi pro nobis semel immolati perpetuo inest, iis, qvi ad eam suscipiendam apti & dispositi sunt, applicetur & tribuatur.* Plurima alia in eandem sententiam ibidem legere

* Cassandri consult. art. 24.] pag. 991.

re est citata ex Enchiridio christianae institutionis aliisqve, ad de pellendam calumniam falsae illius fiduciae de opere operato, qvae tam odiose universae Ecclesiae romanae doctoribus objicitur. Lege autorem.

Qvod toties hoc capite sacrificium, qvod in cœna peragitur, Pag. 466.) non tantum eucharisticum esse, sed etiam sano sensu *propitiatorium*, & plurimis non solum viventibus, sed (1) *etiam defunctis prodesse* dicitur, *qvomodo* scilicet *oratio, cujus hoc sacrificium species est, propitiatoria, dici potest*, (ut loqvitur (2) Cassander) id confirmat Bellarminus ipse (3) de Missa l. 2. c. 5. *Sacrificium*, inqviens, *simile est orationi, qvod attinet ad efficientiam: oratio enim non solum prodest oranti, sed etiam iis, pro qvibus oratur. Vnde* manducatio eucharistiae, qvae fit a sacerdote, ut est sacramenti susceptio, *soli sumenti prodest*: ut autem est sacrificii consummatio, *prodest illis omnibus, pro qvibus oblatum est sacrificium.*

Soli Deo gloria.

FINIS.

(1) Etiam defunctis.] Vide pag. 464.
(2) Cassander.] In Consultat. p. 1100.
(3) De Missa. l. 2. c. 5.] Sect. *Respondeo*; *Multum interest.*

INDEX

I.

INDEX CAPITVM.

Vbi notandum, in omnibus indicibus citari paginas prioris editionis.

De communi *fidei* distinctione in 4. species. pag. 1
De natura fidei *justificantis.* 3
An fides sola justificet. 9
De causa formali justificationis. 38
De imputatione justitiae Christi. 40
De justitia Dei nobis infusa. 58
De certitudine gratiae & justitiae. 93
De certitudine praedestinationis & finalis perseverantiae, nec non de amissione fidei & justitiae. 112
De inaeqvalitate justitiae fidelium. 123
De *bonorum operum* necessitate. 125
De Christo legislatore. 131
De possibilitate observandi legem. 139
An omnia justorum opera, qvantumvis bona, sint peccati labe aliqva maculata. 156
De justificatione secunda, & loco Jacobi cap. 2, 24. 168

De

De *merito* bonorum operum. 179
De fiducia in meritis, & intuitu mercedis aeternae in bene operando. 188
De conditionibus meriti vitae aeternae. 196
De merito bonorum operum ex condigno. 199
De *purgatorii* probatione ex S. scriptura. 209
De purgatorii probatione ex Patribus. 222
De orationibus pro mortuis. 245
De *angelorum & sanctorum interceſſione*. 268
De angelis cuſtodibus. 272
De ſanctorum interceſſione. 275
De angelorum & ſanctorum invocatione. 289
De religioſa invocatione ſanctorum 292
De compellatione ſanctorum. 299
De abuſibus invocationis ſanctorum. 331
De *Chriſto mediatore*. 343
An Chriſtus etiã ſibi aliqvid meruerit. 364
De reali Chriſti praeſentia in *S. cœna*. 370
De *transſubſtantiationis* poſſibilitate. 388
Transſubſtantiationem de fide non eſſe, immo cum ſcripturis & Patribus vetuſtioribus pugnare. 397

Nec transsubstantiationem, nec consubstantiationem haeresin esse. 411
De orali manducatione, etiam indignorum. 419
De communione sub una vel utraqve. 423
De consecratione eucharistiae. 432
De reservatione eucharistiae. 435
De adoratione eucharistiae. 437
De circumgestatione panis eucharistici, & festo Corp. Domini. 443
De sacrificio missae. 445
An missa sit propitiatorium & impetratorium sacrificium, & qvibus prosit. 460

II.

INDEX AVCTORVM

sive laudatorum, sive notatorum.

Abbotus. 116. 118
Abrincensis. 323
Abulensis. 2
Aelfricus. 403
Aepinus. 75
Alberius. 80
Ambrosius. 241. 314
Amesius. 130
Amphitheatri honoris auctor. 338
Andreas (*Lancelottus*) 135. 210. 305
Antoninus, Flor. archiep. 392
Aretius. 33.
Arminiani, vid. *Remonstrantes.*
Arminius. 234. 452
Baconus. 98. 101
Baius

Baius. 198
Barclaius (Joh.) 320
Barnesius. 102. 236. 264. 285. 373
Baro. 29. 117
Basilius. 463
Battus. 43. 117
Bellarminus. 15. 17. 39. 41. 57. 69. 84. 90. 92. 103. 123. 125. 131. 146. 181. 184. 188. 194. 203. 205. 210. 211. 225. 231. 279. 292. 331. 440. 452. 453. 454
Bernhardus. 55. 89. 282. 334
Bertramus. 402. 411
Beza. 71. 73. 133. 167
Bilsonus. 53. 54. 291. 305. 312
Bonarscius. 338
Borrhaus. 78. 80
Bovius. 81
A Brania. 61. 69
Brentius. 41. 74
Bucerus. 127. 376
Calvinus. 41. 57. 138
Camerarius (Joach.) 324. 377. 391
Camero. 138
Carthusianus: vide *Dionysius*.
De Casal. 429
Casalius (Casp. & J. Bapt.) 451
Casaubonus (Isaac.) 120. Mericus. 462
Cassander. 35. 84. 99. 180. 297. 427
Castellio. 81. 154
De Castro. 105
Casus. 391
Cellarius. vid. *Borrhaus*.
Chamier. 5. 57. 66. 67. 68. 72. 85. 90. 136. 144. 221. 227
Cheadreus } 398
Chedzeus }
Chemnitius (Mart.) 72. 73
Chrysostomus. 698
Cœnalis. 323
Contarenus. 51

Cornelius papa. 445
Covellus. 153
Crackanthorp. 327
Cruciger. 375
Cunaeus. 138.
Cyprianus. 241
Davenantius. 141 156 163. 182. 186
De Dominis. 14. 34. 58. 83. 111. 121. 158. 168. 183. 431. 441
Desbois. 146
Diallactici de Verit. corp. Christi in eucharistia auctor. Vide *Ponet*9.
Dionysius areopagita. 240. carthusianus. 96
Eisengren. 93. 98
Elienſis. vid. *Andreas.*
Enchiridii colon. auctor. 455
Ephrem. 294. 400
Espencaeus. 15. 360. 438
Estius. 15. 18. 393
Eusebius emesenus. 231. 435.
Examinis pacifici doctrinae Hugonottorum auctor. 264.
Faber faventinus. 405
Featleyus. 425
Ferus. 100.
Fieldus. 82. 152.
Fischer (Joh. 2. 222
Folengius. 100. 285
Fricius. 27.
Fulgentius. 450. 452
Gardinerus. 15
Gelasius. 400
Gentiletus. 30.
Gerhardus (Joh.) 22. 43. 85. 128. b.
Gilbertus. 55
Gorscius. 361
Gregorius M. 237. 239. 263. nyssenus 311
Gretserus. 360
Grocinus. 241

Grop-

Gropperus. 455
Grotius (Hugo) 44. 117. 133
Guilliaudus. 100
Heldingus. 461
Hieronymus. 316.
Himmelius. 14. 82. 128. b.
Hoockerus. 381
Humbertus 435
A Jesu. 97
Juellus. 395. 425
Justinus martyr. 55. 241
Kargius. 42.
Keslerus. 144
Leidhresserus. 339
Lescaleus. 164
Leunclavius. 412
Lubbertus. 23. 175
Lutherus. 41. 74. 415. 429
Malderus. 452
Maldonatus. 15. 132
Martyr. (Petrus) vid. *Vermilius.*
Mayer (Joh.) 5
Melanchthon. 27. 74. 117. 127. a. 138
Merula. 81
Monlucius. 443
Montacutius. 83. 326
Montanus (Arias) 105. 403
Mornaeus. 409.
Mortonus (Thomas, episcopus) 153. 414. 421. 425. Baravacensis. 358
Osiander (Andr.) 41
Overallus. 118.
Panigarola. 210
Pareus. 11. 56. 66. 67. 72. 73. 85. 88. 90. 120. 126. 128. 137. 142. 200.
Pemble. 6.
Pererius. 15. 97. 106
Perronius. 299
Peucerus. 413
Picherellus. 216. 264. 381. 398.
Pighius. 49.

Piscator. 42. 88. 128. 172. 345
Plessaeus. vid. *Mornaeus.*
Polanus. 13. 44. 462
Ponetus. 382. 442
Prestonus. 409. 411
Prideaux. 48
Reihingius. 9
Remonstrantes. 22. 23. 32. 95. 187.
Ribera. 88
Rittershusius (Conrad.) 134. 256
Rivetus. 7
Rivius. 272
Roffensis. vid. Joh. *Fischer.*
Sarnicius. 356
Scharpius. 136
Schegkius. 41
Schottus. 400
Senalis. vid. *Cœnalis.*
Scribanius 338.
Sibrandus. vid. *Lubbertus.*
Sidonius. vid. *Heldingus.*
Spalatensis. vid. *De Dominis.*
Stapletonus. 11. 92. 190
Suarez. 85. 92
Tapperus. 51. 97
Thomas waldensis. 199
Thomson. 115. 116. 118. 119.
Thuanus. 27. 35. 127. a.
Thysius. 118
Toletus. 18
Vasqvez. 92. 189.
Vega. 18. 19. 62. 96. 145. 157.
Vermilius. 66. 127
Vives. 91
Vorstius (Conr.) 70. 85. 110. 138.
Vossius (Gerh. Joh.) 45. 114. 115. 117 149. 198. 232. 280 312.

Vrfinus. (Zachar.) 42
Weſſelus. 258
Whteus. 110.
Wicelius. 35. 40
Widdrington. vid. *Preſtonus.*
Wintonienſis. vid. *Bilſon.*

III.

INDEX LOCORVM SCRIPTVRAE.

GENES.

Cap.	Verſ.	Pag.
1	3	394
14	18	446
15	1	184
	6	41.64. 172
48	16	272.302

LEVIT.

16	29	214
23	27	214

DEUT.

18	19	131

JOS.

29	8	17

I. REGUM.

4	46	140
8	39	227

II. REG.

22	20	277. 281

JOB.

9	28	191
33	23	270.271

PSALM.

Cap.	Vers.	Pag.
1	1	89
2	6	131
18, 19	13	111
26, 27	10	281
32	2	61
50	15	293. 326
61	3	293
106	3	89
110	7	365
	1.4	450
119	1	89
122	1	96
126, 127	2	221
143	2	140

PROV.

8	15	131
20	9	140
17	15	68

ECCLESIAST.

7	20	140
9	1. 3.	105

JES.

Cap.	Vers.	Pag.
1	16.17.18	17
9	6	43
27	9. 11	89
33	22	131
34	12	300
38	3	191
53	5	53
	11	68.365
56	4.5	17
63	2	277.281
	16	277.281
64	6	166
	6.10	160

JEREM.

15	1	277
18	8	17
23	6	52
31	31	134.138
	33	148.

EZECH.

18	9	17
	21.22.27	12
33	11	17

Cap.	Vers.	Pag.
36	26.27	148

DAN.

9	18	166
	23	271
10	12	271. 286
	13	273
11	1	273
12	1	273
	3	67
18	23	67

HOS.

7	11	300

JOEL.

2	12.13.14	17

ZACH.

1	12	270.286

TOB.

12	12.15	270.286

Cap.	Vers.	Pag.

2. MACCAB.

2	29	216
12	46	211.216. 253

SIRACID.

5	5	105
16	17	179

MATTH.

1	21	89
2	1	132
3	11	214
	15	43
5	2	131
	12	185
	13	132
	21	132
	21-44	134
	22	212
	26	212

Cap.	Vers.	Pag.
6	14	17
11	30	147
12	32	211. 216
18	10	272.286
	35	17
19	3	132
	29	15.184
20	28	46
22	18	134
24	36	277
25	34.35	127. b.
		128. a.
		184
28	19	17
	20	131

MARC.

5	36	15
10	38. 39	214
16	16	137
	19	393

LUC.

1	6	148
	33	131
2	11	43
	23	393
6	37	17
7	47	11
8	13	3
	50	15
11	10	15
12	13. 14	134
	49	259
	50	214
	59	212
13	3	12. 136
15	10	275
20	36	276
22	19	454

JOH.

1	12	186
	17	148
	29	46
3	5. 36	136
4	5. 15	218
6		387
	29	24
8	24	137
14	21	131

Cap.

Cap.	Vers.	Pag.
15	10	131
17	1.5.9.17	365

ACTOR.

2	38	12, 17
3	19	12
	22	131
7	37	131
10	3. 4	270
12	15	272
13	38.39	8
15	9	8
22	16	17
26	18	4

Ad ROM.

2	6.7	184
3	20.24.28	19.20
	221.22	8.39
	24.25.26	57.131
	28	15
	30	5
4	4	41
	5	9.19
	6.11	46
	7	62.88
	8	61
	13 &c.	138
	20	8
	24.25	57. 64. 65. 90
5	1	5
	14	66
	17.19	65
	19	43.45.46
	25 &c.	57
6	19.20	87
	22	86
	23	186
8	1	218
	13.17	128. a
	16	101.106. 111
	24	11
	30	63
	33.34	62
	38	63
9	30.31.32	20
10	3	20
	9	128. a

Cap.

Cap.	Vers.	Pag.
	10	8
	14	293
11	6	19
16	7.11.	218

I. ad CORINTH.

1	30	46.52.57. 86.87
3	8	15
	11	211
	13	212.216
6	11	63.64.76. 86.87
7	10	132.134
9	21	131
	24	15
12	9	2
13	2	2
15	18	218
	29	212. 214

II. ad CORINTH.

4	17	128.a
5	19	61
	19.21	57
	21	46. 52. 53.89
7	10	128. a
8	9	43

Ad GAL.

1	22	218
2	16	16. 19
3	13.14	46
	19	346
	14-17	138
4	1.2.3	
	4. 5.	43
5	6	16
	17	163
6	2	131
	7.8	184
	8	128.a

Ad EPHES.

2	9	19
	10	127. b
	14	53

Cap.

Cap.	Vers.	Pag.
	19	286
3	12	4
4	7	147
5	26	17

Ad PHILIP.

1	9.10.11	76
	23	96
2	5.&c.	43
	10	212
	12	111.128.a
	8.9	365.368
3	7.8.9	20
	9	19
	12	15

Ad COLOSS.

3	17	195
	24	184

I. ad THESSAL.

4	14	218

II. THESSAL.

1	5	180

Cap.	Vers.	Cap.

I. ad TIMOTH.

1	13	180
2	5	353.361
	15	128.a
4	8	195
6	12.19	15

II. ad TIMOTH.

1	9	19
4	7.8	191

Ad TITVM.

2	14	46
3	5	19
	5.6.7	17
	7	63

Ad PHILEM.

	5	293

Ad HEBR.

2	1.3.6.7	131
	9.10	46.365
3	5.6.7	131
7	26	42
8	6	138

Cap.	Vers.	Pag.
9	14	356
	25	461
10	14.18	451
	36	128. a
13	16	179

JAC.

1	12	184
	25	128.a
2	14	128. a
	15.16	170
	19	2
	20	16
	21	21.169
	22	16. 20
	24. &c.	17. 53. 168.170.174
3	2	140. 158. 167
5	19. 20	17

I. PETRI.

3	18	46
	19	346

II. PETRI.

1	10	93. 112
	14.15	277

Cap.	Vers.	Pag.

I. JOH.

1	7.9	12
	8	140
	4	146
	9	115
	23	24
5	3	147

APOCAL.

1	4	304
	5	131
2	26.27	277
3	2	115
	4	158.180
	12.21	277
5	8	277
	12	365
6	10	277
7	14.15	128.a
8	3.4	270.277
12	7	273
14	13	217
19	16	131
22	11	64. 67 68. 86. 88. 169

ERRATA.

Numeri paginarum rursus sunt prioris, non autem hujus secundae editionis.

Pag.	lin.	
10	4	*Respondebunt,*
11	ult.	paene
13	45	Conradus
17	25	collectum
	30	qvibus
	42	Lipsienses
18	11	efficaciam
26	27	manserunt
28	38	rigidiores
30	25	justificatione
32	25	fideliter
	29	judicio
35	25	amice omittunt
42	14	decebat
52	44	intelligendum
57	31	interea
	36	nobis
59	34	peccatorum
91	44	notionalem
64	27	utra
66	1	καταχείματι
76	1	vita

ERRATA.

Pag.	lin.	
	3	solus
	5	ἔνδειξιν
81	ult. in Annot.	Casaubon.
83	2	coram Deo
99	45	peccata
	48	experimento
102	13	decisionem
103	13	*opinione*
105	13	hebraeo
112	ult.	106
162	17	hic
189	1	Pag. 189
197	in tit. col.	198
198	in tit. col.	199

58 H 3

Bibl. der Franckeschen Stiftungen Halle
Ha33$0158410

Franckesche Stiftungen zu Halle